2. 3
61. 62

447

OPERA DEL DUOMO
N: 80
ORVIETO

[illegible]

447
OPERA DEL DUOMO ORVIETO 5180
I

STATVTORVM CIVITATIS VRBIS VETERIS VOLVMEN.



ROMÆ, Apud hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. 1581.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRI
POPVLO VRBEVETANO
ET LECTORI
Ioannes Maria Taruſius I. V. D.
S. P. D.

HVMANI generis infirmitas, illius ſummi Opificis exemplo mirifice edocta per traditiones Moſaycas & Tabulas Sacroſanctas, leges ac ſtatuta cōdere primo didicit, quo Ciuitates & Populi, non labilis arbitrij libidine ferantur & gubernētur, ſed certa lege Societates hominum conſeruentur augeantur, vita, facultates, liberi, & coniuges (Legum quaſi præſidijs) in tuto Portu contra vim & iniuriam collocentur.

Nam quemadmodum circa Templū Lycei Iouis in Archadia, quiſquis humana viſcera cum aliarum victimarum inteſtinis conciſa deguſtaſſet in lupum tranſmutari diuinus ille Plato libro ſeptimo de Repub. retulit: Ita qui viribus potius quam iure omnia agere, aliorū bona & facultates inuadere, ſubditos concutere, quam innocentis ſanguine abſtinere mallet, hūc lupinam, Tyrannicamque naturam in perniciem & excidium generis humaui aſſumpſiſſe, quis non facile dixerit?

Hinc igitur ſecūdo loco Egyptij: Hinc tertio Perſæ: Hinc & quarto Græciæ Populi celebriores, ſingulareque virtutis domicilium, Romani præſtantiſsimi viri conſiderantes quod ſicuti hominibus non omnibus vnus cibus, ſed varius ac diuerſus: alij vt Leones nutriuntur: alij ſicut oues: Neque itidem vnus omnibus veſtitus, non mos, non vnus viuendi modus, non ſimplex rerum cupido: ſed hominum ſinguli vitam ſibi pro voto deligunt, neque vicinos, niſi in quantumlibet, imitantur: & quod niſi legibus à malo pœnis veluti frenis cohiberentur: & ad bonum præmijs veluti calcaribus excitarentur: Indies ad malum promptiores, ad bonum ſegniores homines viderentur, certas ſibi ſtatuerūt, & condi

derunt leges, quas demoliri, vel contra initi pacti violationem reſilire, nephas & vitium iudicandum eſſet.

Maiorum itaque veſtigijs innixa Nobilis Vrbeuetana Ciuitas veſtra, leges ſuas præter hominum memoriam conditas, promulgatas, & vſu receptas, ſæpius tamen in melius renouatas ac reformatas, ad utilitatem cõmodum & bonum publicum Procerum, Magnatum, Ciuiumque ſuorum, & ſubditorum Typis communi uoto edendas, & mandandas cenſuit: hanc mihi Agẽti Ciuitatis in Romana Curia prouinciam impreſſionis demandando, in qua diu noctuq; quantum elaborauerim inſudauerimque, ſilentio prætermittam.

Eſto igitur hilari animo Populus vetuſtæ Ciuitatis, quod ſuccreſcẽtes litium anfractus, ciuileſque diſcordias, Decreta Patrum ad nihilum redigent trucidabunt & perdent, ut hoſtium non metuat inſidias Ciuitas in poſterum, ſeu diſcordiæ vires reformidet quibus miſerrime olim oppreſſa, ac pœnè obruta iacuit. Nihil enim in rebus humanis calamitoſius, quam ſimilibus diſcordijs, inteſtiniſque factionibus ſedulo vexari & perturbari: Quod ipſum frequenter in ſermonibus tranſtulit nũquam ſatis laudatus Patruus meus (quem honoris cauſa nomino) Marcellus ille. II. Pont. Max. Vir ſapiens, Religionis acerrimus vindex, & Sãctitatis Antiſtes eximius, per ipſius Diſcordiæ imaginẽ à Petronio Arbitro his verſibus graphycè, & eruditè expreſſam.

Intremuere Tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine,
Extulit ad ſuperos ſtygium caput: huius in ore
Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant.
Stabant irati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa Draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore veſtem
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Vt ex his conſtare poſsit, quam diligenter & aſsidue ad interitum & perniciem huius ſanguinolentæ ac tetræ Belluæ, gladio Iuſtitiæ inuigilandum & laborandũ ſit: & prudẽtioribus viris (aureo Trypode Apollinis ad inſtar Biantis Prienenſis donari condignis) quantũ indulgendum & deferẽdum, qui ne Ciuitates & Populi vitijs & delictis hominum inſoleſcentes, ad inſaniam & furorem facile redigantur, ſolerti cura & optimo ſtudio quieti tranquillitatiq; conſulunt. Valete. Dat. Romæ Die vij. Auguſti M. D. LXXXI.

PROE-

PROOEMIVM STATVTORVM

GRAECI perſpicacis ingenij ſcientiarum inuentores, & à quibus Ius Ciuile originem ſumpſit, poſt Religionem inter cætera quæ ad humanarum rerum Imperium ac regimen exiguntur, Rempublicam ſacris legibus fore prius decorandam cenſuerunt.

Vnde poſt Vrbem Conditam Romani clariſsimi viri ac ſolidæ virtutis, cupientes Romanorũ Rempublicã ſupremi Imperij ampliſsimum decus attingere, & ſempiterna gloria triumphare, petitis legibus & obtentis à Græcis Ciuitatibus per decem Viros publica auctoritate inſtitutos, excellẽtiſsimas ſanctiones condiderunt quibus ipſa Reſpublica decorata in altiſsimo maieſtatis faſtigio refulgeret. Attendenteſque quod humani actus propter eorum variationem & mutabilitates, inflexibili ac certa regula mẽſurari non poſſunt (properat enim Natura quotidie nouas edere formas) ſed oportere ea quidem regula metiri quæ dictis actibus ſit applicabilis, nouas leges condiderunt antiquas corrigẽdo & in melius reformando, exiſtimantes nil honorabilius aut glorioſius eſſe, quam Rempublicam ſacratiſsimis legibus illuſtrare.

Quibus animaduerſis Senatus Vrbeuetanus cognoſcens bonum conſiſtere in condendis & reformandis legibus, volẽs quantopere ſalubritatẽ Reipublicæ Vrbeuetanæ certiſsimo monumento tueri, & illam celeberrima venuſtate extollere, Municipales leges à ſe longo ſtudio ordinatas reformari denuo, & caſtigatas impreſsioni tradi cenſuit, vt inde omnium Subditorum ſuorum publica pax, & communis vtilitas amplietur.

Quamobrem Illuſtris D. Magiſtratus, videlicet Magnificus D. Aurelius Auuedutus Confalonerius, D. Petrus Tholoſanus,

D.Cæſar Fallabollirius,D.Petrus Lambertus,& D.Naupilius Antoninus Conſeruatores Pacis Vrbeuetano Populo præſidẽtes,ex auctoritate publica ſibi cõceſſa, nobis Ciuibus infraſcriptis hanc corrigendi & caſtigandi Statuti prouinciam contulerunt & demandarunt videlicet: D.Senſato de Senſatis,D.Hieronymo Magonio, D. Flãminio Cartario, D. Thomæ Blanchello, & D. Fabio Thimeo de Bonſerinis. V.I. Doctoribus, prout de hoc conſtat in actis publicis Cancellariæ Communis Vrbiſueteris, manu Ser Organtini Rubei dicti Communis Cancellarij.

Qui Nos Ciues,ea qua decuit reuerentia, laborem hunc libenti animo ſuſcepimus non immemores humano generi à natura inſitũ eſſe, quod homo homini proſit, in his præſertim in quibus verſatur publica vtilitas,& uniuerſorum commoda generantur: & quibus potuimus uiribus ueteres municipales ipſius, & reformationes,unà cum opportunis additionibus ac correctionibus in idem Statutorum corpus redegimus & cõpilauimus, ac à pluribus mendis antiqui ſcriptoris caſtigauimus.

Quæ quidem ſaluberrima Ciuitatis Vrbiſueteris Statuta ſic per nos ad id ſpecialiter deputatos aucta,reformata,& caſtigata, & ac curatiſſime impreſſa, eidem Senatui Vrbeuetano filiali obſeruantia ac pietate damus & reſtituimus: Ad laudem Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ Virginis, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli,& Glorioſorum ſancti Bernardi Confeſſoris, Sãctæ Luciæ Virginis & martyris, ſancti Thomæ de Aquino, ſancti Fauſtini martyris, & Sanctæ Mariæ Magdalenæ huius Mag. Ciuitatis aduocatorum, & omnium Sanctorum: & ad laudem & reuerentiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ,& illuſtris ac Reuerendiſſ.D. Comitis Georgij Man Zoli nobilis Bononienſis & huius Ciuitatis meritiſſimi Gubernatoris: & ad pacem & perpetuum ſtatum & trãquillitatem eiuſdem Ciuitatis, & ſuorum Ciuium & Subditorum.

STATVTORVM MAG.CAE CIVITATIS VRBISVETERIS

Liber Primus.


N Nomine Domini. Amen. Ad laudem honorem gloriam & reuerentiam altiſſimi & ſummi opificis Dei à quo cuncta bona procedunt, & ſine quo nihil boni poteſt ordiri, Ad laudem & honorem glorioſiſſimæ virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Glorioſorum martyrum Bernardi & Luciæ huius Magnificæ Ciuitatis aduocatorum, & omnium Sanctorum & Sanctarũ cæleſtis curiæ, Ad laudemq; honorem gloriam exaltationẽ & triumphum Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ, S. D. N. D. Alexandri diuina prouidẽtia Papæ Sexti, Necnon Reuerendiſſ. in Chriſto patris D. Ioannis Baptiſtæ tituli Sancti. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis de Sabellis digniſſimi Apoſtolicæ ſedis Legati Magnificæ Ciuitatis Vrbisueteris, eius comitatus, fortiæ, & diſtrictus, Reuerendique patris Domini Antonij Epiſcopi Balneoregien. eiuſdem Reuerendiſſimi D. Legati in eadem legatione digniſſimi Locumtenẽtis, Necnon Magnificorum Dominorum Conſeruatorum Nobilis ac Magnifici uiri Carletti Comitis Corbariæ, eximij iuris profeſſoris Domini Ioãnis Egidij de Palemonibus, Pyrrhi de Albericis, Leonardi Antonij, Magiſtri Antonij, Petri Iacobi, Angeli Valli, & Dominici Conſtantij, Ad pacem perpetuam & ſtatum proſperum & felicem quietem & tranquillitatem eiuſdem Magnificæ Ciuitatis Vrbeuetanæ, & ſuorum ciuiũ comitatiuorum & ſubditorum. Etſi legũ correctio à Iureconſultis ſępe prohibita, minimeque mutanda ſint ea quę longæua interpretatione uiguere, non tamen inconuenit quod vnaquæque ciuitas quæ ſibi

ius proprium ut eius ciuilis conſeruetur ſocietas, antiquitus ordinatum inuenerit, id aliquando ex nimia temporis longitudine inobſeruatum, aliquando imperfectum, aliquando diuerſis voluminibus diſperſum, ali quando ſuperflua ſimilitudine ac diuerſitate uacillans, eo quòd etiam humana natura nouas ſemper properans edere formas lites quotidie inuenire conetur. Illud in ueteribus libris ac ſtatutis & diuerſis uoluminibus antiquitus annotatum, & partim uetuſtate corruptum renouare, aliquando reformare, ſępe ſæpiusque nouas condere, & ueteribus ad dere, ſiue aliquid diminuere permaxime expediat, ut quod uetuſtas aboleuit, & noua hominũ malitia circumuenit, calumniare non ualeret. Hinc eſt quod R. D. Antonius Locumtenens præfatus, cui cordi eſt in eius gubernio leges & iura diligentisſime obſeruari, ac etiam ſpectabiles uiri Magnificus eques Dominus Albertus de Magalottis, eximius legum doctor Dominus Simon de Simoncellis, & Ioannes Michaelis Angeli, & Petrus Stephanus Angeli, & Ludouicus Baldanza, Ioannes Ludouicus Benincaſa, Niſius de Partialeſchis, Butius Iacobi, Giannes de Toſtis, & Vincentius de Phebeis, una cum ſupradicto Domino Locumtenente electi & deputati auctoritate Conſilij generalis dictæ Ciui tatis ad renouandum, corrigendum, caſſandum, reformandum, ordinan dũ ſtatuta & reformationes dictæ Ciuitatis, & ad ipſis ſtatutis addendũ & minuendum, & noua cõdendum, & ordinandum, cum plena & libera auctoritate & plena forma, prout apparet manu Ser Nicolai de Mõtefal co Cancellarij dictæ Ciuitatis, Volẽtes exequi eis commiſſa, & tanto ui gilantius, quanto magis expedit Reipublicæ ſalubri lege municipali, & iure ciuili proprio pie ac ſancte regi & gubernari, ſæpe ſæpius coadunati, & diuerſis uicibus inter eos examinatis & diſcusſis iis quæ cognouerunt utilia & neceſſaria & opportuna ad conſeruationem ciuilis ſocietatis, pacifici regiminis, bonorum morum iuris & iuſtitiæ huius Ci uitatis, & omnibus aliis quæ uidenda & conſideranda erant, partim nouando, addendo, minuendo & corrigẽdo, partim reformando & declarando, & partim nouiter ſtatuendo, fecerunt & ordinauerunt ac ſtatuerunt infraſcripta ſtatuta, ordinamenta, & decreta quæ ab omnibus obſer uari uoluerunt, Caſſantes & annullantes omne aliud ſtatutum, ordinamentum, decretum, reformationem, cõſtitutionem, & capitulum quod quomodocunque ſeu qualitercunque inueniretur ſcriptum in quolibet libro ſeu loco, quod non reperiretur in præſenti uolumine de uerbo ad uerbum, hoc tamen intelligatur ad futura, ſed non ad præterita, Quibuſcunque in contrarium facientibns non obſtantibus.

DE

DE OFFICIO DOMINORVM Conſeruatorum Pacis Vrbeuetano populo præſidentium. Rubrica I.

DOmini Conſeruatores Pacis Vrbeueterano populo pręſidentes præponendi regimini & gubernationi Vrbeuetani populi eligantur pro tempore duorum menſium,& ſingulis duobus menſibus eorum officium renouetur quantum ad perſonas eorum. Eorum autem electio fiat poſt præſens initiatum buſſulum prout infra in proximo capitulo diſponitur, & poſt præſens buſſulum dicti Domini Conſeruatores ſint numero ſex. Qui Domini Conſeruatores habeant pro eorum ſalario quartam partem unius floreni pro quolibet die, & quolibet ipſorum,ad rationem librarum quinque denariorum pro quolibet floreno, & habeant & habere debeant pro lumine eis debito pro quolibet ipſorum & quolibet menſe expenſis dicti Communis unam torciã ſeu cereum ponderis trium librarum. Qui teneantur in principio eorũ officij in manibus Reuerendiſsimi Domini Gubernatoris,uel Locumtenentis tunc temporis exiſtentis in dicto officio pro S. D. N. Papa,& ſacroſancta Ro. Ec. iurare ad ſancta Dei euangelia ſcripturis corporaliter manibus tactis eſſe fideles præfato Sanctiſsimo Domino Noſtro,& dictam ſedem canonice repræſentantibus in dicta Ciuitate, & eorum officium exercere ſollicite die noctuque,omni fraude,& dolo ceſſantibus,remotis odio,amore, prece, pretio,& qualibet alia humana gratia, ac præſentia ſtatuta, & reformationes obſeruare, & obſeruari facere in omnibus ſuis partibus, & capitulis in quibus mentio de dictis Dominis Conſeruatoribus fiet. Ad quod officium non poſsit eligi uel admitti aliquis, qui ullo unquam tempore occaſione alicuius homicidij fuerit condemnatus, & ſimiliter qui non habuerit domum in dicta Ciuitate,& non habitauerit in ea cum eius familia continue per tempus uiginti annorum, & ſit uerus & naturalis ciuis, & exceſſerit ætatem uigintiquinque annorum, quorum extractio fiat in generali Conſilio per octo dies ante principium eorum officij. Qui nõ poſsint ire extra palatium quòd non ſint ad minus duo cum quattuor famulis, Et quod nullus durante eorum officio uadat extra Ciuitatem niſi in ambaſciatis & pro negotiis Communis de licẽtia generalis Cõſilij,ſub pœna uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice. Qui poſsint habere duos præcones, duos piffaros, unum currerium, & decẽ famulos,inter quos famulos computetur coquus. Et quilibet de dictis famulis habeat pro ſuo ſalario ſingulo menſe libras duodecim denariorum, præcones, currerius & piffari ſingulo menſe pro quolibet ipſorum duos ducatos auri. Et in feſto corporis Chriſti annuatim dicti famuli,

præcones

præcones,piffari, & currerius habeant & habere debeant quilibet ipſorum unam togam ſeu ueſtem uel chlamydem ad diuiſam communis rubeam & cæleſtem expenſis dicti Communis extimationis quindecim librarum denariorum pro qualibet ueſte,toga ſeu chlamyde. Et nullus de familia ipſorum Dominorum uadat ad aliquam tabernam ad bibendũ ad pœnam decem ſolidorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice auferendorum. Qui famuli ſint uigiles, & ſolliciti die noctuque,& pareant ipſis Dominis, & moram faciant in eorum palatio ſub pœna uiginti ſolidorum pro quolibet contrafaciente & die qualibet. Et nullus de dictis Dominis Conſeruatoribus durante tempore eorum officij poſsit uel debeat ire uel accedere de die uel de nocte ad domum alicuius Nobilis uel Magnatis clerici, uel laici, uel alterius ciuis, excepto Domino Epiſcopo Vrbeuetano, ad pœnam uiginti quinque librarum pro quolibet & qualibet uice qua contrafactum fuerit de facto retinendarum de eorum ſalario,& quilibet contrafacientem poſsit accuſare,& habeat medietatem pœnæ probando accuſam per duos teſtes de uiſu, & nomina accuſatoris,& teſtium teneantur in ſecreto. Et nullus qui fuerit famulus alicuius Nobilis ſiue Ciuis ipſius ciuitatis poſsit eſſe in numero famulorum ipſorum Dominorum. Et ſi contingerit quòd aliquis ipſorum Conſeruatorũ durante tempore eius officij moreretur,expenſis Communis in eius funere expendantur decem floreni prout hactenus ſemper conſuetum extitit. Et ſiquis ex dictis Dominis Conſeruatoribus durante eius officio infirmaretur,habeatur pro præſente, & habeat ſalarium ſupra deſcriptum prout ſui collegæ ipſa infirmitate durante. Declarantes etiam quòd ſi tempore extractionis dictorum Dominorum reperiretur aliquis ipſorum eſſe mortuus,uel uigore præſentium ſtatutorum uel reformationum fiendarum per dictum Commune ad dictum officium non poſſet admitti loco talis defuncti uel deficientis nõ ſubrogetur alius niſi in dicta extractione & palluċta extracta inter mortuos & non habiles reperirentur ultra tres,quo caſu antequam Conſiliũ diſcedat,prouideatur in ipſo Conſilio de uno uel pluribus prout dicto Conſilio uidebitur & placebit. Et ſalarium dictorum defunctorum & deficientium pro quibus per generale Conſilium alter non fuerit ſubrogatus uel ſubrogati,expendatur per Camerariũ Communis tunc temporis exiſtentem in acconcimine ſtradarum,fontium,& aquæductus dictæ Ciuitatis prout Dominis Conſeruatoribus prȩſidentibus uidebitur & placebit, ad pœnam dupli dictæ quantitatis dicto Camerario de ſuo auferendam, contra quem perpetuo procedi poſsit ſi cõtrafecerit. Qui Domini Conſeruatores durante eorum officio a dicta die extractionis & per octo dies poſtea nõ poſsint aliquem conuenire,uel per alios conueniri in aliqua curia ad pœnam quinquaginta librarum denariorum pro quo-

pro quolibet contrafaciente, & ſi quid contra prędicta factum fuerit non valeat nec teneat ipſo iure. Et teneãtur vna cum Camerario Fabricæ & eius Notario, ſaltem bis in menſe facere monſtrã Poteſtati dictæ Ciuitatis & alijs Officialibus, ſiue Capitaneo ſi contigerit dictã Ciuitatem Capitaneum habere, ſub pœna decem librarum denariorum ipſi Fabricæ de facto applicandorum: Et manutenere ſcripturas & priuilegia dicti Communis, ac inſtrumenta, argentum, ſigilla, ac res omnes Palatij per inuentarium conſignare nouis Conſeruatoribus, de quibus fiat publicum inſtrumentum prima die ingreſſus cuiuslibet Cõſeruatoratus. Et debeat retineri eorum ſalarium ſecundi menſis uſque quo cõ ſignauerint effectualiter nouis Cõſeruatoribus omnia bona, & iura Cõmunis ad eorum manus peruenta. Qui etiam debeant ſaltẽ ſemel in eorum Officio viſitare carceres dicti Cõmunis, ac Fabricam Sãctę Mariæ, Cõuentus Sancti Dominici, Sancti Franciſci, Sancti Auguſtini, Sãctę Mariæ Seruorũ, & Cannellatũ, & Montem Chriſti, & Montẽ grani Virginis Mariæ, & pro poſſe eorũ neceſſitatibus prouidere: Ac manutenere munitiones Palatij, Fortilitiorum, & Arciũ dictę Ciuitatis, & maxime Arcis Ciuitellæ Agliani: Et nõ permittere quod aliquis ponatur ad torturã ſine præſentia ſaltem duorum ex ipſis. Qui Domini Cõſeruatores in omnibus & ſingulis peragẽdis cõcernentibus ſtatum S. D. N. Papæ & ſãctæ R. Eccleſię, bonum & pacificum ſtatum Ciuitatis, ac quietem vtilitatemque Cõmunis, Artium, Piorum locorũ, Montis Pietatis, Caſtrorũ, Iuriſdictionum, tenutarũ, & aliarum quarumcumque perſonarum ipſius Ciuitatis & Comitatus, & maxime in exequendo omnia & ſingula in prę ſenti ſtatuto contenta, & quæ in futurum per Conſilia dictæ Ciuitatis committentur, habeant plenum arbitrium iuriſdictionem & baliam prout ipſa Cõmunitas. Si quis autẽ prę ſumpſerit in concernentibus eorũ Officium aliquam inobedientiam oſtendere, puniri poſsit per ipſos DD. Conſeruatores, ſiue per Poteſtatem attenta qualitate perſonę, & delicti qualitate penſata prout eis videbitur, non excedendo ſummam decem librarum denariorum pro qualibet uice. Si quis uero aliquod maleficium uerbo in perſonam ipſorum DD. committeret, pœnam qua truplicatam ſoluere compellatur, & per Poteſtatem dictæ Ciuitatis cõdemnetur ac ſi tale delictum commiſſum fuiſſet contra aliquam aliam perſonam. Si uero fuerit commiſſum tale delictũ facto in perſonam alicuius ipſorum, talis pœna quatruplicetur ut ſupra, & ultra dictum quatruplum, ipſo facto incidat in pœnam centum Ducatorum, quam ſi nõ ſoluerit infra decẽ dies amputetur ſibi manus: & prædicta non habeant locũ de iniurijs & delictis factis inter eos. Et teneantur dicti Conſeruatores, durante eorum Officio, expenſis dicti Communis expendere in acconcimine ſtratarum pro quolibet Cõſeruatoratu, ſaltem duos Florenos

renos ad pœnam dupli de eorum ſalario retinendi. Teneantur etiam prouidere neceſsitatibus Pontium,& quod non extrahatur aliquod genus frumenti extra tenimentum ipſius Ciuitatis: Ac etiam quilibet extractus ad dictum officium facere teneatur vnam chlamydē & unum caputium de panno de grana ſeu monachino,& ipſam chlamydem cum caputio etiam poſt depoſitum officium continue portare in Ciuitate, maxime diebus feſtiuis, ad pœnam decem ducatorum pro quolibet cō trafaciente,& prædicta locum habeant poſt præſens Buſſulū.Et teneantur etiam infra octo dies, poſt introitum eorum Officij, conſignaſſe in ſcriptis Poteſtati dictæ Ciuitatis omnes debitores Cōmunis, & de ipſa conſignatione rogatum facere Notarium Communis,& ipſum ſollicitare vt executionem effectualiter faciat, & de decem diebus in decē dies videre cauſam quare dicta executio retardetur, ad pœnam decem florenorum eis & cuilibet ipſorum auferendorū, ſeu retinendorum per Camerarium Communis ſi contrafecerint. Et teneantur deputare unū ex ipſorum famulis qui habeat Officium pulſandi campanam Turris ipſius Palatij de ſero tribus vicibus, adeo quod tertius ſonus ſit pulſatus hora ſecūda noctis,& ſemel in aurora diei ut moris eſt:& accendendi lampadas Palatij quolibet ſero poſt ſonum Aue Mariæ:& mundādi Palatiū ſaltē ſemel in hebdomada, ad pœnā uiginti ſolidorū pro qualibet uice qua contrafecerit: & habeat dictus famulus ultra eius ſupradictum ſalarium, pro prædictis ſolidos quadraginta pro quolibet menſe a dicto Camerario Communis. Quibus DD. Conſeruatoribus nulla perſona poſsit aut debeat eis loqui dum uadunt per Ciuitatem uel eius Burgos, niſi uocaretur ob aliquam cauſam ab eis, ad pœnam uiginti ſolidorum uice qualibet. Et quilibet poſsit eos accuſare,cui credatur cum uno teſte,niſi eſſet res magnæ importantiæ ſtatus Ciuitatis, uel alicuius Caſtri nouiter accidens.

De electione Imbuſſulatorum, & Buſſulo Officiorum. Rub. II.

QVoniā de manibus vniuſcuiuſque Ducis ſeu Rectoris Ciuitatis & Prouinciæ pendet ſalus omnimoda, eo quod uniuerſa membrorum compago ex diſpoſitione capitis infirmatur, & niſi ſint Rectores graues boni ſapientes & timentes Deum, Ciuitas ipſa ſępe ſæpius eorum cauſa incidit in ruinā, prout ex inſpectione huius inclytæ Ciuitatis clare apparet:Volentes obuiare in quantū poſſumus ut Ciuitas ipſa bene gubernetur, & ad ipſam gubernandam eligantur homines apti, ex quorū uirtutibus ſapientia & induſtria ipſa Ciuitas augeatur

tur, & ad ſtatum priſtinum reducatur, Statuimus & ordinamus quod deinceps ultimi Conſeruatores præſentis buſſuli, & vltima palluča cuiuslibet buſſuli extrahenda infra terminum quindecim dierum poſt introitum eorum officij, habeant congregari facere generale Conſilium dictæ Ciuitatis in præſentia Gubernatoris ipſius Ciuitatis, ſeu eius Locumtenentis, uel alterius repreſentantis in dicta Ciuitate Sedem Apoſtolicam: & in dicto Conſilio eligere & deputare ad fabas nigras & albas quindecim bonos & graues Ciues, qui obtineantur ſaltem per duas partes ipſius Conſilij hoc modo uidelicet. Alius de Collegio Iudicum & Tabellionũ ipſius Ciuitatis: Duo de Arte Mercatorum: Vnus de arte Aromatariorum & merciantium: vnus de Arte lanæ: duo de arte calceolariorũ: & vnus de alijs artibus, & popularibus non exercentibus artem, eligantur reliqui uſque ad perfectum numerum prædictum. Sed non poſsit eligi aliquis ad dictum buſſulum faciendum niſi habuerit ualorem in bonis ſtabilibus in dicta Ciuitate & Comitatu aſcendentem ad quantitatem quingentorum florenorum, & fuerit maior quatraginta annorum:

Et antequam dictum Conſilium diſſoluatur, Domini Conſeruatores faciant capi & arreſtari dictos electos, & eos recludi in Palatio Domini Gubernatoris, ſeu alio loco idoneo, quibus per aliquem loqui non poſsit vſque ad perfectum buſſulum.

Et dicti imbuſſulatores vna cum Domino Gubernatore & Conſeruatoribus & Cancellario, uel alio Notario ab eis deputando, una cum Guardiano Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis, audita miſſa Spiritus ſancti dictũ buſſulum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti incipiant & finiãt pro quinque annis tantum duraturum: imbuſſulando omnia officia ipſius Ciuitatis & Comitatus, prout hactenus conſuetum fuit, & ſecundũ tempora limitata per præſentia Statuta: diſtribuendo unicuique idoneo officia ſecundum proprias uirtutes, non aduertendo ad acceptionem perſonarum, ſeu ſanguinem domorum, ſed ad utilitatem Reipublicæ: & inde non poſsit exire aliquis de die uel de nocte, quin prius ipſum buſſulum perfecerint.

Quibus imbuſſulatoribus per Dominum Gubernatorem dictæ Ciuitatis ſeu Locumtenentem ut ſupra, deferatur iuramentum de faciendo dictum buſſulum ſecundum formam præſentium Statutorum, remotis ab eis & ipſorum quolibet odio, amore, timore, amicitia, parentela, pretio & qualibet alia humana gratia: Et fiant expenſæ pro uictu dictis imbuſſulatoribus per Camerarium Communis huius Ciuitatis, ſeu eius Depoſitarium pro tempore, expenſis Communis. Sic in poſterum de quinquennio in quinqennium fiant dicta Buſſula perpetuis temporibus, & aliter factum Buſſulum non valeat, & arrengans

contra prædicta omnibus officijs & beneficijs dicti Communis toto tempore uitæ ſuæ ſit priuatus.

De electione Officio & Iuramento Poteſtatis. *Rub.* *III.*

POteſtas Ciuitatis Vrbiſueteris eligatur pro ſex menſibus tantum hoc modo videlicet, Quod DD. Conſeruatores qui pro tempore erũt in primo Cõſilio per eos fiendo poſt introitum cuiuslibet Poteſtatis teneantur facere præpoſitam de nouo Poteſtate eligendo,& data licentia conſulendi,ſi quis ex dictis Cõſeruatoribus uel Conſiliarijs habuerit notitiam de aliquo uiro iuſto & prudenti, bene experto,bono & apto ad dictum officium exercendum, debeat eum vinculo iuramenti nominare,& Cancellarius ſeu Notarius reformationũ teneatur omnes qui nominati fuerint deſcribere,& DD. Cõſeruatores teneantur omnes nominatos mittere ad ſquitriniũ ſeu partitum :& illi tres ex dictis nominatis qui fuerint obtenti per duas tertias partes dicti Conſilij,& habuerint plures fabas nigras del ſic quam alij, intelligantur & ſint electi: Et ſi fuerint plures obtenti quam tres qui habuerint fabas pari numero, tunc liceat Conſeruatoribus eligere ex illis obtentis quos uolunt, ita quod numerus trium ſit perfectus: Hoc addito & declarato quod ad dictum officium non poſsit eligi aliquis qui non eſſet Miles, vel Comes, vel Doctor : nec aliquis qui non fuerit diſtans à loco unde eſt oriundus, uel ubi continue habitauerit per tringinta miliaria a Ciuitate noſtra : nec aliquis qui fuerit de Vrbe, vel Prouincia Romandiolæ, & aliter facta dicta electio non valeat:Et nominans aliquem contra prædicta incidat in pœnam decem ducatorum applicandorum cameræ Communis Vrbiſueteris: Et Conſeruatores qui talem nominatum non conſtitutum in aliqua ex dictis dignitatibus, vel non habilem ex ſupradictis cauſis, uel aliqua ipſarum poſuerint ad partitum, incidant in pœnam uiginti quinque Florenorum pro quolibet, & tam nominans, quam ponentes ad partitum priuentur uno anno poteſtate nominandi. Quæ electio ſupradictis modis & formis facta ut premittitur, tranſmittatur S. D. N. Papæ expenſis dictorum electorum: De quibus S. D. N. uigore priuilegiorum huius noſtræ Ciuitatis unum ex dictis electis confirmare dignabitur: Et habita dicta confirmatione per Bullam, uel per Breue S. D. N. tranſmittantur capitula præfato electo & confirmato in hunc modum uidelicet.

Quod debeat eſſe fidelis & deuotus S. D. N, ſanctę Romanę Eccleſiæ,& Communi Vrbeuetano.

Item

Item quod ipſe teneatur ſe præſentare in dicta Ciuitate Vrbeuetana per tres dies ante poſt finitum Officium præceſſoris cum omnibus ſuis Officialibus domicellis & familia.

Itē finito Officio præceſſoris, prima die ſui Officij poſt veſperas debeat cum omni ſua comitatiua & familia ſe præſentare coram Gubernatore, ſeu Locumtenente, & Conſeruatoribus dictæ Ciuitatis, & exhibere Breue & capitula eidem transmiſſa, & duas crateras de argētoad minus decem ligarum, & ponderis decem unciarum pro qualibet.

Item teneatur ſecum ducere vnum idoneum Legum Doctorē qui fidem faciat de ſuo doctoratu in primo generali Conſilio fiēdo poſt aduentum ipſius per auhenticam ſcripturam, per quā appareat ipſum fuiſſe doctoratum ſaltem per triennium antea: Qui iuſtitiam faciat vnicuique in ciuilibus, & criminalibus cauſis indifferenter, & qui obſeruet omnia eius Officium concernentia, & in præſenti Statuto cōtenta.

Item ducere & toto tempore ſui Officij ſecum retinere debeat unū bonum, practicū, doctum, & expertum militem ſocium, aptum ad arma portandum, & qui in cauſis ciuilibus à decem libris infra, ius reddere teneatur & ſciat, & faciat omnes executiones tam ciuiles quam criminales, & exequatur omnes cōdemnationes tā eius tempore latas, quā antea per quoſcumque, & qui ſimile Officium ſaltem per biennium in alijs Ciuitatibus exercuerit, & de prędictis fidem faciat.

Item teneatur ducere & cōtinue toto tempore ſui Officij retinere tres bonos publicos & idoneos Notarios deputandos ad infraſcripta Officia, uidelicet unum ad maleficia, & duos ad extraordinaria indaganda & inquirenda: Quorum quilibet librum adminiſtrationis ſui Officij faciat, & in publicam formam reducat, & relaxet dicto Cōmuni: Et hi omnes habeant domicilia diſtātia à noſtra Ciuitate Vrbeuetana per viginti miliaria, & qui non fuerint alias in aliquo Officio in dicta Ciuitate per lapſum quinquennij ante dictum Officium.

Item teneatur ducere duos domicellos ſua diuiſa indutos.

Item decem famulos ſiue birruarios armigeros, in quibus non computetur coquus, uel mulatterius, uel caneuarius.

Item duos equos ualoris & communis æſtimationis quadraginta ducatorum auri, æſtimandos per mareſcalchos dictæ Ciuitatis: & ultra ſupradictum numerum familiæ poſsit dictum Conſilium augere ſecundum qualitatem temporum, augendo etiam ſtipendium ipſius Poteſtatis pro rata.

Item teneatur facere monſtram de perſona ſua, & de tota familia, & equis toties quoties fuerit requiſitus per ipſos Dominos Conſeruatores, in præſentia Cancellarij dicti Communis, & Camerarij Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, ſub pœnis infraſcriptis pro qualibet

vice qua fuerit requiſitus, & dictam monſtram non fecerit: Et ſi ſe non repręſētauerit uel eius familiã uel equos ut ſupra,ſoluere teneatur Camerario Fabricæ pro ipſis pũctaturis hoc modo & forma uidelicet. Pro perſona ipſius Poteſtatis florenos uigintiquinque qualibet uice: Pro Iudice & uice qualibet florenos quatuor, & totidẽ pro milite:pro quolibet Notario, domicello,famulo,uel equo florenos tres. Verũ ſi ex cauſa mortis uel alia iuſta cauſa illos tũc repręſentare non poſſet, habeat infraſcriptos terminos ad repræſentandum, uel alios loco ipſorum ſubrogãdũ uidelicet: pro Iudice quindecim dies,pro milite & Notario quinque dies,pro domicellis & famulis & equis tres dies: Quibus terminis durãtib⁹ & eorũ altero pro dictis abſentibus ex dicta cauſa uel mortuis nõ poſsit pũctari, ſed retinebitur de ei⁹ ſalario pro Iudice medius florenus,pro milite & Notario dimidius florenus,pro domicellis famulis,& equo unus quartus florenus ꝓ quolibet & qualibet die: Et elapſis dictis terminis pręsētari poſsit,& incidat in pœnas ſupra proxime declaratas.

Item faciat fieri per ſuos Officiales deputatos omnem executionem datiuarum,tertiariarum,& ſalis,& quarumcumque executionũ, & prouentus dicti Communis: & de pœnis & cõdemnationibus maleficiorũ & damnorum datorum, & aliarum quarumcũque dicti Communis & ſpecialium perſonarum tam in ciuilibus,quã in criminalibus cauſis, abſque aliquo præmio uel mercede, pręterquã ex cauſis ex forma Statutorum,reformationũ,ſeu à Cõſilio generali permiſſis, alioquin retinebitur de ſuo ſalario totidem prout capient huiuſmodi executiones negligentia ſua & ſuorum Officialium non factæ: & tenebitur ad refectionem damnorum & intereſſe illius qui læſus fuerit propter dictam executionem non factam:& tenebitur reſtituere quatruplum totius quod receperit ultra formam præſentium Statutorum, ſeu à conſilio generali non permiſſorum.

Item durante ſuo Officio,à dicta Ciuitate nec aliquis ex ſuis Officialibus & famulis ſine licentia DD. Conſeruatorum pro tempore exiſtentium,ſub pœnis ſupra proxime declaratis,aliquo modo ſe abſentabit.

Item non poterit ponere ad aliquam torturã aliquem hominem ſeu perſonam abſque præſentia ad minus duorum Conſeruatorum, ad pœnam centum ducatorum auri pro quolibet & qualibet uice.

Item nõ poterit recipere pro executione aliquid, niſi prout infra de officio militis ordinabitur,ſub pœna quatrupli eius quod receperit.

Itẽ nihil recipere poſſit pro aliqua examinatione teſtium, niſi quod de teſtibus inducendis ad defenſam, uel ex forma præſentium Statutorum in aliquo capitulo concederetur.

Item omnem & quamcumque ſcripturam actorum ciuiliũ, & de omnibus ſpectãtibus ad ciuiles cauſas de ciuilibus cauſis, & quibuſcumque

inſtrumentis & contractibus fideiuſſionum & aliorum diuerſorum, exceptis inquiſitis uel accuſatis qui comparerent ad ſe defendendum, uel maleficium confitendum, rogatos faciet Notarios Ciues deputatos & deputandos per noſtrum Commune ad ſcribendum.

Item tenebitur obſeruare omnia & ſingula Statuta ordinamenta, reformationes, & bullas, & priuilegia noſtro Communi conceſſa, tam cõdita quam condenda, & ſecundum ea iudicabit & iuſtitiam adminiſtrabit tã in ciuilibus, quã criminalibus cauſis indifferẽter. Et pro prędictis omnibus & ſingulis tã pro ſe, quã pro ſuis Officialibus familia & equis, pro eius aduentu mora & reditu, necnon pro atramento charta & uernice habebit à dicto Communi Vrbeuetano per manus Camerarij ipſius Communis pro dictis ſex menſibus in tribus tertiarijs libras mille ſexcenta octuaginta, cum retentione duodecim denariorum pro qualibet libra pro Cõmuni, & unius baiochi pro quolibet floreno ad rationem librarum quinque pro quolibet, pro Mõte Pietatis: & habebit partem extraordinariorum ſecundum formam præsẽtium Statutorum declarandam in capitulis extraordinariorũ, de pecunijs quas fecerit peruenire in manibus Camerarij Communis Vrbiſueteris.

Item retinebitur & nõ ſoluetur ſibi ultima tertiaria de dicto eius officio donec fuerit ſyndicatus, ſiue fuerit abſolutus, ſiue condemnatus, & ſoluet cum effectu omnem condẽnationem ad quam fuerit condemnatus ipſe uel ſui Officiales abſque aliqua contradictione, & omni appellatione poſtpoſita, ſub pœna periurij, & dupli totius cõdẽnationis.

Item teneatur præſentare in publicam formam, antequã ei iuramentum deferatur, reformationem factam in generali Cõſilio loci unde eſt oriundus, quod occaſione ſui ſalarij uel ſui officij nulla fiet repreſalia cõtra Cõmune noſtrum, uel eius particulares perſonas Ciuitatis & Comitatus, ſub pœna dupli dicti ſalarij applicandi Camerę dicti Cõmunis.

Item non poterit petere aliquam refirmã dicti ſui Officij aliquo modo uia iure cauſa uel aliquo quæſito colore, ſub pœna periurij & quinquaginta ducatorum, & ita promittat.

Item per octo dies ante finem ſui ſemeſtris teneatur cõſignare DD. Conſeruatoribus omnes libros ſui Officij cum infilza & inuentario publicatos & ſigillatos, ut moris eſt, ſub pœna quinquaginta ducatorum.

Item finitis dictis ſex menſibus ſtabit continue per octo dies ad ſyndicatum cum omnibus ſuis Officialibus & familia coram Syndicis tunc deputandis, redditurus rationem adminiſtrationis ſui Officij, & pariturus ſententiæ Syndicorum: & ab eorum ſententia non appellabit uel cõtradicet tacite uel expreſſe, ſed cũ effectu ſoluet omnia quæ in dicta ſententia continebuntur abſque diminutione, & contradictione aliqua, omni appellatione remota, in quorum octo dierum numero non computetur

putetur dies reſponſionis inquiſitioni: Et per tres dies primos poſt prę dictum, poſsint porrigi omnes petitiones per quaſcumque perſonas.

Item ſoluat de ſuo ſalario dictis Syndicis & Syndicatoribus, eorum Conſultori & Notario libras uiginti denariorum, uidelicet libras quatuor cum dimidia cuilibet dictorum Syndicorum, & libras ſex Cõſultori, & libras quinque Notario.

Item non diſcedet a dicta Ciuitate quod prius non fuerit facta executio ſententiæ ferendæ per dictos ſuos Syndicos.

Item relaxabit Fabricæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris de Vrbeueteri pro dicto ſemeſtri unum pallium de ſerico, ualoris & cõmunis æſtimationis decem ducatorum auri largorum: & relaxabit noſtro Cõmuni pro dicto ſemeſtri unum targonem, & unam baleſtram ualoris & cõmunis ęſtimationis trium ducatorũ auri largorum, & plus à dicto Communi uel alijs perſonis non petet uel exiget, uel aliquis de Officialibus ſuis uel de ſua familia, ſub pœna quinquaginta librarum denariorũ pro qualibet uice, & ipſorum quolibet, omni exceptione remota: & obſeruabit omnia ad quę tenetur ſecũdum formam pręſentium Statutorum ſub pœnis in eis contentis.

Et dicta capitula ſigillata cum ſigillo Communis magno, uidelicet cum Aquila, ipſi DD. Conſeruatores teneantur transmittere dicto Poteſtati ut ſupra electo & confirmato infra decem dies poſtquã dicta cõfirmatio ad eorum manus peruenerit, & tranſmittere per unum ex eorum famulis, ſeu per Currerios dicti Communis. Qui poteſtas præſentationem ſibi factã infra triduum teneatur acceptare, & per ipſum famulum per ſuas litteras reſpondere, alias dicta electio ſit nulla & nullius efficaciæ. Et dicta die prima ſui Officij quo ſe præſentabit coram Gubernatore uel eius Locumtenente, & Conſeruatoribus & Cancellario Communis, iurare teneatur corporaliter ſcripturis manu tactis obſeruare omnia & ſingula ſupraſcripta capitula, ac etiã gubernare regere manutenere & defendere homines Ciuitatis Vrbiſueteris & Burgorũ qui modo ſunt, & in antea erunt, & eius Comitatus & Diſtrictus & obediẽtes, & ius reddere omnibus & ſingulis petentibus ſecundũ formã Statutorum: Et ubi Statutum non loquitur ſecundum Ius generale, utilia facere inutilia prætermittere bona fide & ſine fraude. Et tenere credentias de factis Ciuitatis Vrbiſueteris, & ſpecialiũ perſonarũ quæ in Conſilio, uel de ſpecialibus perſonis tractabit, & ipſas credentias nõ pandet aliquo modo niſi prius fuerint publicatę.

Item cuſtodiet & cuſtodiri faciet defendet & recuperabit ſũmarie ſine ſtrepitu & figura iudicij bona, res iura, & iuriſdictiones Epiſcopatus Ciuitatis Vrbiſueteris ad petitionem D. Epiſcopi qui pro tempore erit & nunc eſt: Fabricam Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris ad omnem

petitionem

petitionem Camerarij ipſius Fabricæ, Hoſpitale ſanctæ Mariæ de ſtella, Montem pietatis, & aliarum Eccleſiarum, ſtratas, pontes, fontes, & hoſpitalia & omnia alia loca uenerabilia & religioſa in diſtrictu dictæ Ciuitatis exiſtentia.

Item nihil accipiet per ſe uel familiam ſuam ab aliqua perſona, nec per Conſilium, uel Arrengam ultra ſalarium ſupra ſtatutum, & obſeruabit omnia ſupraſcripta, & obſeruari faciet pro ſalario ſibi ſupra cōceſſo. Et non petet nec accipiet pro ſe, nec pro eius familia aliquam aliā donationē, uel aliud ſalariū vel aliud officiū ſpeciale in aliquo Caſtro, uel Villa comitatus uel diſtrictus dictę Ciuitatis, vltra generale dominiū uel ſalariū ſibi conceſſū per dictam electionem & cōfirmationem. Et ſi Poteſtas Vicarius vel alius pro eis uel altero eorum fecerit aliquod Conſilium uel parlamentum uel aliquam præpoſitam, uel fieri paſſi fuerint, in quo eidem Poteſtati, uel eius familiæ aliquid ultra eorum iā promiſſum ſalarium promitteretur, in quingentis libris denariorum puniatur, in quibus ipſo facto incurrat & exigantur ab eo cum effectu per Syndicum Communis, qui ſi fuerit negligens teneatur ſoluere de ſuo proprio totam pœnam inqua poterit condemnari dictus Poteſtas, & nihilominus talis promiſsio non teneat ipſo iure. Et ille qui ultra ſalarium & feudum ordinarium cōſtitutum & promiſſum dicto D. Poteſtati aliquid promiſerit, uel dixerit promittēdum, in centum libris puniatur, quas infra octo dies dictus ſyndicus exigere teneatur ad pœnā prędictam, & ipſam pœnam poni faciat in introitibus Communis: Et talis arrēgans nihilominus omnibus officijs & beneficijs Communis ipſo iure per quinquennium ſit priuatus: Et ſi infra quinquennium aliquod officium uel beneficium obtinuerit, non teneat ipſo iure, & in centū libris pœnę nomine uice qualibet puniatur, à quibus pœnis uel aliqua earum abſolui non poſſit per Conſilium uel Arrengam, uel aliquem officialem Communis Vrbiſueteris.

Item nullum encenium accipiet per ſe uel aliam interpoſitam perſonam, & ſi quid ad manus ſuas uel alterius de ſua familia peruenerit reſtituet uel reſtitui faciet infra triduum Camerario Communis, nec in ſuum uſum, uel alterius de ſua familia conuertetur: Nec comedet, nec patietur aliquem de ſua familia comedere cum aliqua perſona Vrbeuetana Clerico uel Laico in Ciuitate Vrbeuetana, uel prope per quatuor miliaria, nec bibet in Ciuitate uel burgis: Et ſi contra fecerit perdet de ſuo ſalario quiquaginta libras pro qualibet uice.

Item non uendet nec alienabit, nec erit in dicto uel facto quod aliquid relaxetur concedatur uel dimittatur de tenimento dictæ Ciuitatis uel eius comitatus & diſtrictus, quod Commune Vrbiſueteris habuit & poſſedit, ſpecialiter etiam de domibus, terris, uineis, ſiluis, paſcius

ſcuis pratis & rebus hæreticorum acquiſitis Communi & aliis à dicta Ciuitate detentis, ſaluo Conſilio generali ſuper rebus Communis obligandis uel alienandis, præcedente trino Conſilio generali uariis diebus, & in eis obtento ad partitum ut moris eſt.

Item nullam prẹſtantiam recipiet ab aliqua perſona Ciuitatis, uel comitatus Vrbisueteris in pecuniis uel aliis rebus, exceptis pãnis de lecto & maſſaritiis, quas liceat conducere ad uecturas & non gratis, & coacte. Et qui tales prẹſtantias uel aliquam earum fecerit, per futurũ Poteſtatem uice qualibet puniatur in dicta pœna.

Item retinebit equos ſua electione deſcriptos & ſpecificatos ad omnem ſuã fortunam & reſicũ, niſi morirentur uel magagnarentur in battaglia quãdo fieret pro Cõmuni: & ẹſtimentur dicti equi per ẹſtimatores Cõmunis, & ſcribãtur in libro Communis, & ponantur eorũ ſigna & pili, & nemini de dictis equis cõmodabit ſub dicta pœna, & periurij.

Item dictam eius familiam quolibet menſe aſſignabit in Cõſilio dictæ Ciuitatis, ad pœnam uigintiquinque librarum.

Item continuam reſidentiam faciet in Ciuitate prædicta, & ſi contigerit ſe abſentare cum licentia DD. Conſeruatorum, præterquã pro facto Communis, deducatur & diminuatur de eius ſalario tantũ quantum contigerit pro rata temporis abeſſe.

Item nec coget Camerarium Communis aliquid facere contra ſuũ officium, vel iuramentum.

Item ſi præſens Statutum per ſingula capitula nõ obſeruauerit, & requiſitus non emendauerit illicite geſtum vel prẹtermiſſum, poſt depoſitum officium centum ducatos auri perſoluet, & damnũ illis quibus ſecerit emandabit, ipſorum iuramento & declarationi ſtabit: Quicunque vero uoluerit petere à Poteſtate, vel ſua familia quod ab eo illicite extorſit vel extorqueri fecerit, liceat petere ſine pœna & ſine aliqua expenſa perſoluenda:

Item ſtabit per octo dies, depoſito officio, in Ciuitate Vrbeuetana ad ſyndicatũ cũ tota ſua familia reſponſurus de omnibus quæ peterẽtur ab eo de ratione ſuæ adminiſtrationis & familiæ: & ſi per ipſũ vel eius curiã ſteterit quominus dictus ſyndicatus in totum vel in partem non potuerit fieri, tot dies addantur prædictis octo diebus, per quot ſteterit per eum quo minus dictus ſyndicatus fuerit perfectus & factus.

Itẽ nec petet vinculo iuramẽti per ſe uel aliũ, nec permittet quod ſyndicetur ipſe uel aliquis de ſua familia infra tẽpus ſui regiminis, uel quod minuatur: & ſi contrafecerit conceſſio ſiue licentia non teneat ipſo iure, nec poſſit de hoc abſolui per aliquod Cõſiliũ, uel Arrengam, uel aliquem officialem Communis: Et ſi quis arrengauerit quod ſyndicari fiat infra tempus prædictum, in ducentis libris per futurum Poteſtatẽ

ſtatem puniatur,quam pœnam exigere,& non reſtituere teneatur, & habeat medietatem pœnæ,& ſi non fecerit, de ſuo proprio, poſt depoſitũ officium,dictam pœnam ſoluat: Et nihilominus talis arrengator omnibus officijs,& beneficijs Ciuitatis, & comitatus per quinquennium ſit ipſo iure priuatus,adeo quod ſi infra quinquennium aliquod officium, uel beneficium conſequeretur,non teneat ipſo iure,& in centum libris, pœnæ nomine puniatur, & depingatur in palatio Communis, cum ſuo nomine, & pronomine, & delicto, tamquam proditor Communis, & a prędictis pœnis, uel aliqua ipſarum non poſſit abſolui per Conſilium, uel arrengam,uel aliquem officialem Communis: Et quilibet de DD. Conſeruatoribus qui talem propoſitam fieri conſenſerit, uel permiſerit, in pœnam quingentarum librarum condemnetur Communi Vrbeuetano ſoluendã: Et ſi Poteſtas, uel aliquis ex officialibus receſſerit, ijs omnibus non ſeruatis, incontinenti ſignificetur terræ, uel Ciuitati Vnde fuerint,per litteras Communis,& petatur quod ipſum remittãt ad obſeruandũ quod promiſit, & nulli aliquid dederit, uel promiſerit per ſe,uel alium,occaſione dictæ Poteſtariæ, uel officij.

Item iurabit per idem ſacramẽtum,quod de terris,& caſtris ſuę iuriſdictionis,uniuerſos hęreticos,pro uiribus,extirpabit,nec prędictis hęreticis ab Eccleſia denotatis auxiliũ,uel cõſiliũ dabit:Nec ducat ſecũ aliquem officialẽ qui fuerit Patarenus, uel infamatus aliquo crimine hęreſis,nec aliquã qui fuerit aliquo tẽpore occaſione homicidij cõdẽnatus: Et ſi cõtrafecerit,teneaẽ dictũ officialẽ expellere ad pœnã cẽtũ librarũ.

Item omnibus Cõſilij intererit,niſi eſſet perſonaliter impeditus, aut abſens pro factis Communis,& pulſata cãpana tribus uicibus incontinẽti ad Cõſiliũ ueniet: Et Poteſtas teneatur præſens capitulum quolibet menſe legi facere in publico,& generali Conſilio.

Item nullus Ciuis comitatiuus, vel diſtrictualis comedat, vel bibat cũ dicto Poteſtate,uel aliquo officiale in Ciuitate, uel burgis, ad pœnã uigintiquinq; librarũ,in qua per fururũ Poteſtatẽ quilibet cõtrafaciens puniatur,exceptisNotarijs cauſarũ ciuilium ipſius Poteſtatis:Et hoc pręſens capitulũ ſit præciſum in qualibet parte ſui,&tolli, vel mutari nõ poſſit per Conſilium,uel arrengam,uel aliquem officialem Communis.

Item teneatur,& debeat oĩa,& ſingula pertinẽtia, & ſpectãtia ad ſuũ officiũ facere pro ſalario ſibi conſtituto: Et ſi contigerit ire, uel mittere aliquẽ de ſua familia,ꝓ aliquo proceſſu, inquiſitione,uel aliquo alio ad eius officiũ pertinẽte, uel cohærẽte, nihil ſub nomime expẽſarũ,uel quocunq; alio colore quæſito,ab aliqua cõmunãtia,vniuerſitate,uel ſingulari ꝑſona petere,exigere,uel recipere poſsit:Et ſi cõtrafecerit, quatruplũ reddere compellatur eius quod acceperit ,& in quinquaginta libris denariorum Communi Vrbeuetano ſoluendis, puniatur: In quibus

pœnis,& reſtitutionibus ſyndici qui fuerint deputati ad tale officium teneantur condemnare, & ſuper ipſis procedere poſſint, tam ex eorũ officio,quam ad denunciã,uel accuſam cuiuſlibet deferentis,&ſufficiat in hoc ſacramentum denunciantis,uel deferentis, cum probatione publicæ famæ: Dictus Poteſtas,uel aliquis ſuus officialis nõ poſſit mittere aliquem ſuum officialem, uel familiarem in comitatu ad grauandum aliquamſingularẽ perſonam,uel ſyndicum dicti Pleberij, niſi faciat requiri duabus uicibus per balitores Communis Vrbiſueteris, ſub pœna centum librarum.

Item quęlibet Vniuerſitas cuiuſlibet Caſtri,uel Pleberij comitatus, Vrbiſueteris debeat habere unum ſyndicũ, qui ſit de ipſa Vniuerſitate, quorum ſyndicorum nomina dentur in ſcriptis DD. Conſeruatoribus, & D.Poteſtati,ut quando neceſſe fuerit aliquid fieri per dictas Vniuerſitates, in continenti notificetur dictis ſyndicis.

Item non poſſit dictus Poteſtas retinere aliquem coactum iniuſte,& ſine cauſa,ad pœnam uigintiquinque librarum denariorum proquolibet die,& qualibet uice,& nihilominus damnum emendet dicto iniuriato,tam de damno,quam de iniuria,etiam ſi tenuerit per aliquod temporis ſpatium,& poſito tali in carceribus,etiam ſi in eodem die,uel paulo poſt extraheretur, dummodo eadem die extrahatur, Poteſtas incidat dictam pœnam, quæ, ſi Poteſtas,uel per diem,uel paruulũ temporis ſpatium retinuerit,poſsit moderari per ſyndicos:Et ſi prædicta commiſerit contra aliquem Nobilem, Notarium, uel Ciuem habentem ualorẽ quinquaginta librarum, in duplum puniatur & condemnetur.

Item teneatur dictus Poteſtas ſedere ad bãcum cum ſuo Collaterali, & Milite ſaltẽ die Lunæ,& die Iouis:Et non debeat ſecum ducere uxorẽ uel alias feminas in palatio, ad pœnam centum librarum: Et teneatur ire quolibet die feſto præcepto ad Eccleſiam, ad ſociandum DD.Conſeruatores quando uadunt ad diuina officia audiendum,& tam in reditu,quam in eundo debeat uenire uſque ad palatium.

Item non permittet quod ſoluatur aliqua executio per aliquem,niſi prout infra de officio Militis continebitur.

Item nõ dabit aliquã ſententiã abſolutoriã per quindecim dies ante finẽ ſui officij: Et omnia inſtrumenta, uel ordinamẽta quæ reperirẽtur loquentia de Vicario, uel de Capitaneo, intelligantur de Poteſtate.

Item dictus Poteſtas teneatur, & debeat in introitu palatij ſuæ ſolitæ reſidentiæ, facere & fieri facere inuentarium de omnibus rebus palatij manu primi Notarij cauſarum ſuæ curiæ, & ſibi facere conſignare in publicam formam: Quod inuentarium teneatur conſignare ſyndicis, tempore ſyndicatus, & conſignare omnes res in eo deſcriptas ſyndico Communis effectualiter, & de conſignatione

appareat

appareat manu Notarij Syndicorum, in quo inuentario fiẽdo interueniat unus ex dictis Conſeruatoribus cum Syndico Communis.

Item ſupraſcriptus Poteſtas habeat, durante tempore ſui Officij, in omnibus & ſingulis cauſis tam ciuilibus, quam criminalibus merum & miſtum Imperium & gladij poteſtatem, liberum arbitrium & baliã, ſaluis tamen omnibus in præſenti ordinamẽto, & in pręſenti volumine Statutorum deſcriptis: Et poſsit mulctare inobedientes arbitrio ſuo vſq; in quantitatẽ ſolidorũ quatraginta pro qualibet uice, & nõ vltra.

Item non poſsit cogere aliquem de dicta Ciuitate uel Comitatu ad portandum ſibi ligna, uel aliud grauamen.

Itẽ ꝙ in debitis & cauſis ciuilibus & pecuniarijs ipſe Poteſtas, uel aliquis de eius familia non poſsit nec ualeat aliquo modo facere aliquam executionem contra aliquem, niſi fuerit commiſſa per Iudicem, vel per D. Gubernatorem dictę Ciuitatis, & hoc apparuerit ad baſtardellum Militis, ſiue per bullectinum D. Gubernatoris: Et ſi contigerit quod aliquis impetrauerit per ſupplicationem ſeu bullectinum ab aliquo Superiore quod poſsit dare per extractũ eius debitores in genere, uel in ſpecie, uel eos facere grauari: quia ſuperioribus pares eſſe nõ poſſumus, & ex alio latere defenſio non eſt aliquo modo auferenda, talis Poteſtas ſiue Officialis qui habuerit tale bullectinum ſiue reſcriptũ, teneatur tales debitores citari facere, & ipſis oſtendere tale bullectinũ uel reſcriptũ: & ſi uoluerint opponere dare ſibi terminũ ad opponendum: & ſi noluerint opponere ſed negarent debitum, dare terminum ad probandum: Et ſi confeſsi fuerint, aliquam dilationem concedere ad ſoluendum: Et omnia iſta debeant apparere manu Notarij cauſarum dictę Curiæ: Et ſi quis impetrauerit bullectinum uel reſcriptum, in quo officialis liberaretur ab obſeruatione prędictorũ, dictus impetrans careat beneficio Statutorum & priuilegiorum dicti Communis, & non debeat audiri in alijs ſuis cauſis, & contra ipſum poſsit procedi in omnibus ſuis cauſis, non ſeruato ordine Iuris, & Statutorum, ſalua tamẽ ſemper Eccleſiaſtica libertate, & ſuperioris arbitrio: Et prędicta locum nõ obtineant in cauſis Fabricę, in debitoribus Communis, uel Fiſci, in debitoribus hoſpitalis, in debitoribus gabellarũ: Et dictus Poteſtas non poſſit facere aliquod Conſilium ſine pręſentia DD. Conſeruatorum, ſub pœna quinquaginta librarum.

Item, durante tẽpore ſui Officij, nõ poſſit emere aliqua bona ſtabilia in Ciuitate uel Comitatu, ad pœnã ſupraſcriptam: Et si dictus Poteſtas, uel aliquis de ſua familia aliquẽ uerberauerit, uel aliquod aliud maleficium commiſerit, de quo in præſenti ordinamento nõ eſſet particularis pœna apposita, puniatur in quatruplicata pœna, qua puniretur alter qui tale delictum commiſiſſet.

De iuramento Iudicis Poteſtatis. Rub. IIII.

IVdex Poteſtatis electus ſecundum formam præſentium Statutorum teneatur, antequam ſuum Officium incipiat exercere, iurare ad ſancta Dei Euangelia quando iurat Poteſtas in manibus Gubernatoris, ſeu eius Locumtenentis dictæ Ciuitatis, eſſe fidelem S. D. N. PP. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Mag. Populo Vrbeuetano, & obſeruare Statuta pręſentia per ſingula capitula ipſius voluminis, & cõſuetudinẽ approbatam, & ſecundum ipſa iudicare in ciuilibus & criminalibus cauſis: ijs autem ceſſantibus obſeruare ius generale & ciuile: Erit contentus ſalario ſibi ſtatuto à Poteſtate, & plus nõ exiget uel accipiet per ſe, vel aliũ aliquo ingenio uel cauſa: Et de omnibus litibus cognoſcet, & aliũ ſalarium ſeu ſportulas non accipiet pro aliqua ſententia à Communi, vel ſpecialibus perſonis: Et ſi quis præſumpſerit corrumpere, quam citius poterit manifeſtabit in Conſilio generali dictæ Ciuitatis, & eum puniet ſecundum formam Statutorum: Et ubi talis caſus non reperiretur, in centum libris denariorum ipſum puniat: & iurabit Poteſtatem ſeruare Statuta dictæ Ciuitatis, & iuramentum ipſius: Teſtes in criminalibus cauſis per ſe non per aliũ examinabit, ac etiã in ciuilibus cauſis, niſi partes conſenſerint vt ſine ipſo examinentur in ciuilibus: Et ſi quos compererit produxiſſe falſos teſtes, uel falſa inſtrumenta, condẽnabit in pœnis Statutorum, & in eadem pœna teſtem productum. Motũ ſui animi non manifeſtabit, tranſactiones de conſenſu partium bona fide abſque aliquo ſalario, ut melius cognouerit, faciet: Et ſi teſtis eſſet impeditus aliqua infirmitate, uel egregia perſona, ita quod non poſſet venire ad Curiam, illum teſtem recipi faciet in loco ubi fuerit impeditus, expenſis & uecturis producentis, ſi teſtis erit ſubiectus noſtræ Iuriſdictioni: In teſtibus autem recipiendis ius ſeruetur, & ſi partes eſſent concordes mittere Notarium ad teſtes recipiẽdos, eorum expẽſis poſſint. Qui Notarius à partibus ſi cõcordauerint eligatur, alias à Iudice: Item cauſas diffiniet infra inſtantiam Statutorum tam in ciuilibus, quam in criminalibus cauſis ſub pœnis in dictis Statutis contentis: Et non poſsit cogere partes ad dandum aliquod ſalarium Conſiliario niſi de partium uoluntate, & hoc in ciuilibus cauſis, in quibus dictus Iudex teneatur ſeruare Statuta poſita ſub Rubrica de Conſilio ſapientis in cauſa dando: In cauſis uero criminalibus non poſsit aliquo modo ipſas cauſas tranſmittere ad Conſilium ſapientis ſub pœna periurij, & ducentarũ librarũ denariorum: Sẽtentias, condemnationes, lauda, arbitramenta rite data & lata executioni mandabit, niſi pẽderet per appellationẽ, & niſi lauda & arbitria petita eſſent reduci ad arbitrium boni uiri infra decem dies, à die lati arbitrij ſeu laudi computandos, ſi partes eſsẽt præ

ſentes: ſi uero eſſent abſentes, à die notificationis factæ per Notarium rogatũ in præſẽtia duorũ teſtiũ perſonaliter, vel domi eius ſolitę habitationis: Et ſedebit de mane qualibet die iuridica ad iura reddendum vnicuique poſtulanti ad ſuum ſolitum tribunal, incipiẽdo ſedere ſecunda hora diei, & poſt pulſationẽ campanę Palatij Poteſtatis, & inde non diſcedat donec audierit, & ius reddiderit omnibus adſtantibus, ad pœnã decẽ librarum pro qualibet die qua contrafecerit: Et in decretis interponendis bene aduertat ut nemini iniuria inferatur, & minores nõ lędantur: Et in conceſsione tutelarum habeat bonã informationem de ipſo tutore ſecũdum formam Statutorum de tutore loquentium: & de quolibet decreto interponendo non recipiat ultra decem ſolidos, & de ſecundis decretis nihil recipiat: Si autem contigerit accedere ad uidendum locum alicuius differẽtiæ in Ciuitate, nõ recipiet ultra triginta ſolidos denariorũ: in Comitatu uero habeat ſexaginta ſolidos pro qualibet die, ultra expenſas & ſalarium equi, expẽſis ipſum ducẽtis: De examinatione teſtium dictus Iudex in ciuilibus non recipiet ultra quatuor ſolidos pro quolibet teſte ꝑ ipsũ examinãdo: de teſtibus vero examinãdis in criminalibus qui producerẽtur ad defensã, uel per accuſatorẽ nõ recipiet vltra quatuor ſolidos pro quolibet teſte, & de alijs teſtibus qui producerentur à querelante uel denunciante ex debito ſui officij, nihil recipiet à Communi, uel ſpecialibus perſonis: Et nihil aliud recipiet ab aliqua perſona, niſi quinque ſolidos pro taxatione expenſarum, & debeat patienter audire Aduocatos, & Procuratores partium.

De iuramento Militis ſocij, & eius Officio, & executione. Rub. V.

Poteſtas teneatur iurare facere ſuum Militem ſocium ſeu milites ſocios, Notarios, & aliam familiam eo die quo ipſe Poteſtas iurauerit ad ſancta Dei Euangelia coram Gubernatore, ſeu Conſeruatoribus dictæ Ciuitatis, eorum officia bene & diligenter exercere die noctuq; in Ciuitate, & Comitatu: & tenere credẽtias de ijs quæ audierint de priuatis Cõſilijs donec fuerint publicata, & recte cõſulere, & nihil recipere per ſe uel aliam perſonam, ultra eorum ſalarium, & ultra formam præſentium Statutorum: Et quandocũque factum ſeu negotium eis fuerit commiſſum uel alteri ipſorum, recte & lealiter facere & obſeruare: Et unus dictorum Notariorum habeat curã ſuper uijs, põtibus, & fõtibus dictę Ciuitatis, cogere ſuperſtãtes impoſitos ſuper prędictis ad explendum, ſub pœna centum librarum denariorũ: Teneatur dictus Miles dare auxilium & fauorem dicto Notario, & ſuperſtantibus ſuper prædictis ad exequendum, & denarios exigendum, & alia neceſſaria faciendum ad petitionem cuiuſlibet poſtulantis: Et dictus Miles teneatur

neatur exequi omnes ſentẽtias & condẽnationes in criminalibus cauſis ferendas tẽpore ſui Officij, abſque aliqua mercede ſeu ſalario: De cõdemnationibus uero latis ante ſuum officium, ſi eſſent quãtitatis & ſũmę uigintiquinque librarum uel ab inde infra, non poſsit recipere vltra decem ſolidos, ab inde uero ſupra uſque ad cẽtum libras, ſolidos quindecim, ab inde uero ſupra pro quolibet centenario librarum condẽnationis, habeat decẽ ſolidos pro quolibet centenario librarum cuiuſcũque quantitatis eſſet: Et prædicta obſeruẽtur in executionibus quę fierent in Ciuitate & eius cortina tam contra Ciues, quam cõtra Comitatiuos uel forenſes: In Comitatu uero duplum recipere poſsit: Et hoc intelligatur de executionibus effectualiter factis, & de quibus peruenirent ad manus Camerarij Communis: Et ſi contigerit quod poſt commiſſam executionem, uel datum extractũ dicto ſocio militi, aliquis debitor vel condemnatus, ante executionem factam, ſatisfaceret ſuo creditori, & de ipſa ſatisfactione fecerit fidem dicto militi manu creditoris, uel alio legitimo modo, dicto caſu dictus miles nullam executionẽ recipere poſſit: Et hoc intelligatur quando dicta fides fieret ante dictã factã executionem: Et hoc habeat locum tam in debitoribus Communis & condemnatis pecunialiter, quam in debitoribus priuatarum perſonarum: Et ſimiles executiones recipiat modo & forma ſupraſcriptis in quibuſcumque condemnationibus damnorum datorum, & plus recipere non poſsit ſub pœna quatrupli: In ciuilibus uero cauſis de ijs quæ mitterentur ad baſtardellum ipſius militis per manus Notarij cauſarũ, uel quæ comitterentur per bullectinum D. Gubernatoris, uel Locumtenẽtis, cuiuſcumque fuerint quantitatis, nõ poſsit recipere ultra decẽ ſolidos, & in Comitatu duplum cuiuſcumq; quãtitatis eſſent: De executionibus uero quæ comitterentur per Conſules artium, ſi eſſent à decẽ libris infra vnũ ſolidum pro qualibet libra, ab inde uero ſupra cuiuſcũque quantitatis eſſent, decem ſolidos recipere poſsit & non ultra: De executionibus vero quas faceret ad inſtantiã Camerarij Communis cõtra gabellarios uel alios debitores cuiuſcumque quãtitatis eſſent, decem ſolidos pro quolibet & non ultra: De datiuis uero ſalis tertiariarũ, & alijs impoſitionibus, unum ſolidum pro qualibet libra quam fecerit peruenire ad manus Cõmunis uſque ad quantitatem decem librarũ, ab inde uero ſupra cuiuſcũque quãtitatis eſſet recipere poſsit quindecim ſolidos pro omni executione fienda, ꝑ dictis cauſis tam cõtra Ciues, quã contra Comitatiuos & forenſes: Et non poſsit dictus miles portare vel portari facere aliqua pignora ad Palatium ſuæ ſolitæ reſidẽtiæ, ad pœnam decem ducatorum pro quolibet pignore: ſed illa cõſignare & cõſignari facere Depoſitario deputãdo, & nõ poſsit accipere pro pignore pannos de lecto, uel aliqua arma, uel aliquod genus ferramentorũ de

quibus

quibus fieret laboritiũ: Nec poſſit perſonaliter capere pro cauſa ciuili aliquã mulierem bonæ famę, ſed ſi aliqua mulier eſſet debitrix, fiat executio realis contra eam, ſi eſſent bona valentia, ſin autem, dicta mulier ponatur in aliquo monaſterio bonarum monialium, & inde vſque ad integram ſatisfactionem debiti non exeat: Et ſi contigerit quod aliquis debitor captus ſiue detentus fideiuſſerit vel promiſerit non diſcedere de palatio, vel habuerit terminum a ſuo creditore poſt factam executionem cum pacto de reincidentia, & diſceſſerit de palatio, vel non ſoluerit infra terminum, et propter hoc fuerit iterum captus, tunc non poſſit habere dictus Miles niſi medietatem ſupradictarum limitationũ: Et idem intelligatur ſi ipſo debitore exiſtente in carceribus fuerit commiſſa contra ipſum alia executio, ſiue fuerit refirmatus: Et quod dictus Miles in nullo caſu accipiat aliquam executionem, niſi primo fuerit ſatisfactum creditori effectualiter, vel ſaltem ipſe debitor ſe compoſuerit cum ſuo creditore, & de voluntate creditoris relaxatus, et hoc conſtet ipſi Militi manu creditoris, uel alio legitimo modo: Et quod dictus Miles debeat annotare in eius baſtardello, ſiue bullectinis, ſiue extractibus in quibus apparerent dicti debitores deſcripti, omne id, & totum quod per ipſum factum fuerit ſub milleſimo, menſe, & die, declarando qualiter debitor fuerit executus, & qualiter relaxatus, ita & taliter quod creditori ſit cautum, & debitor non defraudetur ab ipſo Milite, & non poſſit recipere per uiam depoſiti, uel aliam uiam, aliquam pecuniam debitam, uel aliam rem: Sed ſi debitor uoluerit depoſitare, faciat depoſitum apud Notarium Bancę, & de hoc etiam faciat mentionem dictus Miles: Et ꝙ dictus Miles, Poteſtas, uel alij officiales non poſſint per uiam executiotionis, uel aliam uiam, aut aliquo quæſito colore aliquid recipere ab aliqua perſona quæ caperetur, uel detineretur in carceribus prętextu alicuius maleficij inueniendi, tam contra ipſum captum, quam alias perſonas, niſi ſolummodo expenſas quas ipſe faceret, reuidendas & taxandas per DD. Conſeruatores dictæ Ciuitatis: Item quod dictus miles teneatur ad inſtantiam Conſulum Artium, & Vniuerſitatis dictæ Ciuitatis, facere executiones reales & perſonales contra omnes & ſingulos artifices illius artis, & ſi non faceret, teneatur ſoluere de ſuo dictis Cõſulibus: Et prędicta intelligantur habere locum in omnibus officialibus cuiuſcunque curiæ dictæ Ciuitatis, qui facerent executiones in caſibus prædictis: Et ſi cõtingeret aliquis caſus in quo non eſſet declarata, uel taxata executio, tunc dictus Miles & officialis teneantur ſtare declarationi DD. Conſeruatorum pro tempore exiſtentium, qui habeant taxare & declarare de ſimilibus ad ſimilia, ſecundum eorum conſcientiam.

DE

De electione, iuramento, & officio Cancellarij Communis. Rub. VI.

CAncellarius Communis in primo generali Conſilio fiendo poſt introitũ futuri Cãcellarij eligatur hoc modo, videlicet: Quod facta propoſita per DD. Conſeruatores in dicto Conſilio de nouo Cancellario eligendo, & data licentia cõſulendi, & miſſi ad partitũ & obtenti per duas tertias partes, vt moris eſt, tres qui habuerint maiorem numerum fabarum del ſic, intelligantur electi ad dictum officium, & fiat electio in forma de dictis tribus ad S.D.N. Quorum unum Sanctitas ſua ſecundum priuilegia dictæ Ciuitatis hactenus obſeruata, confirmare dignabitur, & habita confirmatione mittantur capitula ad dictum talem electum, & cõfirmatum in huiuſmodi ſubſtantia, uidelicet: Quod dictum eius officium duret per annum, & durante eius officio ſcribet die noctuque omnia pertinentia ad eius officium, & continuam reſidentiam faciet in Palatio DD. Conſeruatorum, & inde non diſcedet ſine licentia DD. Conſeruatorum, & ſcribet omnia ordinamenta, decreta, & reformationes Conſiliorum, & etiam ea quæ per DD. Conſeruatores prouiderẽtur, ordinarentur, & decernerentur, aut fierent, & per quaſcunque alias perſonas, quę ex forma, uel uigore commiſſionis dictorũ DD. uel Conſiliariorum aliquid haberent ſtatuere, facere, diſponere, uel ordinare, & omnes bullectas, uenditiones gabellarum, electiones, & omnia alia quę per officium DD. Conſeruatorum, uel per aliquod Conſiliũ dictę Ciuitatis committerentur eidem: Eius ſcripturis plena fides habeatur, etiam ſi per alium Notarium ſcribi mandaret, uel committeret, quę ad officium ſuũ pertinent, dumtamẽ eius ſubſcriptio appareat ſcripturę ſuppoſita, & quod prętextu teſtium non appoſitorum ſcripturis, contra talem ſcripturam opponi non poſſit: Et tenebitur in introitu ſui officij, antequam illud incipiat exercere, prężentare DD. Conſeruatoribus pro tẽpore exiſtentibus pro dicto Communi, pro ornamẽto palatij ipſorum DD. Conſeruatorum, unam pateram argenteam ponderis octo unciarum, & decem ligarum: Et habebit a dicto Communi Florenos ſex pro quolibet menſe ad rationem librarum quinque denariorũ, pro quolibet Floreno a Camerario Communis, atramentum, ceram, chartas, uernicem, & candelas de ſeuo, & alias res neceſſarias ad officiũ exequendũ, & ultra nil ratione ſui officij uel laboris percipere, uel habere poſſit a dicto Communi, aut petere, niſi quatenus per pręfatũ Conſilium ordinaretur, ad pœnam uigintiquinque librarum denariorum: Et teneatur dictus Cancellarius antequam dictum officium incipiat exercere, fidem fieri facere de eius notariatu per publicum inſtrumentum: Et finito tẽpore ſui officij relaxare libros publicatos dicto Communi

de om-

de omnibus geſtis tempore ſui officii, quilibet Notarius poſſit ipſas ſcripturas copiare, & publicare, quibus ſcripturis ſic publicatis, & tranſumptis plena fides habeatur, ſicut ipſi authenticæ ſcripturæ: Et quod per nullum alium Notarium ipſæ originales ſcripturæ ſcribi poſſint niſi per eum, vel alium Notarium, cui ſcribendum commiſerit, accedente ſubſcriptione prædicta: Et teneatur in principio cuiuſlibet Conſeruatoratus legere, & notificare eiſdem Statutum ſupra poſitum de eorum officio: Et ſe non intromittet aliquo modo ad caſſandum condemnationes, ſed illas caſſari permittet per Notarium Camerarij: Poſſit tamen dictus Cancellarius habere pro ſingula electione ſex menſium Poteſtatis cum capitulis, Florenos duos auri: Pro eldtione Medici cum capitulis, unum Florenum auri: De bullectis autem Ciuium, & litteris, nihil percipiat: De fidis autem beſtiarum poſſit recipere pro qualibet bulleda duos ſolidos: Pro qualibet exemptione in publicam formam data, ſolidos triginta: Et de caſſaturis, & remiſſionibus familiæ Poteſtatis, quatuor ſolidos pro quolibet, & totidem pro remiſſione: Et permittet omnes Notarios Ciues, qui uellent copiare aliquas ſcripturas de libris Cancellariæ, & de Archiuio Communis, vt ipſas extrahant, & publicent, & faciant inuentarium de omnibus libris, & rebus Cancellariæ, & ſic in fine ſui officij conſignabit: Et non accedet ad domum alicuius Ciuis, uel Nobilis, & alicuius ex Conſeruatoribus, niſi mitteretur per DD. Conſeruatores: Et non ſcribet aliquas litteras ex parte Communis, niſi ſibi commiſſum eſſet per omnes Conſeruatores, excepto quando aliquis ex ipſis eſſet abſens, quod poſſit accedente conſenſu cæterorum præſentium: Et non ſcribat aliquas litteras ſub pœna falſi, uel aliquam ſcripturam, quæ contineret proprium ſuum commodum: Sed quando caſus ueniret, quod propter eius virtutes, & benemerita aliquid pro parte Communis ſcribendum eſſet, ſcribatur per alium Notarium: Ab officialibus uero Caſtrorum noſtri comitatus, & diſtrictus, pro qualibet patente nō recipiat ultra decē ſolidos, Et a dicta ſolutione, Notarij Ciuitatis ſint exempti: Et teneatur ad omnem requiſitionem Camerarij fabricæ, punctaturas Poteſtatis, & omnes ſcripturas pertinentes ad ipſam fabricam copiare, & publicare abſque aliqua ſolutione: Et ſic de ſcripturis pertinentibus ad Montem Pietatis, & Hoſpitale ſanctæ Mariæ de ſtella: Et ſi contigerit ipſum confirmari in officio, pro qualibet refirma dare teneatur pateram ſupradicti ponderis, & ligarum: Et ſic in manibus Domini Gubernatoris, & Conſeruatorum dictæ Ciuitatis iurabit ad ſancta Dei euangelia eius officium exercere, & eſſe fidelem S. D. N. Et ſanctam ſedem repræſentantibus, & dicto Mag. Communi Vrbeuetano, & obedire mandatis D D. Conſeruatorum

torum, & non poſſit numerare fabas alicuius Conſilij, niſi uidentibus omnibus Conſeruatoribus, quæ ſint nigræ, & quæ ſint albę, Et ſi eſſet nox, vel obſcuritas, debeant adhiberi duo luminaria, vt bene cognoſci poſſint, & nihil aliud recipere poſſit a dicto Communi, uel ſpecialibus perſonis, ultra ſupraſcripta: Et ſtabit contentus ſupraſcripto ſuo deputato ſalario:

De officio Tubatorum Communis. Rub. VII.

PRæcones, & Tubicines Communis ſtabunt cōtenti eis deputato ſupraſcripto ſalario, & ueſtibus, & ſtabūt ad cōtinua ſeruitia DD. Conſeruatorum, & pulſabunt tubas ante, & poſt comeſtionē ipſorū dominorū, vt moris eſt, ſingulis diebus, exceptis diebus Veneris, & faciāt omnia bannimenta, & ſubhaſtationes, & exbānimenta quę fient ex cōmiſſione DD. Conſeruatorum, vel D. Gubernatoris, & Poteſtatis, & pro ipſis nihil recipiant, nec recipere poſſint, Tamē in venditionibus pignorum Communis recipere poſſint unum ſolidum pro quolibet pignore, & ab emptoribus bonorum quæ ſubhaſtarentur (exceptis tenutis) duos denarios pro quolibet floreno: De tenutis uero quæ uenderentur in aliqua curia, duos ſolidos pro quolibet banno: A Montepietatis pro quolibet menſe, inter omnes, pro ſubhaſtationibus pignorū per eos fiēdis, ſolidos decē: A fabrica ſanctæ Marię, & Hoſpitali, pro omnibus bannimētis per eos fiēdis, totidē pro quolibet menſe: Et nihil aliud recipere poſſint occaſione eorum officij, tam a Cōmuni, quam a ſpecialibus perſonis: Et quando eleuatur corpus Chriſti, ubi reperirentur Conſeruatores, teneantur pulſare tubas, ut moris eſt, ad pœnam uiginti ſolidorum, pro quolibet, & uice qualibet.

De officio Maſſarij Communis. Rub. VIII.

MAſſarius Communis ſingulis annis extrahatur per buſſulum, & eius officium duret per annum, Qui ſit uigil circa ædificia Communis, & maxime Palatij DD. Conſeruatorum, Palatij Poteſtatis, circa mœnia Ciuitatis, & circa tecta ipſorum Palatiorū, & circa pontes, & murum fontis, & alios fontes Cōmunis: Et ſi quid repererit quod minaret ruinam, uel reparatione indigeat, notificare teneatur DD. Cōſeruatoribus toties, donec fuerit reparatum: Et quando per Poteſtatem uel eius familiam aliqua iuſtitia fieri deberet, expenſis Communis procurabit omnia neceſſaria: Et faciet inuentarium de omnibus rebus Palatij Poteſtatis, & aquęductus, ſaltem bis in anno, & erit ſolers in uidēdo ne arbores, uel hederę cadere faciant mœnia Ciuitatis, & murum fontis: Et habebit pro eius ſalario ſingulo menſe a Camerario dicti Communis quadraginta ſolidos denariorum, & non ultra.

De

De electione Camerarij Communis, & ſui Notarij, & eorum officio. Rub. IX.

IN generali Conſilio dictæ Ciuitatis quando extrahuntur Conſeruatores, extrahatur una palluċta Camerarij, & Notarij de buſſulo fiendo iuxta formam Statutorum, quorum officium duret pro duobus menſibus, ſicuti officium Conſeruatoratus: Et ad dicta officia non poſſit eligi, vel deputari aliquis nobilis, uel natus de aliquo nobili, & qui non habeat valentiam ducentorum florenorum in bonis ſtabilibus: Et habeant dicti Camerarius, & Notarius pro dictis duobus menſibus libras triginta denariorum pro quolibet ipſorum: Et Camerarius teneatur facere refutationem de pecunia quam receperit pro Communi omnibus petentibus, & volentibus, ſine pretio, ad pœnam centum ſolidorū pro qualibet vice: Et teneatur dictus Camerarius ſoluere omnes bullectas ordinarias tēpore ſui officij, & ipſis ſolutis cum licentia D. Gubernatoris, & Conſeruatorum ſatisfacere alijs creditoribus Communis, ſoluendo per prius tamen qui fabricaſſent in palatijs, ſtratis, fontibus, & alijs ædificijs Cōmunis: Et ipſe Camerarius conſeruet, & manuteneat, ac cuſtodiat pecunias, & res quę ad manus eius pro ipſo Communi peruenerint, uel peruenire debuerint, bona fide, & ſine fraude, & recolligere quaſcunq; pecunias gabellarū, & omniū aliorū introituum, & ſalaria, lucra, & debita quę debentur ipſo Cōmuni: Et ſtabunt contenti eorū ſalario ipſe, & eius Notarius, nec plus exigent per ſe, uel aliū aliquo modo, quam in Statutis contineatur: Et ſi qua pignora ad eorum manus peruenerint pro factis Cōmunis, facta requiſitione de illo cuius fuerint pignora, ut ea recolligat, ſi cauſa eſſet deciſa, & debite eſſet facta executio, ſi nō recollegerit, Camerarius uēdat bona fide, & ſine fraude, factis publicis bannimentis: Et quicquid inde receperit, computabit in cōdemnatione, uel ſorte principali, ſeu ſalario Communi debito: Et quod ſuperērit, principali domino reſtituet, & ipſis pignoribus nō utetur, nec utendo dabit alicui: Et ſi uſu ea deteriorari cōtigerit, damnum paſſo de ſuo proprio emendabit: Et teneatur dictus Notarius ſcribere de die in diem, omnes introitus, & omnes expenſas dicti Camerarij, & de prædictis facere librum in publicam formam, & dictis DD. Conſeruatoribus pro tempore exiſtentibus conſignare, infra terminum decem dierum, depoſito officio, ad pœnam decem librarum denariorum: Et ſi quid remanſerit exigēdum a debitoribus Communis pro tempore ipſius Camerarij, de ſuo proprio dictus Camerarius ſoluere compellatur, & bonos denarios currentes recipiet, & expendet: Et Poteſtas dictæ Ciuitatis teneatur inquirere ſi Camerarius exegerit, uel acceperit ab aliqua perſona, quę Communi aliquid teneretur, uel ab alio pro eo, ut exactio differatur

ratur:Et ſi inuentus fuerit hoc feciſſe,uelfraudē in ſuo officio cōmiſiſſe,
uel monetā aliā quā receperit expendiſſe, pro qualibet vice in viginti-
quinque libras condemnetur in Conſilio generali,&quod accepit,reſti
tuere teneatur:Et ſuper exigendis prouentibus dicti Communis tenea
tur Miles Poteſtatis dare auxilium, & fauorem,& expeditas executio-
nes facere:Et facta ſolutione condemnationis, dictus Notarius ad inſtā
tiam cuiuſlibet condemnati, uel alterius qui pro eo ſoluerit, teneatur
ipſam condemnationem cancellare de libris dicti Communis, Et non
poſſit recipere pro dicta caſsatione dictus Notarius ſi fecerit a centum
libris infra, ultra quatuor ſolidos,ab inde uero ſupra cuiuſcunq; quanti
tatis eſſet decem ſolidos, ſi uero eſſet corporalis, uel corporis afflictiua
uiginti ſolidos, & pecuniam per ipſum Camerarium ſoluendam, tenea-
tur ſoluere perſonæ nominatæ in bullecta,& proprio creditori, uel eius
procuratori:Et nulla alia perſona poſſit accipere denarios dicti Com-
munis,niſi dictus Camerarius,exceptis datijs Communis,ad pœnam cē-
tum librarum denariorum,& non poſſit aliquam bullectam extraordi
nariam ſoluere, niſi prius obtenta fuerit in Conſilio duodecim, & ſub-
ſcripta fuerit per Cancellarium de mandato Conſilij duodecim: Et in
bullectis ſemper continuetur dies,annus,& menſis,& cauſa propterquā
ſoluitur,& nomina Gubernatoris,& Conſeruatorū,cum eorum ſigillis,
alias ſoluere non poſſit ſub dicta pœna,& ſoluendi de ſuo:Et ipſe Came
rarius non ſatisfaciet Poteſtati de eius vltima bullecta,donec ipſe,&ſua
familia abſoluti,vel executio ſententiæ ſyndicatus fuerit facta,ſubdicta
pœna, et nihilominus teneatur reficere damna læſis, uſque in dictam
quantitatē:Teneatur etiam dictus Camerarius, uinculo iuramenti, om
nia pignora, & eorum pecuniam quæ,occaſione ſui officij, ad eius ma-
nus perueniſſent,occaſione depoſiti, uel alia quacunque cauſa,poſt ſen-
tentiam latam abſolutoriam dicto deponenti reddere, & reſtituere, ad
pœnam centum ſolidorum pro qualibet die qua fuerit contumax:Et di-
ctus Camerarius,& Notarius non poſſint eligi ad dicta officia,niſi exceſ
ſerint ętatem uiginti annorum,& ſi eſſent filij familias, nō poſſint dicta
officia exercere, niſi pater idonee ſatiſdet,& teneantur iurare eorum of
ficia quando iurant Conſeruatores, & etiam teneantur facere cereos
in feſtiuitatibus pro ut conſuetū eſt,videlicet:Tres libras ceræ,pro qua
libet Eccleſia in eorum feſtiuitatibus,expenſisCommunis,& duodecim
florenos ceræ in feſto corporis Chriſti,& totidē in feſto aſſumptionis:
Teneantur ſoluere expenſas fiendas in collatione facienda Artificibus
in feſto corporis Chriſti,videlicet florenos decem:Et ſoluere in dicto
feſto ueſtes famulorum DD.Conſeruatorum,& habeant, & habere de-
beant dictus Camerarius,& Notarius,expenſis Communis,unum baſtar
dellum pro quolibet ipſorum,pro ſcribendo introitus, & exitus Com-
munis

munis,valoris ſexdecim ſolidorum pro quolibet:Et librum qui habeat remanere in Communi omnium dictorum introituum,& exituum,ualoris viginti ſolidorum,& teneatur dictus Camerarius ſociare DD. Conſeruatores,diebus dominicalibus,ad Eccleſiam, & teneat primum locũ in choro poſt Conſeruatores,& dictus Camerarius nõ poſſit aliquid accipere ſeu ſoluere alicui ſine præſentia eius Notarij, Et eius introitus,& exitus appareat,tam in baſtardello ipſius Camerarij manu ſua,quam etiã in baſtardello Notarij manu ipſius Notarij, & teneatur ire ſemel in hebdomada,vna cum eius Notario ad Palatium D.Poteſtatis,& videre extractus debitorum Communis,& inquirere cauſas retardationis,&ipſas ſollicitare:Et dictus Notarius non poſſit accipere ultra quatuor ſolidos pro qualibet refutantia paghæ menſalis:Item quod dictus Camerarius non poſſit, durante eius officio, ludere ad aliquem ludum ubi denarij amittantur:Non poſſit conuenire,nec conueniri pro aliquibus debitis, non poſſit accipere aliquid pro ſolutione alicuius bullectæ, teneatur etiam quolibet menſe,durante eius officio, ſummarie reuidere,& calculare libros collectarum Communis:Et ſi dicti collectores aliquid haberent in manu de pecunijs Communis, faciat peruenire ad manus ipſius Camerarij,& ad ſuum introitum ponat,&ita dicti collectores ſoluere teneantur exceptis denarijs ſalis,& ſubſidij,de quibus nihil recipiet, niſi fuerit prius Cameræ ſatisfactum per collectorem, et reſiduum recipiat ipſe Camerarius, & ad introitum Communis ponat:Et teneantur dicti Camerarius,& Notarius,circa exactionem gabellarũ, infra unum diem, perfecto menſe in quo debet fieri paghę, dare, & cõſignare quemcunq; gabellarium male ſoluentem in debitorem Poteſtati, qui teneantur ſoluere cum quarto pluri, applicando fabricæ ſanctæ Mariæ,& cum executione, & ſi Poteſtas fuerit negligens in faciendo executionem,& cogẽdo tales,incidat in pœnam decem florenorum pro qualibet vice, cõputandorum in eius ſalario:Et ſi Camerarius, & Notarius eius non conſignauerint dicto Poteſtati male ſoluentes prædictos infra dictum diẽ, incidant in pœnam duorum florenorum pro quolibet, & qualibet uice, & tantum paga illius ponatur ad introitum ipſius Camerarij, etiam ſi perfeciſſet ſuum officium:Poſsitque dictus Camerarius intereſſe conſilijs publicis,& priuatis dictæ Ciuitatis, & teneatur ad omnem requiſitionem DD.Conſeruatorum aſsignare rationem ſui officij, ſemper tamen eius officio uſque ad finem duraturo: Qui Camerarius finito eius officio,debeat ſyndicari infraſcripto modo videlicet:Quod infra octo dies,poſt finitum eius officium,immediate ſequentes teneatur aſsignare DD.Conſeruatoribus,pro tempore exiſtentibus, ſigillatum eius librum ſcriptum,& publicatum, & omni ſuſpicione carentem, manu ſui Notarij, in quo appareant omnes refutationes factas per dictum Camerarium

rarium, & introitus, & quietationes factæ dicto Camerario, & exitus ſcriptæ, & rogatæ manu ſui Notarij, & regiſtrum omnium bullectarū ad eius manus peruentarum, & infra dictum tempus aſſignare omnes pecunias ſibi reſiduatas dicto ſuo ſucceſſori: Qui Conſeruatores teneantur immediate conſignare dictum librum Reuiſoribus dicti Camerarij: Et ſi dictus Camerarius prędicta omnia, & ſingula in dicto ſtatuto contenta non obſeruauerit, incidat in pœnam pro quolibet capitulo non obſeruato, in quo non inuenitur determinata pœna, & qualibet vice quatraginta ſolidorum ſoluendorum de ſuo ſalario, excepto quod de capitulo ſuper conſignatione ſui libri, & conſignatione reliquorum, cui ſi contrafecerit, incidat in pœnam unius floreni: Et nihilo minus dictum librum conſignare, & reſiduata ſoluere, vt ſupra, cogatur & compellatur: Reuiſores autem dicti libri infra alios octo dies debeāt dictum librum reuidiſſe, & calculaſſe, & ſententiā abſolutoriam, uel condemnatoriam protuliſſe: Et in reuidendo dictum librum, dictum Statutum legere totum, & in omnibus ſuis partibus obſeruare: Et quilibet poſſit contra dictum Camerarium petitiones porrigere in ſcriptis, & ſine, & ſi contra dictum Camerarium fuerit lata ſententia condemnatoria, ipſo facto dictus Camerarius incidat in pœnam decē Ducatorum applicandorum Camerę Communis, quam ipſo facto una cum eo & toto, ad quod condemnatus eſſet, ſoluere ſine aliquo iuris ordine compellatur, & quod ad omnes, & ſingulas ſupradictas pœnas teneatur, tā ipſe Camerarius, quā quicunque alius qui pro eo fideiuſſit, & ita exigi poſſit non obſtante quacūque exceptione excuſſionis, uel fideiuſſoria, ſaluo quod uno ſoluente alius liberetur: Syndici uero ſi prædicta nō obſeruauerint, incidant in pœnam vnius floreni pro quolibet, quem de facto ſoluęre compellantur.

De electione Syndici ad defendendum cauſas Communis. Rub. X.

IN generali Conſilio dictæ Ciuitatis, in extractione quæ fit de menſe Decembris annuatim, extrahatur de buſſulo officialium dictę Ciuitatis ſyndicus dicti Communis, qui ſit iuris peritus, & Ciuis Vrbeuetanus, & qui ſtuduerit ſaltem per biennium in iure ciuili: Et ſtatim facta dicta extractione, fiat in dicto generali Conſilio, uel alio ſequenti, plenum mādatum in perſonam dicti Syndici ad omnes lites, & cauſas ipſius Communis, cum plena & libera autoritate manu Cancellarij dicti Cōmunis, & dictum mandatum in publicam formam regiſtretur per ipſum Cancellarium in libris Cancellariæ: Qui ſyndicus teneatur ſuum officium bene,
&

& legaliter exercere, tam in agendo, quam in defendendo in omnibus cauſis ipſius Communis, expenſis tamen ipſius Cōmunis, Ad cuius Syndici inſtantiam & petitionem, DD. Conſeruatores teneantur fieri facere expenſas prædictas per Camerarium dicti Communis, & ei dare auxilium, conſilium, & fauorem, ſub pœna quinquaginta librarum denariorum, ſi fuerint negligentes in prędictis: Qui Syndicus ſit etiam procurator pauperum, & miſerabilium perſonarum abſque aliqua mercede: Et habeat pro ſuo ſalario dictus Syndicus a dicto Cōmuni pro dicto anno, libras quinquaginta denariorum ſibi ſoluendas de menſe in menſem pro rata, per Camerariū Cōmunis, & per bullectā, vt moris eſt: Et ſi contigerit ipſum Syndicum pro factis Cōmunis debere accedere extra Ciuitatem, habeat & habere debeat a dicto Cōmuni, cōputata uectura equi, ſolidos quadraginta pro quolibet die: Et ſi duxerit famulū, habeat pro dicto famulo viginti ſolidos, Qui Syndicus teneatur ad omnē inſtantiā DD. Cōſeruatorum, & dicti Cōmunis, incipere quaſcunq; cauſas ipſius Communis, Et ſemel in hebdomada teneatur ad palatium D. Poteſtatis accedere, & reuidere omnes proceſſus pendentes, & non expeditos, & proteſtari Poteſtati, & eius Collaterali quod expediant, & rogare Notarium Camerarij, vel alterum Notarium.

Item ſi fuerit notum dicto Syndico aliquo modo, de aliquo maleficio commiſſo, de quo nō eſſet formatus proceſſus, faciat proteſtationem dicto D. Poteſtati quod formet proceſſum de dicto delicto: Et ſi fuerit lata aliqua ſententia, a qua eſſet appellatum ad aliquē Iudicē dictę Ciuitatis, faciat citare appellantē, & proſequatur appellationem uſq; ad finem: Si autem ad curiam Romanā, uel S. D. N. notificet DD. Conſeruatoribus dictæ Ciuitatis, & faciat apparere per Cancellariū Cōmunis, ac etiam ſubſtituat unum, uel plures ad defendendum dictam cauſam, prout DD. Conſeruatoribus videbitur, & placebit, & fiat ſibi mandatum in forma debita, ita quod de iure ſubſiſtat.

De officio Reuiſorum Camerarij Communis, & aliarum rationum. Rub. XI.

IN publico, & generali Conſilio dictę Ciuitatis, in extractione fienda de menſe Decembris, extrahantur de buſſulo officialium duo boni Reuiſores, & eorum Notarius, qui habeant reuidere omnes rationes Camerariorum, & aliorum Cultorum dicti Communis, pro uno anno tantum, a die conſignationis eis fiendæ de libro ipſius Camerarij, vel alterius Cultoris, Habeant terminū octo dierū ad ſyndicandū dictū librum, & exitum, & ad dandū calculum, ad pœnam duorum florenorum pro

pro quolibet ipſorum,& qualibet die qua non darent dictum calculum elapſo dicto termino, Et teneantur cõſignare dictum librum calculatũ, & cum calculo publicato DD. Conſeruatoribus dictę Ciuitatis: Et ſi repererint ipſum Camerarium, uel Cultorem non conſignaſſe omnes pecunias ad eorum manus reſtantes, ultra debitum exitum, teneantur dictum talem Cultorem, uel Camerarium condemnare ad pœnam centum librarum denariorum,& ipſam condemnationem notificare DD. Conſeruatoribus,& de ea fieri faciant executionem per Poteſtatem dictæ Ciuitatis,& eius familiam: Teneãtur etiam dicti Reuiſores dicti Camerarij poſt finem primi menſis infra ſex dies uidere, & diſcurrere rationẽ Camerarij, abſq; aliquo calculo ferendo pro tunc,& uidere, ſi ſoluit effectualiter omnia ſoluenda,& ſi exigenda exegit: Et hoc ne Camerarius in longum teneat creditores, & debitores: Et ipſe Camerarius teneatur oſtendere ipſis Reuiſoribus ſuam rationem in dicto tempore, ſub pœna duorũ florenorum pro quolibet contrafaciente: Et dicti Reuiſores nõ poſſint admittere, ſeu bonas facere aliquas bullectas in quibus non eſſent appoſita, Milleſimũ, Annus, Menſis,& Dies, nomen Gubernatoris, uel eius Locumtenentis, ſi Gubernator eſſet abſens, vel Poteſtatis,& nomẽ Conſeruatorum videlicet, Conſeruatores Pacis Vrbeuetano Populo &c. Et ſit ſcripta, & ſubſcripta manu Cancellarij Communis, ac quantitas pecuniarum per litteras,& non per abacum, Abacus uero ſcribatur in margine: Et debeant huiuſmodi bullectę habere in pede ipſarũ ſigillum Gubernatoris, vel Locumtenentis, ſeu Poteſtatis, ſi Locumtenens eſſet abſens, & ſigillum Communis: Et ſi dicta bullecta non haberet prædicta, uel in aliquo deficeret, dicti Reuiſores nõ admittant dictam bullectã aliquo modo, ad pœnã dupli quantitatis cõtentæ in dicta bullecta admiſſa non admittenda, de facto auferendam,& ſemper procedi poſſit contra eos omni tempore: Si autem bullecta eſſet extraordinaria, debeat etiam poni in Conſilio Duodecim: Et quatenus placeret dicto Conſilio, ipſe Cancellarius debeat eam ſubſcribere de mãdato DD. Conſeruatorum,& Conſilij Duodecim, & ſi dicta bullecta non haberet dictam ſubſcriptionem, & non eſſet obtenta ut ſupra, non debeant eam admittere aliquo modo ſub dicta pœna: Et bullectæ extraordinarię intelligantur omnes illæ, quæ non ſoluuntur de menſe in menſem, uel per annum,& bullecta extraordinaria, q̃uæ reformatur quolibet menſe in Conſilio generali, non indigeat dicta ſubſcriptione: Qui Reuiſores, & Ratiocinatores,& Notarius habeãt,& habere debeant, expenſis dicti Cõmunis, pro quolibet calculo per eos ferẽdo de quolibet libro, ſoli dos quadraginta pro quolibet ipſorũ,& non poſſint ferre aliquod calculum, niſi in prẹſentia Depoſitarij Communis: Et ſi non eſſet Depoſitarius, interueniat Syndicus.

De

De electione Depoſitarij Communis.
Rub. XII.

Cuius deputandus,& eligendus ad tenendum computum omnium rationum Communis, extrahatur de buſſulo officialium dictæ Ciuitatis in generali Conſilio,quando extrahuntur alij officiales, cuius officium duret per annum ,& teneatur facere librum,& libros de omnibus,& ſingulis introitibus,&exitibus dicti Communis,&intereſſe in ſolutionibus faciendis,aut recipiendis per Camerarium Communis, & in ſolutionibus datiuarum,& aliarũ collectionum,ſeu tertiariarum,& ſalis ipſius Cõmunis ſi fierent in Ciuitate huiuſmodi ſolutiones: Si autẽ dictus Cultor, ſeu Exactor tales ſolutiones feciſſet extra Ciuitatem,dictus Depoſitarius non teneatur aliter accedere , ſed poſt reuerſionem ſuam uidere quietationem de huiuſmodi ſolutione facta,& ipſam regiſtrare teneatur infra terminum duorum dierum in eius libris,& ſcribere in dictis libris,ſolutiones factas,aut receptas,ſtatim factis, ſeu receptis: Et ſi acciderit quod aliqua iuſta cauſa non potuerit intereſſe, teneatur ſcribere in dictis ſuis libris quamprimum Camerarius Communis notificauerit,ſolutiones factas,aut receptas,ac de huiuſmodi ſolutionibus, uel receptionibus fidem a Notario Camerarij acceperit, & ſcripturam dicti Notarij inſpexerit:Et non debeat admittere aliquam bullectam alicui,niſi habuerit partes ſuas in proximis capitulis denotatas,ſub pœna ſoluendi de ſuo,& decem librarum denariorum: Et ſi ſalaria Communis non eſſent uendita,teneatur ponere computum de ſale quod daretur uenditoribus ad minutum, & alijs diſpenſatoribus, & de pondere ſalis quod immitteretur in Salariam, & accipere bullectinos a diſpenſatoribus uigore quorum diſpenſaretur ſal, & quod pecunia dicti ſalis non conuertatur ad alium uſum, niſi prius fuerit ſatisfacta integra quantitas dicti ſalis, & uecturarum eius: Et libros in quibus ſcribet dictos introitus, & exitus Communis teneatur recipere a Conſeruatoribus ſtampatos,& numerus chartarum regiſtretur in Cancellaria manu Cancellarij Communis: Et teneatur facere ſpecialem mentionem de omnibus debitoribus Communis ab una parte ubi appareat creditum, & ab alia parte ubi appareat debitum, & ſolutiones de per ſe , per quos Camerarios fuerint factæ huiuſmodi ſolutiones,& quando,ita quod ad omnem inſtantiam DD. Conſeruatorum, lucide, & clare poſſit oſtendere omnia credita& debita Communis: Et teneatur in fine ſui officij eius librum conſignare dictis D D.Conſeruatoribus qui faciant ipſum

ſeu libros reuidere per ſupraſcriptos Reuiſores, & ſi inuentus fuerit in aliquo fraudaſſe, & quod non bene, & legaliter rationem reddiderit, condemnetur per ipſos Reuiſores ad reddēdum omne id quod omiſerit: Et teneatur facere inuentarium, & intereſſe in conſignatione munitionis aliarum rerum dicti Communis, Arcis Ciuitellę Agliani, & aliorū fortilitiorum ipſius Communis, ſaltem quando de nouo intrant Caſtellani: Et dictus Depoſitarius ultra eius ſalariū, habeat pro dicto ſuo uiatico, cōputata vectura equi, libras quatuor denariorum: Qui Ciuis debeat ipſam electionem acceptare, & non renunciare, ſub pœna decem ducatorum auri Camerę Communis applicandorū, & iuramentum prętare in manibus DD. Gubernatoris, & Conſeruatorum de fideliter exercendo, & legaliter reddendo rationem, & prętare idoneam fideiuſſionem: Qui habeat pro ſuo ſalario ſingulo mēſe libras duodecim denariorum: Et teneatur dictus Depoſitarius eligendus, quod omnes condemnationes maleficiorum, ſtatim data ſententia per Syndicos Poteſtatis, per Notarium ſyndicorum deſcribantur in libro ſpeculi, Ac etiam omnia reſidua quorumcunque librorum, datiuarum, tertiariarum, & ſalis, poſt quam fuerit datum calculum deſcribi facere in dicto libro ſpeculi per deputatum ſcriptorem ſeu deputandum: Et debeat intereſſe conſignationi bonorum Palatij, quando conſignantur per Conſeruatores ueteres, nouis Cōſeruatoribus: Et ſollicitare Cōſeruatores pro tempore exiſtētes ad reparationē Pontiū, Palatiorum, Fōtium, Muri Fōtis, Stradarum: Et ultra prædicta non poſſit accipere, uel petere aliquid a dicto Cōmuni, uel ab alia ſpeciali perſona, & ſtabit contentus ſuo ſupraſcripto ſalario: Et non poſſit aliquis dictum officium exercere, qui non ſit ętatis triginta annorum, & aptus, & ſufficiens ad dictum officium exercendum, & Ciuis oriundus a dicta Ciuitate: Et teneatur dictus Depoſitarius regiſtrare de verbo ad verbum omnes, & ſingulas bullectas ad eius manus peruentas, tam ex officio Poteſtatis, quam aliorum quorūcunq; officialiū, & facta regiſtratione prędicta, ſignare ſua manu propria ipſas bullectas, & remittere ad Camerarium Communis huiuſmodi bullectas per eum regiſtratas, & ſubſcriptas manu propria: Qui recipiat dictas ſolutiones iuxta formam dictarum bullectarum, & notificare teneatur DD. Conſeruatoribus omnia quæ uiderit eſſe opportuna pro dicto Communi, & bene, & laudabiliter ſe geret, remouendo ab eo odium, amorem, timorem, & omnem aliam humanam gratiam.

De ſuperſtitibus, & Depoſitario Montis Pietatis. Rub. XIII.

Viginti Ciues electi, & deputati per Mag. Cõmune Vrbeuetanũ ſecundũ formã ordinamẽtorũ per Camerã Apoſtolicã approbatorũ habeant plenũ arbitriũ, & baliã ſuper omnibus introitibus & exitibus dicti Montis ad uſum miſerabiliũ perſonarũ, & aliarum habẽtiũ neceſſitatẽ ordinatũ, & ad obuiandũ ne Hebręi amplius fęnerẽtur in dicta Ciuitate, cũ tẽporibus retroactis maxima dãna intulerint dictæ Ciuitati, & eius diſtrictui: Quorum Ciuiũ electorũ officium, & balia duret perpetuis tẽporibus, & toto tẽpore eorum, & cuiuſq; ipſorũ vitæ: Et quãdo aliquis decederet ſeu moriretur, ſuperuiuẽtes loco talis defuncti habeant alium eligere ad fabas nigras, & albas, vt moris eſt, & obtineantur per duas partes præſentiũ, & vnuſquiſq; habeat vocare ſuum: Et qui plures fabas habuerit, & obtentus per duas partes vt ſupra, intelligatur loco talis defuncti, & ſic ſucceſſiue continuetur perpetuis futuris tẽporibus duraturum: Qui Ciues teneantur, & debeant deputare annuatim unum bonum, & ſufficientem Depoſitarium Ciuem Vrbeuetanum: Qui ſit maior triginta annorum, & habeat ualorem in bonis ſtabilibus mille florenorum, & det idoneas cautiones de reſtituendo pignora, & pecunias dicti Montis, & exercendo ſuum officium ſecundum formam Statutorum dicti Montis, & præſentium: Cui Depoſitario dicti Ciues habeant deputare duos Reuiſores, qui ſingulis quatuor menſibus habeãt reuidere dictam rationem abſque eo quod aliquod calculum ferant: Et in cõgregatione dictorũ Ciuiũ habeãt notificare introitũ, & exitũ dicti Montis, & in fine Anni habeant dare calculum, Quod calculum ſcribatur, & publicetur in libro dicti Montis: Et ſi repertus fuerit feciſſe contra formam Statutorum dicti Montis, condemnetur per ipſos Reuiſores in pœnis ipſorum Statutorum: Et dicti Ciues habeant plenum arbitrium, & baliam reformandi, addendi, & minuendi ſecundum diuerſitatem temporum, prout melius viſum fuerit eis: Ac etiam dictus Depoſitarius habebit curam ſpecialem de tenimento, & podere Montis frigidi dicti Montis, & quod dictus Mons in aliquo non defraudetur, ac etiã de ſilua Montis Roſeni ipſius Montis, in ponendo cuſtodes, ne ipſa bannita per aliquẽ damnificetur: Et ſi placeret dictis Ciuibus quod aliqua pars dictæ ſiluæ incidatur, nõ poſſit incidi aliquo modo, niſi tẽporibus introſcriptis, & ꝓut uſus, & cõmoditas eſt diuidere infraſcriptas partes.

Sit enim prima pars ſiluæ ſecundum confinia infraſcripta videlicet: Sicut eſt uia qua itur de Allerona ad Aquapendentẽ, prope foſſatũ Ripugli, incipiẽdo iuxta, & prope rẽ ſancti Anſani uerſus Ciuitatẽ Vrbiſueteris, & mittit per dictam Viã, attrauerſando dictũ foſſatũ Ripugli, uſq; ad guadũ Cardarellę in foſſato uocato foſſato alto, prope rẽ Aquępẽdẽtis, & mittit per dictũ foſſatũ uſq; ad flumen Paleę uerſus dictã Ciuitatem

 Vrbiſueteris

Vrbiſueteris, & mittit per dictum flumen uſque ad ſiluam Quirli prope rem Epiſcopatus Vrbiſueteris,& reuertitur ſupra villam Meane,& vadit prope rẽ eccleſię ſancti Andreæ,& reuertitur ad primũ locũ dicti foſſati Ripugli, & dictæ vię Aquępendentis:Et videtur capere dicta prima pars per longum, vnũ miliare cum dimidio,& per tranſuerſum duo miliaria.

Secũda uero pars ſicut eſt dicta Via Aquępandentis, incipiẽdo prope,&iuxta rem Vannutij Vannis Rainerij,&uadit per dictã uiã pro ut eſt confinis primæ partis,& tranſuerſando foſſatũ Ripugli uſque ad dictum guadum Cardarellę,in dictum guadum Cardarellę,in dicto foſſato alto prope rem Aquępendentis, &mittit per ipſum foſſatum altum prope rẽ Aquępendentis uſq; ad guadum Fargne, & uiam Oruieni, & reuertitur ad viam Triuinani ſuper podio mittit dictam uiam Sorbelli, ubi perdit nomẽ Via morarũ,ſiue Stradella delle ſete,&mittit per dictam uiam Triuinani uſque ad Alleronam, uſque ad rem Communis Vrbiſueteris quæ fuit D. Nicolę Angeli, & reuertitur ad primum locum Viæ Aquæpendentis, Ethæc pars uidetur capere per longum duo miliaria.

Tertia pars ſiluæ,ſit ſicut mittit dicta ViaTriuinani,incipiẽdo uerſus dictũ Caſtrum Alleronę,iuxta rem Cõmunis Vrbiſueteris, quę fuit olim dicti D. Nicolæ, & uadit per dictam viam Triuinani ad dictum podium Sorbelli,& per dictam viam Oruieni,uſque ad guadum Fargnę,ſicut eſt confinis dictæ ſecundę partis,& mittit per dictũ foſſataltum prope, &iuxta rem Aquępendentis,uerſus,& iuxta rem DD. de Triuinano, & uadit ad fontanellam de Buzi,iuxta podium Villalui, & reuertitur per dictam Viam Triuinani uſque ad Moricellam Oruellæ, & mittit ſicut vadit Via Podij Eremi uecchij uſque ad uiam Faldi, uſq; ad rem Ciutij contis de Botto,&mittit per dictam uiam ad primum locum reuertitur iuxta rem dicti D. Nicolę Angeli uerſus Caſtrum Alleronæ: Et uidetur iſta tertia pars capere per longum duo milliaria cum dimidio,&per tranſuerſum medium miliare.

Quarta uero pars ſit ſicut mittit dicta uia Faldi incipiendo iuxta,& prope rem dicti Ciutij, & uadit ſicut eſt confinis dictę tertiæ partis per dictã uiã Faldi ad dictã uiam Podij Eremiuecchij, & uadit ad dictã morricellam Oruellę,& uadit in dictam Viam Triuinani,& per dictam Viam uſque ad fontanellam Bucci, & uadit iuxta, & prope rem Coluicini de Triuinano, & uadit uſque ad Triuium Villaluolę, & reuertitur iuxta, & prope rẽ Abbatis Aquæ ortus, & mittit per foſſatũ Botteroſſe iuxta,& prope rem Vãnutij Golini de greca, & mittit in foſſatum Riuarcari, & mittit prope rem ſancti Blaſij, & reuertitur ad dictam uiam Faldi iuxta, & prope rẽ Cechi Iacobi de Medicis,& re mdicti Ciutij in dicto primo loco,& uidetur capere iſta pars duo miliaria cum dimidio per longum, & per tranſuerſum unum miliare.

Sed

Sed ſi per dictos Ciues aliter non ordinaretur de dicta ſilua, uendatur annuatim paſcuum dictæ ſiluæ, & glandes præmiſſis pluribus, & diuerſis bānimentis, ut moris eſt: Et teneatur dictus Depoſitarius ab emptore habere idoneos fideiuſſores de ſoluēdo pretium conuentum in terminis declarandis, itaquod termini non excedant terminos conſuetos uidelicet: Quod tertia pars ſoluatur in feſto Natiuitatis domini noſtri Ieſu Chriſti, alia pars in Carniſpriuio, & reſiduum in Paſcate reſurrectionis Dominicę: Et poſſit ibidem retinere beſtias ad paſcuandum dictus emptor per totum menſem Aprilis, ab inde uero in poſterum paſcuum pertineat ad ipſum Montem: Et nemini liceat immittere aliquas beſtias in ipſa bannita aliquo tempore, niſi tempore quo fuerit uendita, cum licentia emptoris, ad pœnam uiginti ſolidorum pro qualibet beſtia groſſa, decem ſolidorum pro qualibet beſtia porcina, & ſex ſolidorum, pro qualibet pecude, ſeu capra, Et poſſit in prędictis procedi per inquiſitionem, denunciam, inuentionem, accuſam, & per denunciam custodis ſecreti, & omni alia meliori uia, pro ut dicto Depoſitario pro tempore exiſtēti uideretur, tā per Poteſtatem dictæ Ciuitatis, quam per Iudicē damnorum datorum, & alium quemcunque officialē dictæ Ciuitatis, & eius comitatus, prout dicto Depoſitario magis uidebitur expedire pro dicto Monte. Si autem dicti Ciues uellent ſecundum tempora facere incidere in dicta ſilua, poſſint incidere, & incidi facere, durante tempore quattuor annorum, in ſecunda, & tertia parte, & finitis dictis quattuor annis intelligatur finitus uſus dictę partis, & ſic de quatuor annis, in quatuor annos: Et nullus audeat in aliqua parte ipſius ſiluæ immittere ignē, uel radices arborum euellere, ſub pœna centum librarum, & damnum emendet, iuxta iudicium dictorū Ciuium, & de nocte pœna duplicetur: Et poſſit dictus Depoſitarius ponere cuſtodes celatos, & nō celatos ad cuſtodiam dictæ ſiluæ, & cuilibet ipſorum cuſtodum ſit licitum denunciare, & accuſare, & eius ſacramēto credatur: Et teneatur Commune Caſtri Alleronæ, & homines dictæ Vniuerſitatis cuſtodire dictam ſiluam, a Stradella Serrarum, ſiue uiam Morrarum citra, uerſus Alleronam: Commune uero Caſtri Turris, teneatur cuſtodire a dicta Stradella Serrarum ultra uerſus flumen Paleę, & uerſus foſſataltum: Et teneantur dicta Communia ſupranominata, & homines ipſorum Cōmunium cum fuerit facta aliqua immiſſio ignis, contra formam dictorum ordinamentorum, currere ad locum ubi fit immiſſio ignis, & capere omnes quos ibi prope inuenerint, & perquirere ueritatem, & capere Malefactorem, & ſi non poſſent capere teneantur clamare, & rumorem facere, donec omnes trahant poſt malefactorem, ut capi poſſit: Teneatur dictum Commune Alleronæ de menſe Ianuarij aperire, & remundare Vias dictorum terminorum ſupraſcriptorum.

De

De electione Anterionum Ciuitatis. Rub. XIIII.

ANteriones fiant hoc modo, Quod pulſetur campana Eccleſiæ illius Parocchiæ ſeu Regionis annuatim de menſe Decembris, ad ſon ũ cuius, Homines illius Regionis conueniant, Quibus cõgregatis fiat electio ad fabas nigras, & albas, uel ad briſciulos, ſicuti maiori parti Hominum placuerit: Et dictum capitulum legatur in Conſilio generali, in dicto menſe: Et qui fuerit in dicto officio a tribus annis citra, in eodem eſſe nõ poſſit: Et Anteriones eſſe nõ poſſint minores uiginti annorũ, nec intereſſe minores quatuordecim in dicta electione: Qui teneantur facere omnia in præſentibus Statutis contenta, & gaudeant omnibus priuilegijs in eis deſcriptis.

De Balitoribus Communis, & eorum officio. Rub. XV.

BAlitores eligantur per Mag. DD. Conſeruatores dictæ Ciuitatis, qui faciãt omnes ambaſſiatas Communis, & ſpecialiũ perſonarum de mandato officialium curiarum dictę Ciuitatis, ad pœnam quinque ſolidorũ pro qualibet uice, & ſtetur ſacramento illius ad cuius petitionẽ fuit miſſus: Et officiũ ipſorum duret pro tempore quo placuerit, & conuenerit cum dictis DD. Cõſeruatoribus: Et eiſdem ſatisfiet per Camerarium Communis ad rationem octo librarum pro quolibet menſe, & quolibet ipſorum cũ retentione unius ſolidi pro qualibet libra: Et teneãtur dicti Balitores citare omnes ad inſtantiam cuiuſcunque: Et non poſſint accipere pro qualibet citatione ultra ſex denarios, Pro qualibet tenuta quam accipient, & reſtituent creditori, habeant duos ſolidos: Et omnes Balitores teneantur portare infulas in capite rubeas cum Aquilis albis ſuper ſaxo: Et ſi iuerint pro facto Communis extra Ciuitatem, habeãt quolibet die decem ſolidos: Si autem pro facto ſpecialium perſonarum, duos ſolidos pro quolibet miliari, pro quolibet itinere, & reditu: Et Balitor, qui recuſauerit facere ambaſſiatas, ſoluat uiginti ſolidos, niſi eſſet uere, & iuſte impeditus pro facto Communis: Et pignus quod accepit, relinquat in Villa, uel Caſtro in quo eum accepit, & in Ciuitate relinquet propinquiori Vicino, ſub pœna uiginti ſolidorum pro quolibet pignore, & ſtetur de his ſacramento denunciatoris, qui habeat medietatem pœnæ: Et iurent dicti Balitores eorum officium bene & legaliter exercere, & dent idoneum fideiuſſorem uſque in quantitatẽ uiginti librarum: Et nullus Balitor intret Cameram alicuius, cauſa accipiendi aliquod pignus aliqua occaſione, ſeu aliquo modo, & qui contrafecerit, in uigintiquinque libris puniatur, & credatur ſacramento denunciatoris: Et Poteſtas teneatur infra octo dies in principio ſui regiminis

minis ſcribi,& conficcare facere in Palatio Cõmunis in loco apparẽti: Et nullus Balitor qui fuerit miſſus ad pignorandũ per aliquem officialẽ Ciuitatis Vrbiſueteris per Ciuitatẽ,uel comitatũ, poſſit uel debeat accipere Zappam,Palam,Aratrum,Vangam,pannos lecti, gauſape,manutergia,pannos ueſtiles, nec calciamẽta, nec aliquam rem quę pertineat ad coquendum,ad dictam pœnam, & nihilominus licitum ſit illi qui pignoratus fuerit a Balitoribus ſeu Balitore, pignus accipere ſine pœna: Et Poteſtas teneatur uinculo iuramenti omnibus conquerentibus de aliquo Balitore iuſtitiã facere, & ius reddere ſummarie,& ſine oblatione libelli,& ſine ſolénitate iuris die feriato,&non feriato:Et quãdo aliquisBalitor mittitur ad pignorandum aliquod Pleberium , ſeu Communantiam, teneatur portare poliſam, ſeu patentem, ſeu bullectinum,in quibus contineatur nomen officialis, qui eum mittit, & ad cuius petitionem,& de qua cauſa,& nomen Balitoris, & debeat pignorare unum de Maſſarijs pro toto Pleberio,uel Cõmunantia, & habeat pro ſuo ſalario vt ſupra ordinatum eſt: Et dicti Balitores teneantur portare cedulas Maleficiorum,& damnorum datorum, & extraordinariorum quorumcunque per Ciuitatem,uel comitatum abſq; aliqua mercede, ultra eius ſalarium deputatum ordinarium:Et ſint obedientes omnibus officialibus dictæ Ciuitatis,tam Ciuibus, quam forenſibus : Et quando uadunt cum officiali ad pignorandum, non poſſint habere vltra unum ſolidum pro quolibet pignore:Et omnes ambaſſiatas per eos faciendas de mandato DD.Conſeruatorum dictæ Ciuitatis teneantur eas facere abſque aliqua mercede : Et eorum, & cuiuſque ipſorum relationibus ſtetur, & credatur,& qui non cõparuerit,& fuerit citatus ab aliquo ipſorum, habeatur pro uero,&legitimo contumace,quando eſſet citatus perſonaliter,uel bis domi cum cedula, & quando requireretur ex forma alicuius capituli Statutorum.

De Camerario,Superſtitibus,& Notario operis, & Fabricæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ. Rub. XVI.

CVm ſecundum priuilegia Apoſtolica, & maxime Martini Papæ Quinti, & antiquatam conſuetudinem Ciuitatis Vrbiſueteris, electio Camerarij dictę fabricę Superſtitum, & Notarij per ipſum Commune fieri debeat, & ab ipſis gubernari : Statuimus, & ordinamus, quod in fine menſis Octobris annuatim quando extrahũtur Conſeruatores Ciuitatis,de Buſſulo eiuſdem Ciuitatis extrahatur una palluccta,in qua ſint deſcripta nomina Camerarij, Notarij, Superſtitum,& nomina Reuiſorum Camerarij præteriti cum eorum Notario: Quorum Camerarij

merarij, Notarij, & Superſtitum officium duret pro uno anno Calendis Nouembris incipiendo: Qui ſint veri, & boni Ciues, & fideles, & diui tes, & iurent in manibus D. Gubernatoris, & Conſeruatorum dictę Ciuitatis, eorum officia bene, & legaliter exercere, & ſeruare Statuta dictorũ operis, & fabricę, & continuo laborari facere in Logia dictorũ operis, & fabricæ pro dicto opere expediendo: Et habeant curare quod res, & apparamenta Sacriſtiæ bene gubernentur, & inuentarium facere Sacriſtano, & reuidere omnia ipſius Sacriſtię ſaltem bis in anno: Et uiſitet ſaltẽ quatuor vicibus dictus Camerarius durante eius officio, Caſtrum Prodij, & alia Caſtra, & loca ipſius fabricæ, ac molendina eiuſdem ſi indigẽt aliqua reparatione, & teneatur proſequi incepta laboreria antequam de nouo alia opera incipiat: Et faciat reuidere ſaltem bis in menſe tecta dictæ Eccleſię, & Palatij magni ne pluat ſuper caballis, aut alijs locis dãnoſis: Ac etiam quod accenſor luminum bene exerceat eius officium in tenendo lampades ardentes ante corporale, & tabernaculum Corporis Christi: Et non poſſit facere aliquod nouum laborerium, quin prius diſcutiatur, & obtineatur in publica Congregatione congreganda in audientia dictorum operis, & fabricę ſaltem per duas partes pręſentium, In qua congregatione interſint mag. DD. Conſeruatores, Superſtites dictorum operis, & fabricæ, & Ciues poſiti ad gubernandum Montem pietatis, & ſi aliter fieret, de ſuo ſoluere compellatur: Et omne reſiduum pecuniarum, frumenti, olei, & aliarum rerum dictæ fabricæ conſignare ſucceſſori infra terminum trium dierum per inuentariũ, & habeat quietationem a ſucceſſore manu Notarij dictæ fabricę, & nihil ſoluat ſine pręſentia dicti eius Notarij, & quin prius habuerit licentiam a dictis Superſtitibus, Qui Superſtites ſint quatuor qui habeant arbitrium, & baliã ſuper dicta fabrica prout ipſum Commune, excepto quod in dictis rebus, & nouis operibus peragendis, in quibus requiratur conſenſus ſupraſcriptorum Ciuium Montis: Et dictus Notarius quotidie teneatur ſtare in dicta audientia dictorum operis, & fabricæ, & deſcribere omnes debitores dictæ fabricæ, & omnia peragenda, & ſollicitare cauſas eiuſdem: Qui habeant, & habere debeant pro eorum, & cuiuſque ipſorum ſalario, libras nouem denariorum pro quolibet menſe: Et teneantur infra terminum quindecim dierum, poſt depoſitum eorum officium, conſignare eorum librum publicatum Mag. DD. Cõſeruatoribus Ciuitatis, ad pœnam perditionis eorum ſalarij: Et ipſi Conſeruatores conſignent Reuiſoribus deputatis: Et ipſi Reuiſores habeant ipſum librum uidere, & calculum dare infra terminum decem dierum tunc proxime futurorũ: Qui Reuiſores habeant a dicto Camerario pręterito pro eorum ſalario, pro quolibet ipſorum, quadraginta ſolidos, & totidem eorum Notarius.

De

De Rectore Hoſpitalis ſanctæ Mariæ de Stella, & eius Superſtitibus, & Notario. Rub. XVII.

ELigatur unus bonus,&circunſpectus uir fidelis,&timens deum,ad gubernandum dictum hoſpitale, cuius officium duret pro uno anno Calendis Nouembris incipiendo: Et ſi uideretur Conſilio generali dictæ Ciuitatis pro maiori tempore aliquem bonum virum deputare,id poſſit,ſed ſi aliter nō reformaret,ſic duret: Et extrahatur dictus Rector, Notarius, & Superſtites de buſſulo officialium dictę Ciuitatis, quando extrahuntur Conſeruatores, & iurent eorum officium bene, & lealiter exercere in manibus DD.Gubernatoris,& Cōſeruatorum dictæ Ciuitatis, & habeat ſpecialem curam dicti hoſpitalis, & de infirmis, & pauperibus perſonis, ut bene tractentur, & gubernentur, & ut libenter confluant pauperes,& tempore peſtis uiſitari facere infirmos dictæ Ciuitatis,porrigendo eis neceſſaria:Et quando videretur DD. Conſeruatoribus dictæ Ciuitatis, quod aliquam eleemoſynā faceret peſtilentiatis,uel Medicis,uel alijs deputandis, teneatur effectualiter adimplere, ſub pœna decem ducatorum pro qualibet uice,qua contrafaceret,& de ſuo ſoluenda:Et teneantur infra terminum trium menſium a die introitus ſui officij, una cum eius Notario accedere ad omnes poſſeſſiones,& bona dicti hoſpitalis,& continuare poſſeſſionem in eis pro dicto hoſpitali,& rogatum facere dictum eius Notarium de dicta eius continuatione coram teſtibus, et in loco, & non ad oculos: Qui Notarius teneatur deſcribere ipſam poſſeſſionem cum omnibus confinibus, & cuius menſuræ,& in qua contrata,redigere in publicam formam omnes continuationes in uno libro chartę membranæ, & faciet inuentarium de omnibus rebus,& bonis mobilibus,& ſtabilibus ipſius hoſpitalis, & manuteneat bona,&iura eiuſdem:Et quolibet anno teneatur dictus Rector reddere rationem ſui rectoratus,ſi eius officium duraret ultra annum, alias depoſito eius officio, Et librum publicatum conſignare de introitibus, & exitibus, DD.Conſeruatoribus infra terminum quindecim dierum a die expleti anni:Quē librum faciant dicti DD.Conſeruatores reuidere, & calculare per Reuiſores infra terminum decem dierum tunc proxime futurorum: Et ipſi Reuiſores, & Notarius habeant eorum deputatum ſalarium:& non poſſit dictus Rector aliquam rem uendere, uel alienare, ſeu locare ſine licentia dictorum Superſtitum, & de dicta licentia debeat apparere manu dicti Notarij: Et ſic de omnibus inſtrumentis, & locationibus debeat apparere regiſtrum apud dictum hoſpitale: Et teneatur dictus Rector omnia inſtrumenta, teſtamenta, & reliqua

qua pertinẽtia ad dictũ hoſpitale deſcribi,& publicari facere per Notarios rogatos in libris dicti hoſpitalis, & habeat,& habere debeat ꝓ eius officio,& mercede a dicto hoſpitali expẽſas: Et ſi dictus Notarius dictũ inuẽtariũ de dictis continuationibus omniũ poſſeſſionũ perfecerit modo ſupraſcripto,& publicatum conſignauerit dicto hoſpitali,& regiſtrũ contractuum de quibus fuerit ipſe rogatus durante eius officio,& librũ introituũ,&exituum,florenos octo: Sed ſi prædicta non fuerit executus, &maxime in non faciendo ipſum inuentarium,vt ſupra,habeat medietatem dictæ quantitatis.

De Superſtitibus Cannellatus, & Stradarum.

Rub. XVIII.

MAgnifici DD.Cõſeruatores, qui pro tempore fuerint de menſe Martij, & Aprilis teneantur eligere, & deputare pro uno anno duos bonos,&idoneos Ciues,qui ſint Superſtites dicti Cannellatus,& muri fontis, qui habeant ſpecialem curam,quod continuo reparetur, & pecuniæ deputatæ pro dicto opere ad alium vſum non deputentur,nec expendantur, ita & taliter quod ſit abundãtia copioſa aquarum in dicta Ciuitate, & ceſſet defectus: Et ſi videretur generali Conſilio dictæ Ciuitatis,quod ad dictum Cannellatum bene duceretur aqua fontis Soalti,dicti ſuperſtites exequantur iuxta formam dicti Conſilij fiendi: Et DD. Conſeruatores faciant reuidere rationem Superſtitum præteritorum: Et quia omnis labor optat præmium,dicti Superſtites,durante eorum officio,ſint exempti ab omni cuſtodia diurna,& nocturna, & ad ipſa facienda compelli non poſſint.

De Medianis, & Pacerijs eligendis.

Rub. XIX.

ORdinamus quod de quolibet Quarterio Ciuitatis eligantur duo boni Viri bonę opinionis, & famę, quorum electio fiat per DD.Conſeruatores dictæ Ciuitatis de menſe Martij, qui habeãt reducere ad concordiam omnes diſcordantes: Et ipſis D. Poteſtas, & Conſeruatores teneantur dare auxilium,cõſilium, & fauorem in omnibus oportunis: Et qui in dicto officio fuerint uno anno, nõ poſſint eſſe inde ad duos annos ſequentes, & habeant plenum arbitrium, & baliam cogendi eos qui contra formam iuris,& Statutorum, & bonos mores nollent uenire ad ipſam concordiam.

De

Quod nullus poſſit ſeruire in aliquo officio per Subſtitutum. Rub. XX.

NVllus poſſit ſeruire in aliquo officio per Subſtitutũ in Ciuitate, uel extra, &quod factum fuerit per talem Subſtitutũ, non teneat ipſo iure, ſaluo quod Notarius Vicecomitũ, Pleberiorũ, Comitatus Vrbiſueteris, qui poſſint omnes proceſſus, & acta in Ciuilibus, & Criminalibus cauſis ſcribere, & poſſit fungi officio Vicecomitum, & ſui Vicarij ſcribẽdo, & procedendo exercere uſq; ad ſententias ferendas: Sententiæ uero per ipſos Vicecomites ferãtur, & aliter latę nõ teneant ipſo iure: Et Notarij poſſint in officio Notariatus tantum ſeruire per Subſtitutum, non obſtantibus quibuſcunque.

De Maneſcalchis eligendis ad pullos equinos æſtimandos. Rub. XXI.

ELigantur per DD. Conſeruatores de menſe Ianuarij pro uno anno quatuor Maneſchalchi, qui ęſtimẽt per totum annum omnes equos qui erunt æſtimandi pro communi: Qui teneantur uinculo iuramenti banniri facere per Ciuitatem, quod quicunque qui habent equum, uel alias beſtias ad uecturam locandas, repręſentent ipſas coram eis, & quæ repræſentabũtur extimare teneantur bona fide: Quorum ęſtimationi ſtetur: Quam ęſtimationem tam ipſi, quam Cãcellarius ſcribãt, & nulli notificent niſi uenerit caſus mortis, uel peiorameti ipſius beſtię, & alia æſtimatio fieri non debeat quam per eos, & ſi fieret non teneat. Et locator poſſit locare equũ per unum diem tãtũ omni tẽpore pro decem ſolidis, & plus petere ab aliqua perſona, uel recipere non poſſit, Quod ſi contrafecerit, ſoluat Locator decem libras denariorum, de quibus accuſator habeat medietatem pœnę: Si uero talis beſtia locata magagnaretur, Conductor teneatur emendam facere ad arbitrium dictorum Maneſchalcorum nulla ſolemnitate habita, & appellatione ceſſante: Et Poteſtas, & Iudex teneantur poſt declarationem prędictam factam, fieri facere executionem, & ſatisfieri cum effectu: Et ſi Conductor eſſet contumax in ſoluendo emendã, ſoluat dictus Conductor duos ſolidos pro quolibet die, qua eſſet contumax, pro ipſa contumacia, & nihilominus emendam ſoluere teneatur: Et ſi aliqua beſtia daretur ad uecturam quæ non eſſet æſtimata modo prædicto, ad nullam emendam teneatur Cõductor, niſi probaretur quod eius defectu eſſet mortua, uel magagnata: Et ſi de tali beſtia contractus locationis alias factus fuerit in fraudem, non teneat ipſo iure: Et prędicti Maneſcalchi iurent eorum officiũ legaliter exercere: Et habeant pro eorum ſalario quadraginta ſolidos pro quolibet, & aliud ſalarium a partibus petere non poſſint.

De electione Notarij qui habeat remittere Donationes, & de Donationibus inſinuandis. Rub. XXII.

NOtarius ad inſinuandum, & deſcribendum donationes pro uno anno eligatur, & extrahatur de buſſulo dictę Ciuitatis in fine menſis Decembris, in Conſilio generali quando extrahuntur alij officiales: Et quicunq; receperit aliquam donationem interuiuos, uel cauſa mortis, quę ſummam uiginti quinque librarum excedat, teneatur eam poni facere in libro donationum Communis de authoritate Poteſtatis, uel ſui Iudicis infra unum menſem poſt dictam factam donationem, ſi ad eius notitiam peruenerit, alias a die notificationis, citato Douatore, uel eius heredibus: Qui ſi contradicere uoluerit, audiatur: Et liber prędictus eſſe debeat in Archiuio publico Communis, & inde non tollatur, & uocetur Liber donationũ Communis: Quod ſi donatio infra dictum tempus non ſcripta, publicata, & remiſſa fuerit in dicto libro, per ipſam Donatario nullũ commodum acquiratur, ſed careat roboris firmitate: Et nullus Notarius qui ad prædicta fuerit electus, debeat ipſum librum, depoſito officio, pœnes ſe tenere, ad pœnam decem librarum denariorum: Et hoc locum habeat, ſi Donatarius non poſſideat res donatas naturaliter, ſed ſi poſſiderentur a Donatore, & ab eo cauſã habente, moleſtari nõ poſſit: Et dictus menſis abſentibus, & minoribus nõ currat, Et dictus Notarius nõ poſſit accipere pro remiſſione alicuius donationis, ultra uiginti quinque ſolidos denariorum, quantæcunque quantitatis fuerit, ad pœnam decem librarum denariorum.

De electione Notarij Cataſtorum. Rub. XXIII.

DE menſe Decembris annuatim, quando extrahuntur alij officiales de buſſulo officialium dictæ Ciuitatis, extrahatur Notarius Cataſtorum, cuius officium duret per annum, & de eius officio fideliter exercendo iurare debeat in manibus DD. Conſeruatorum, qui habeat vnam Clauem Caſſæ, & Archiuij, ubi eſſent dicti libri: Qui teneatur omnes poſſeſſiones quę nõ eſſent accataſtatæ, & quę uẽderentur per aliquam Eccleſiam, accataſtare in præſentia DD. Conſeruatorum ſecũdum tabulam dicti Communis: Et quando caſſaret aliquam poſſeſſionẽ, ſeu poſſeſſiones alicui, non caſſet aliquo modo, niſi prius deſcripſerit ad libram illius cui eſſet apponenda dicta poſſeſsio, ad pœnam decem librarum denariorum: Teneatur etiam dictus Notarius bene aptare reductas, & notare in libro qui tunc exigeretur, qui eſſet extractus de dictis Cataſtis: Et habeat dictus Notarius pro qualibet poſſeſsione canſſanda,

&

& deſcribenda vt ſupra, duos ſolidos a qualibet parte: De poſſeſſionibus uero non accataſtatis, habeat ſecundum conuentionem fiendam cum DD. Conſeruatoribus, & quod ei ſatisfiat de denarijs bullectæ extraordinarię, & finito eius officio, teneatur conſignare in præſentia DD. Conſeruatorum, ſucceſſori dicta Cataſta, & Clauem: Et ſi reperiretur aliquid ſuo tempore factum, uel caſſum, uel laceratum, quod eſſet contra formam pręſentium Statutorum, teneatur ſoluere, nomine pœnę, vigintiquinque libras denariorum, & ipſa deſcribere prout prius erant, abſque aliqua mercede.

De electione Partitorum, & Viariorum Communis, Iudicis, & Notarij, & eorum officio Rub. XXIIII.

QVatuor boni viri eligantur, ſcilicet de quolibet Quarterio unus, & unus Iudex iuris peritus, qui cognoſcant de omnibus litibus, & quæſtionibus quę eſſent in eorum officio, & habeant plenam authoritatem cognoſcēdi, & terminandi omnes res communes, & ſpecialiter de ſeruitutibus Stillicidiorum, & de ſeruitutibus prędiorū, & de confinibus, ſeu terminis ſupraprehenſis, & terminare, & diffinire poſſint, & dare operam in vijs publicis, & vicinalibus retis, itineribus, & ſupraprehenſis ipſorum recuperandis, & inueniendis cum petitione, & ſine: Et ſi quid factum eſt, uel fuerit, quod ſpectet ad publicam læſionem, uel vicinalem, id releuetur, vel faciant releuare: Et ſi quis de ijs, uel aliquo prædictorum fecerit querimoniam, fiat ei iuſtitia expenſis occupantis: Et in dictis cauſis procedi poſſit diebus feriatis, & non feriatis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij: Et iurēt eorum officium legaliter facere, & obſeruare Statuta dictæ Ciuitatis, & maxime præſens Statutum, & cognoſcant de diuiſionibus, & res communes diuidāt: Et ſi fuerit dubium inter partes, quod res quę petitur diuidi, ſit communis uel non, dictus Iudex poſſit cognoſcere de hoc: Et ſi quis fuerit citatus perſonaliter, uel bis ad domū in qua habitat, quod veniat ad diuidendū rem communē quæ petitur diuidi, & nō uenerit, Partitores ex tūc poſſint omnino diuidere, & eorum diuiſio ualeat, ac ſi partes eſsēt pręſentes, & ſi diuiſerint, quęlibet pars cōpellatur accipere partem ſuam ſorte, ſi aliter recipere non cōcordauerint partes inter ſe, quæ ſortes fiāt a Partitoribus nominatis, & ſi partes, uel aliqua earum nollet recipere dictas partes, Partitores bona fide, & ſine fraude cuilibet adiudicent partem ſuam: Et ille qui habuerit in re communi tertiam, uel quartam partem, uel ultra, teneatur eam recipere ab uno latere, quod uoluerit, & non in medio: Et ſielioramentum eſſet in parte alterius conſortis, per homines contradę a dictis Partitoribus, vel eorum Iudice eligendos

gendos debeat æſtimari ſi partes non concordauerint, & dictum melio ramentum addatur parti minus ualenti: Et ſi aliter fieri non poſſit, fiat equiualentia cum pecunia, uel alijs rebus, ſicut Partitoribus uidebitur bona fide: Et ſi aliquis ex conſortibus voluerit dare electam alteri parti, pars altera recipere compellatur: Et ſi qua res fuerit inter aliquos cõmunis, quorum unus habeat rẽ propriam iuxta dictam rem communẽ, bona fide diuidant Partitores, & adiudicent partem ſtantem iuxta rem ſuam propriam eidem, ſaluo quod ſi eſſet melioratio, fiat ut ſuperius dictum eſt: Et ſi res communis diuiſionem commodam non receperit, diuidant ſecũdum ius generale: Et qui ſuccubuerit, ſoluat totum infraſcriptum ſalarium, ſi uero concordarent partes, ſalarium ſoluatur a partibus pro rata, ſcilicet pro ea parte quam quilibet habet in re: Et habeant pro eorum ſalario dicti Partitores, & Iudex ſex denarios pro quolibet floreno totius ualoris rei diuiſę: Et ſi contigerit ipſos Partitores ire extra Ciuitatẽ pro dictis rebus diuidendis, duo ex eis poſſint ire, & faciant ea quæ pertinent ad eorum officium ſecundum formam præſentium Statutorum pro ſe, & ſocijs: Et qui iuerint, habeant ultra dictum ſalarium decem ſolidos pro quolibet ipſorum a qualibet parte, & quolibet die, ſi contigerit ferri ſententiam inter partes: Et non mittant plures terminos quam partes uoluerint: Et ſi partes non concordarent, ad inſtantiam illius in cuius fauorem fuiſſet lata ſententia, mittant quos terminos uoluerint: Et habeant pro quolibet termino quinque ſolidos: Qui termini ſint bene ſignati Cruce, & alijs teſtibus ſecundum morem Ciuitatis: Et ſi Partitores non irent ad diuidendum inter conſortes poſtquam fuerint requiſiti, ſoluant pœnam quinque librarum denariorum pro quolibet: Et poſſint etiam diuidere res communes minorum accedente pręſentia, & conſenſu Tutoris, uel Curatoris ipſorũ, ſi dictis Partitoribus uidebitur expedire prędictis minoribus: Et ſi qua perſona ſupraprehẽderit, uel ſupraprehẽdi fecerit, clauſit, vel clauſerit viã, uel retum vicinalem in dicta Ciuitate, uel extra a quinquaginta annis citra, dicti Viarij teneantur pręcipere ſupraprehenſoribus, & eos cogere quod infra tertiam diem debeant aperire, & reducere ad priſtinum ſtatum, ad pœnam centum ſolidorum pro quolibet mandato, quod poſſint reiterare, & proſequi toties quoties eis videbitur: Et nihilominus eleuare, diſgomberare, & aperire teneantur: Et omnes crates, & ſexteria quę pendent a porticis inferius per omnes vias Ciuitatis, & perticæ, & baculi qui excedunt, diſci, ſeu banchi qui excedunt in uiis publicis, eleuentur, & amplius non ponantur: Et qui contrafecerit, in uiginti ſolidos puniatur: Et ſi quis habuerit rem aliquam iuxta Viam publicam, uel Vicinalem, & termini non appareant, facta requiſitione, & interpellatione de ipſis Viarijs, ut accedant ad terminandum, & non irent, habeat licẽtiam

ſua uoluntate ſine proximi turpitudine, & læſione communis: Et Viarij non exigant pignora, uel denarios, ſed poſſit recipere Depoſitarius: Et poſtquam fuerit pronunciatum, habebunt eorum ſalarium debitum: Et quicunque habet domum, uel ędificium iuxta rem ſui Vicini, & non habeat ius extra murū ſuę domus, uel ſui ędificij, colligat aquam quod non cadat in domum ſui Conuicini, quod ſi nō fecerit infra quindecim dies poſtquam fuerit ei denunciatum a Conuicino, decem libras denariorū ſoluere teneatur pro pœna: Et nihilominus, quod dictū eſt, Viarij faciāt obſeruari nulla pręſcriptione obſtante: Et in Aquaialibus nulla putredo proijciatur, ſub pœna centum ſolidorum, & credatur ſacramento accuſatoris: Et Poteſtas, & Iudex, & eorum familia in eorum officio peragendo iuuare teneantur, & dare eis auxilium, & fauorem, & ſi non facerent, & non obſęruarent eorum officium, pro uice qualibet in centum ſolidis puniatur quilibet eorum per Poteſtatem dictę Ciuitatis: Et ipſi Viarij tribus diebus in hebdomada ſtent ſuper uijs publicis aptandis, & aſſidue ſtent in eorum officio exercēdo, cognoſcendo, terminando, finiendo inter commune, & priuatam perſonam, quo caſu terminare, & diffinire non poſſint ſine præſentia Syndici Communis, & uocato Vicino, qui habuerit intereſſe ex alia parte: Qui Syndicus habeat ualentiam ducentorum florenorum in bonis ad minus: Et ſi quis fuerit inuentus ſupraprehenſam feciſſe, in decem libris puniatur, & ſupraprehenſam reſtituat: Supraprehenſor autem uię publicæ, uel terreni Communis ſupraprænhenſam reſtituat, nulla præſcriptione obſtante: Et ſi quis negauerit ſupraprehendiſſe, dicti Partitores, & Viarij inueniant ueritatem per iuramenta partium, & homines contradę electos a partibus, uel per eos ſi partes non concordauerint: Et de terminis mittendis recipiāt ut ſupra: Et Viarij mittant tres terminos tantum inter uiam, & rem Communis, & ſpecialium perſonarum, niſi proceſſerit de uoluntate domini rei, & de ipſa terminatione ſoluat ſpecialis perſona medietatem ſalarij ipſorum terminatorū: Et Viarij non poſſint deſtruere copertas mercatorum quæ ſunt ſuper ſtratas ante eorum fundacos: Et habeāt pro eorum ſalario, uiatici, & litium quas cognoſcerent, ſicut ſuperius eſt declaratum: Et nulla perſona ponat diſcum in uijs publicis propter quod impediretur uia, ad pœnam uiginti ſolidorum, niſi quando plueret: Et ſi Sepis alicuius ęgrederetur extra murum, uel griptam, ita quod penderet, uel eſſet in uia, dicti Viarij faciant leuare ad pœnam uiginti ſolidorum poſtquam præceptum fuerit, & nihilominus eleuare teneatur, & quilibet poſſit eā accipere elapſo termino ſine pœna: Et nulla perſona retineat trabaccā, ſiue tennam in platea Communis niſi die Sabati, ad pœnam decem ſolidorum qualibet uice, & ſtetur denunciatoris iuramento ſi eſſet bonę famę: Et nullus occupet aliquam ſtradam dicti Communis, tam in Ciuitate quam

quam extra, nec aliquos retos uicinales: Quę ſtratę publicæ ſint latitudinis ad minus decem pedum: Et dicti reti ad minus ſex pedum: Et dicti Viarij, Iudex, & Notarius eligantur pro uno anno Calendis Ianuarij incipiendo, & extrahantur de buſſulo Ciuitatis in Conſilio generali, & habeant de dictis pœnis per eos exigendis duas partes, & alia tertia pars in acconcimine Cancellatus expendatur per Superſtites Cannellatus: Et pro qualibet ſtrata, & via quam facerent aptari, & ſalicari expenſis Communis, & uicinorum, habeant a dicto Communi quadraginta ſolidos pro quolibet ipſorum: Et teneantur uidere fontes qui ſunt in Ciuitate, & extra, & in eius cortina ſi indigent aliqua reparatione, ſaltem bis in anno, & mundari, & repurgari facere expenſis vicinorum, & habentiũ aquas a dictis fontibus pro adaquandis eorum poſſeſſionibus, uel aliud exercitium faciendo, & habeant omnes fructus perceptos per illos qui recolligiſſent in ſtratis publicis, arando, uel ſeminando in dictis ſtratis in comitatu: Et faciãt pro poſſe, quod omnes ſtratę, & uię Comitatus, & diſtrictus Vrbiſueteris aperiantur, & in ſtatum priſtinum reducantur, nulla pręſcriptione obſtante: Et ſi ſtrata non reperiretur, quod dicti Viarij inueniant, & ſi opus fuerit de nouo faciant per poſſeſſiones contratę, & loci ubi ſolebat ire ſtrata, pro ut melius ex coniecturis, & inſpectione loci ueritas reperiri poterit.

De Conſilio generali, & Duodecim. Rub. XXV.

CVm inter cetera opportuna pro regimine Ciuitatis, & diſtrictus prædictorum, primum, & principalius dependeat a ſalubri prouiſione adminiſtratorum, per quos ipſa Ciuitas bene gubernetur, & regatur, circa quę uolentes pro bono publico ipſius Ciuitatis, utiliter prouidere, Statuimus, & ordinamus quod de buſſulo ipſius Ciuitatis, de tribus menſibus in tres mẽſes, extrahatur Conſilium Duodecim bonorum uirorum, quod vocetur Cõſilium Duodecim: Et ipſorum officium duret dictis tribus mẽſibus: Quod Conſilium habeat plenam authoritatem, & baliam una cum DD. Conſeruatoribus in omnibus opportunis, excepto quod imponendo impoſitas, & faciendi nouas reformationes, & imponendo pręſtantias, & in electione officialium forenſium: Quæ fieri non poſſint, niſi in generali Conſilio: Et habeant autoritatem dicti Duodecim, una cum DD. Conſeruatoribus expendendi pro Communi in qualibet cauſa quæ obtineretur inter eos, uſque in quantitatem viginti quinq; librarum denariorum, ac etiam diſpenſando officia uacantia quæ non eſſent in buſſula, excepto officio DD. Conſeruatorum: Et habeant authoritatẽ etiam dicti Duodecim, durante eorum officio, mature uidere omnes præpoſitas præponendas in generali Conſilio: Et ſi per

per eos una cum dominis Conſeruatoribus, & Poteſtate fuerit obtentum quod tranſeat ad generale Conſilium, proponantur in dicto generali Conſilio, alias nullatenus poſſint proponi: Et cum pro bono publico, & pro expediendis negotijs dictæ Ciuitatis, diſtrictus Communis, & Populi, uel ſingularium perſonarum eorumdem fuerit aliquid ſtatuendum, ordinandum, & reformandum, hoc ordine decernimus procedendum videlicet, Quod primo, & ante omnia fiat propoſita per dominum Poteſtatem, & dominos Conſeruatores, ſi uidetur quod dicta propoſita proponatur in Conſilio Duodecim: Et dictus Poteſtas habeat duas uoces, & duas fabas in omni partito, & deliberatione, & quilibet Conſeruator unam tantum: Et quod per ipſos concorditer, uel duas partes ipſorum fuerit determinatum de propoſita illa proponenda in Conſilio Duodecim, illud executioni mandetur: Et ſi ibi obtentum fuerit, quod non fiat, ulterius ſuper illa propoſita procedi non poſſit: Et ſi ibi fuerit obtentum quod fiat, tunc ſecundo loco illa propoſita per dictum Poteſtatem, uel Conſeruatores in dicto Conſilio Duodecim proponatur: Et quod per ipſos concorditer, uel duas partes ipſorum fuerit ordinatum de propoſita illa fienda, uel non, in Conſilio generali Baliæ, illud executioni mandetur: Et ſi ibi fuerit obtentum quod fiat, tunc tertio loco eadem propoſita ponatur in generali Conſilio Baliæ per dictum Poteſtatem, & Conſeruatores: Et quod de contentis in dicta propoſita per ipſum Conſilium fuerit ordinatum, illud executioni mandetur in omnibus, & per omnia, & habeat firmitatem, dummodo prædicta propoſita, & quod ſequeretur ex ea, non ſit contra honorem diuinum, contra libertatem eccleſiaſticam, & Iuriſdictionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec non contra bonos mores: Et niſi dicta forma fuerit obſeruata, quod aliter ſtatutum, ordinatum, uel factum fuerit, nullam obtineat firmitatem, & nullum dictorum Conſiliorum congregari poſſit, quando eſſet aliquid proponendum, uel reformandum in dicto generali Conſilio, nec poſſit aliquid ordinari, uel reformari abſque dicti Poteſtatis conſenſu: Et nullum partitum in eis factum ualeat, niſi fiat ad fabas nigras, & albas: Et in quolibet partito, fabæ nigræ ponantur pro partito del Sic, & fabæ albæ pro partito del Non: Et nullum partitum intelligatur eſſe obtentum, niſi in eo interſit maior pars dictorum Conſiliariorum, & obtineatur per duas partes præſentium: Et cum dictum generale Conſilium fuerit congregandum, per diem antea banniatur per Præconem Communis ſono Tubæ præmiſſo, & per diem

antea fiat dictum Conſilium Duodecim, & de mane ſequenti pulſet campana Populi: Deinde in termino ſtatuto ad ſonum dictæ campanæ, tribus vicibus diuerſis horis congregentur, & pulſata per emptorie dictacampana ultimo ſono, qui non acceſſerit ad dictum Conſilium de dictis Conſiliarijs, punctetur per Cancellarium dicti Communis, & fiat executio immedietate pro decem ſolidis: Et omnia partita quæ fierent, debeant fieri ſeparatim, & non inſimul: Et ſi fierent, inſimul quicquid factum fuerit non ualeat ipſo iure: Et partita ſpecialium perſonarum ſemel perdita, amplius proponi non poſſint, ad pœnam quinquaginta librarum: Et quod factum fuerit non valeat: Et nullum factum alicuius ſpecialis perſonæ poſſit ordinari, uel fieri ultimis quatuor diebus officij dictorum Conſeruatorum: Et quod ille cuius intereſſet, & cuius ordinamentum fieret in ipſo Conſilio, tunc eſſe, uel intereſſe non poſſit: Et ſi quid contra prædicta, uel aliquod prædictorum fieret, non ualeat ipſo iure: Et ſi qua remiſſio facta fuerit in aliquos Ciues per ipſum Conſilium de aliquo negotio, ſi per ipſum Conſilium non fuerit tempus appoſitum, finito menſe a die ſcientiæ nullam habeant amplius authoritatem: Et non poſſint, uel debeant fieri, uelpręponi niſi quatuor præpoſitæ tantum, ad hoc ut rectius conſulatur: Quod Conſilium generale extrahatur de buſſulo officialium dictæ Ciuitatis: Et eorum officium duret per annum, & ſint numero nonaginta, quorum ſufficiant ſexaginta in congregando: Et dicti decem ſolidi punctaturarum Conſiliariorum expendantur in pipere, diſpenſando inter dictos Conſiliarios, & non ad alium uſum: Et nemo accedat ad dictum Cõſilium, qui non ſit de numero Conſiliariorum, nec interſit aliquo modo, ſub pœna centum librarum denariorum: Et factis prępoſitis per Conſeruatores, & Poteſtatem, detur per eos licentia arrengandi omnibus de dicto Cõſilio ſuper omnibus dictis præpoſitis: Et nullus præſumat aliquid cõſulere niſi uadat ad Rengheriam, & inuocato diuino auxilio cõſulat ſuper omnibus præpoſitis, & nihil dicat extra præpoſitas, niſi de ſpeciali licentia dictorũ Poteſtatis, & Conſeruatorũ, ad pœnam decem librarũ denariorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice: Quibus conſiliarijs quamprimum extracti fuerint, & antequam prima uice congregentur, deferatur per Poteſtatem dictæ Ciuitatis iuramentum cuilibet eorũ de bene, & recte cõſulendo, & ſine fraude: Et teneantur dicti Cõſeruatores in primo generali Conſilio per eos fiendo, præponere præpoſitam generalẽ ſi quis uellet pro utilitate publica aliquid dicere, uel conſulere, quod poſſit: Et ſi uiſum fuerit dictis Poteſtati, & Conſeruatoribus, aliquod Conſiliũ datũ ſuper dicta prępoſita quod cedat ad utili-

tatem dicti Communis,poſſint ponere ad partitum, abſque eo quod aliter proponatur in Conſilio Duodecim alia vice:Et nullus poſſit eligi ad dictum Conſilium niſi exceſſerit ætatem uigintiquinque annorum:Et ſi ſuper una prępoſita eſſent plura dicta,quorum vnum perderetur,præponantur alia: Et ſi plures conſulerent ad unum effectum tantum, ponatur ad partitum dictum primi Conſultoris:Et niſi prædicta omnia, & ſingula fuerint obſeruata, quod aliter ſtatutum, ordinatum,deliberatumue fuerit,nullam obtineat firmitatem, & ſit nullum ipſo iure,non obſtante aliquo Statuto,ordinamento, lege, conceſſione, priuilegio, uel gratia, quæ in contrarium loqueretur.

De Vicecomitibus,Vicarijs, & Poteſtatibus Caſtrorum Comitatus. Rub. XXVI.

VIcecomites,Vicarij, ſeu Poteſtates Caſtrorum extrahantur de buſſulo officialium dictæ Ciuitatis, & eorum officium duret ſex menſibus,& habeant ſalaria a dictis Caſtris, & hominibus ipſorum Caſtrorum ſecundum formam Statutorum ipſorum Caſtrorum approbatorum per Commune: Et poſſint cognoſcere in cauſis criminalibus uſque in quantitatem decem librarum denariorum, ab inde vero ſupra procedat Poteſtas Vrbeuetanus, & cognoſcāt inter homines Caſtri in primis cauſis de omni quantitate, & re: Et teneantur,durante eorum officio,recolligere pecuniam,quam habere deberent ratione eorum officij,a perſonis Pleberiorum,& antequam diſcedant: Quod ſi non fecerint,habeant terminum duorum menſium tantum ad exigendum: Et a dictis duobus menſibus in antea D.Poteſtas, & alij officiales non debeant aliquem Vicecomitem,ſeu Poteſtatem alicuius Caſtri audire à dicto termino in poſterum,exceptis debitis quę apparerent per publica inſtrumenta:Et durante eorum officio non ueniēt,nec permittēt quod aliqua Communantia alicuius Caſtri ueniat,uel uenire præſumat ad Ciuitatem Vrbeuetanam, uel mittere homines, uel beſtias, uel arma,cum in Ciuitate aliqua diſcordia oriretur,uel diſſenſio(quod Deus auertat) in fauorem alicuius partis,uel alicuius ſpecialis perſonæ,niſi de licētia, & mandato D.Gubernatoris,Conſeruatorum,& Poteſtatis,& qui contrafecerit,uel facere attentauerit, in mille libris cōdemnetur tam ipſe, quam ipſa Communantia,&homines: Et donec ſoluerint,ſint bāniti,& inimici Communis,& poſſint libere, & ſine pœna offendi, & contra ipſos procedi per pręſumptionem, famam, & indicia: Et ſi Poteſtas non proceſſerit contra dictos delinquentes, in eadem pœna condemnetur per dominos Conſeruatores tunc ad officium exiſtentes: Et Camerarius tantum de ſuo ſalario debeat retinere: Teneantur etiam dicti Poteſtates, & Vicecomites ſaltem ſemel, durante eorum

officio uidere omnia confinia Pleberij, in quo exercet officium, & ubi eſſet aliquod dubium, uel eleuati termini, ipſe, & Poteſtas Pleberij cum quo confinat, in dicto loco teneantur, uiſa ueritate, immittere ter minos, & non poſſit ad dictum officium exercendum accedere, quin prius habuerit litteras a DD. Conſeruatoribus cum ſigillo Communis de ipſo officio: Et ſi aliquod Pleberium, ſeu Caſtrum eſſet renitens in recipiendo dictum officialem, in quingentis libris denariorum puniatur toties quoties contrafecerit, & nihilominus recipere teneatur: Ac etiam exigent cum effectu datia, ſubſidia, & alias impoſitas Communis infra legitima tempora, & taliter curare, quod ipſum Caſtrum, ſeu homines ex dicta cauſa non patiantur detrimentum, quod ſi non fecerit cum effectu, priuetur eius ſalario: Et non permittet, quod aliquis exbãnitus, ſeu condemnatus dictæ Ciuitatis, ſit in ipſo Caſtro durante ſuo officio, ſub dicta pœna: Qui teneãtur cõtinuo ſtare in eius officio exercendo, & inde non diſcedere ſine licentia Conſiliariorum dicti Caſtri: Et ſi quod maleficiũ committeretur in dicto eius Pleberio, ſeu Caſtro, ſi per Syndicum dicti Caſtri nõ eſſet denunciatum, denunciare ipſi teneantur Poteſtati dictæ Ciuitatis, & non poſſint recipere ab aliqua perſona aliquod enſenium, uel aliquam rem niſi tãtum eſculenta, & poculenta quæ triduo conſumuntur: Teneantur etiam ſollicitos eſſe, & obedientes in omnibus quæ mandarentur eiſdem per Gubernatorẽ, & Conſeruatores dictæ Ciuitatis, ſeu alicuius eorum ex dictis officijs.

De officio Ponderatoris Farinæ. *Rub.* XXVII.

DOmini Conſeruatores pro tempore exiſtentes, eligant vnum bonum, & fidelem Ciuem pro eo tempore, & ſalario, quibus melius cõuenerint: Qui Ciuis teneatur eſſe ſollicitus, & bene deſcribat, & ponderet granum quod portatur ad macinandum, & deinde ponderet Farinam quæ fieret ex dicto grano: Et ſi non reperiretur debitum pondus, dictus Ponderator faciat tunc reſtitui per ipſum Molendinariũ domino Farinę, ad pœnam decem librarum denariorum, & ultra ipſam Farinam faciat ſolui pro pœna per ipſum Molendinarium duos ſolidos pro qualibet libra quę deficeret: Quæ pecuniæ mittantur in cippo affigendo in loco ſuę manſionis: Et de ipſo cippo habeant unã clauim DD. Conſeruatores, aliam Camerarius, & aliam dictus Ponderator, & quolibet menſe dictus cippus aperiatur: Et medietatem omnium pecuniarũ reperiendarum in ipſo cippo, habeat Camerarius dicti Communis, & aliam medietatem dictus Ponderator: Et ſi aliquis Molendinarius præſumeret portare granum ad macinandum quod non eſſet ponderatum per ipſum Ponderatorem, uel reportare Farinam, quæ non eſſet ponderata

rata,incidat in pœnam uigintiquinque librarum denariorum pro qualibet ſalma,& qualibet uice, immittenda in dicto Cippo ut ſupra, & auferenda de facto,& ſine aliquo proceſſu: Et teneatur dictus Ponderator, poſtquam ponderauerit Farinam,ſigillare ſaccum cum eius ſigillo: Et ſi dictus Molẽdinarius non iret recta uia ad domum domini Farinę,uel dictus ſaccus reperiretur diſſigillatus,puniatur pœna quinquaginta librarũ denariorum dictus Molendinarius proquolibet ſacco diſſigillato: Et ſtetur,& credatur iuramento domini Farinę aſſerentis reperiſſe ſaccum diſſigillatũ, cuius pœnę medietas in dicto Cippo immittatur: Et de alia medietate habeat dominus Farinę dimidiam,& aliam dimidiam officialis faciens executionem,&teneantur dicti Molẽdinarij tempore pluuioſo,portare copertas ſuper ſaccos grani,&farinę,ad pœnam quadraginta ſolidorum pro qualibet ſalma immittenda ut ſupra: Et ſi dicti Molendinarij aliquam fraudem committerent in ipſa Farina, immittendo terrã, vel lapides,vel aliam rem,ut magis ponderaret, puniantur per ipſum Põderatorem in uigintiquinque libras denariorum: Et dictus Ponderator ab ipſis Malendinarijs non poſſit accipere aliquam pecuniam de ipſis pœnis,uel aliqua alia cauſa, ſeu tãgere,ſed bene teneatur videre, ut ipſe pecunię,& pœna prædicta immittatur in dicto Cippo,ad pœnã cẽtum librarum denariorum pro qualibet uice qua contrafecerit,ad quam ſoluendam per Poteſtatem dictę Ciuitatis de facto poſſit cogi: Et habeat dictus Ponderator ſuum debitum ſalarium a dicto Communi, uel Camerario eiuſdem per bullectam de menſe in menſem: Et durante eius officio non poſſit comedere, ſeu bibere cum dictis Molendinarijs ad pœnam decem librarum denariorum pro qualibet uice auferenda,tam per Poteſtatem, quam per Conſeruatores dictæ Ciuitatis: Et pro qualibet uice qua non eſſet repertus ad exercendum eius officium,puniatur pœna uiginti ſolidorum per DD. Conſeruatores, & nihilominus teneatur ad omne damnum, & intereſſe illius qui propter eius abſentiam damnum fuiſſet paſſus:Et non poſſit per aliquem ſubſtitutũ eius officiũ exercere,ſine licentia DD.Conſeruatorum,ad pœnam perditionis ſalarij,& quinquaginta librarũ denariorum: Et teneatur facere librũ, in quo deſcribat quotidie omnem quantitatem grani,& farinæ quam põderaret, & nomen domini farinæ,& grani, & oſtendere vnicuique poſtulanti, &uidere uolenti,ad dictã pœnã:Et ſi inueniretur ipſum Põderatorẽ non feciſſe ſolui debitã pœnã delinquẽtibus, uel omitteret, ex quacunq; cauſa,puniatur per Poteſtatẽ dictæ Ciuitatis in quadruplũ pœnę,quã ſoluere debuiſſet dictus Molendinarius,&ſufficiat dictũ unius teſtis eius iuramẽto qui hoc aſſereret:Et nomẽ teſtis teneať in ſecreto:Et poſſit cõtra ipsũ Põderatorẽ ex dicta cauſa, tam durãte eius officio, quã p decẽniũ poſt, procedi, nõ obſtantibus quibuſcunq; Statutis in contrariũ loquẽtibus.

De

De Correctoribus Statutorum, Artium, & Pleberiorum Ciuitatis Vrbiſueteris. Rub. XXVIII.

COrrectores Statutorum Artiũ, & Pleberiorum Ciuitatis Vrbiſueteris, ac Caſtrorũ ipſius diſtrictus extrahantur annuatim in Conſilio generali de buſſulo officialium in fine menſis Decembris, Qui ſint numero quatuor, & unus Iuriſperitus, & Notarius eorumdem, Qui habeant uidere, corrigere, approbare, & emendare omnia Statuta Artium, ac Caſtrorum, & Pleberiorum dictæ Ciuitatis: Et ſi quid reperirent factum, ordinatum, uel reformatum contra ſtatum S. R. E. & pacificũ ſtatum Ciuitatis noſtræ, ac publicam utilitatem, uel bonos mores, uel contra formam præſentium Statutorum, illud caſſent, & aboleãt, & ſi non facerent, per præſens Statutũ intelligatur caſſum, & abolitum quicquid fieret contra prædicta: Qui Correctores ſint ueri Ciues, & nõ forenſes, & matriculati in artibus, & eorum officium duret per annũ tãtum: Et quicunque fuerit in dicto officio, ad dictum officium eligi nõ poſſit inde ad tres annos: Et ſi eligeretur aliquis Conſul alicuius artis, uel aliquod Statutum talia permittens, illud Statutũ caſſent, & aboleãt: Et non poſſint recipere ab aliquo Caſtro, quod faceret cẽtũ focularia, pro dicta correctione ultra quinquaginta ſolidos, ab inde uero infra uiginti ſolidos, A Conſulibus, & Camerario artis lanæ quadraginta ſolidos, à Cõſulibus artis Aromatariorum, & Mercientium triginta ſolidos, à Conſulibus Calceolariorum ſolidos triginta, ab alijs uero artibus uiginti ſolidos tãtum: Et Notarius poſſit recipere pro quolibet capitulo, ſeu reformatione addenda quatuor ſolidos, & non poſſit talis Notarius occaſione ſigni, uel alia aliqua cauſa, aliquid ultra petere: Et Statuta, & reformationes dictarũ artiũ, Caſtrorum, & Pleberiorũ nullam obtineãt firmitatem, donec per ipſos Correctores fuerint approbata: Et teneantur infra terminum unius menſis a die bannimenti faciendi ex parte dictorum Correctorum ipſa Statuta præſentare ad corrigendum, ſub pœna uiginti ſolidorum pro quolibet contrafaciente, applicanda pro medietate ipſis Correctoribus, & alia in acconcimine ſtradarum dictæ Ciuitatis: Et de dicta approbatione appareat publicum inſtrumentum manu dicti Notarij.

De Fontanerijs eligendis pro Aquæductu. Rub. XXIX.

COnſeruatores de menſe Maij, & Iunij, teneantur banniri facere, Quod quicunque uellet manutenere dictum Aquęductum pro uno anno tunc proxime futuro, cõpareat coram ipſis Cõſeruatoribus, & qui pro minori pretio obtulerit manutenere, & conſeruare, & tenere

tenere abũdantem dictam Ciuitatem de aqua ad omnes fontes, illi deliberetur: Et talis Fontanerius teneatur dare bonas cautiones dicto Cõmuni de obſeruando contenta in præſenti ſtatuto, & tenere Ciuitatem abundantem ad omnes fontes, & ciſternas deputatas, & conſuetas: Et pro qualibet uice, qua non faceret uenire aquam ad dictas fontes, & ciſternas, pro qualibet die, & pro qualibet fonte, quadraginta ſolidi pro qualibet die excomputentur de eorum ſalario, & mercede: Et promittat bene conſeruare omnia ferramenta, & maſſaritias dicti Communis factas pro uſu dicti Cannellatus, & finito eius officio, conſignare per inuentarium DD. Conſeruatoribus pro tempore exiſtentibus, & eius ſucceſſori: Et nõ poſſit aliquam quantitatem plumbi eleuare de dicto Cannellatu ſine licentia, & præſentia ſuperſtitum ipſius Cannellatus, ad pœnam decem librarum denariorum pro qualibet libra plumbi quod eleuaretur: Et non poſſit aliquid recipere ab aliqua perſona, occaſione dictæ aquæ dandæ, uel concedendæ, ſub pœna uigintiquinque librarum denariorum: Et nulla perſona poſſit de dicto Cãnellatu aquam extrahere, ad pœnam decem librarum denariorum pro qualibet uice, applicandarum pro medietate dicto Fontanerio, & pro medietate fabricæ dicti aquæductus, exceptis illis, qui habent ius ab ipſa Ciuitate, & Communi, & qui a uiginti annis citra, conſueti ſunt habere de dicta aqua, quibus licet, ut in præteritum: Et hoc in Ciuitate tantum, & non extra, non obſtantibus quibuſcunque.

De Oratoribus, ſeu Ambaſciatoribus Communis. Rub. XXX.

ORatores, ſeu Ambaſciatores Cõmunis, quando contingeret pro negotijs Communis tranſmitti ad ſummum Pontificem, vel ad aliquam perſonam, ſeu Communitatem, non poſſint modo aliquo tranſmitti, niſi prius electi, & obtenti fuerint a generali Conſilio dictæ Ciuitatis: Qui poſtquam acceſſerint ad locum deſtinatum, nõ poſſint ibidem ſtare ultra quindecim dies ſine expreſſo mandato dicti Cõſilij, & elapſo dicto termino, nihil poſſint recipere a dicto Communi, niſi tantũ pro tempore tranſacto: Quicunq; fuerit electus Orator, cuiuſcunque dignitatis, & conditionis exiſtat, non poſſit ſecum ducere ultra vnum familiarem equeſtrẽ, & vnum pedeſtrem, & habeat a dicto Communi, ſi acceſſerit ad locũ diſtantem a Ciuitate Vrbeuetana per viginti miliaria, quadraginta ſolidos pro quolibet equo, computata uectura, & omnibus, & pro quolibet pedeſtri, uiginti ſolidos: Si autem acceſſerit ad locum diſtantem ab inde ſupra, habeat pro quolibet equo ſolidos quinquaginta pro quolibet die, & pro pedeſtri ſolidos uigintiquinque,

Et

& dicti Oratores teneantur ſtatim ſe præſentare, poſtquam ad locum deuenerint, & iuxta formam commiſſionis, eorum ambaſciatam exponere, iuxta formam Capitulorũ conſignandorum per DD. Conſeruatores, prout obtentum fuit in generali Conſilio: Et ſi quis tantæ iniquitatis fuerit, quod contra formam Capitulorum, vel contra bonum publicum loqueretur, omnibus officijs, & beneficijs dicti Communis perpetuo ſit priuatus, & nihilominus ad omnia damna, & intereſſe dicti Communis teneatur: Et ſi cõmitteret aliquod tradimentũ, uel proditionem in dicta Ambaſſiaria, puniatur per D. Poteſtatem dictæ Ciuitatis pœna capitis: Et teneátur dicti Oratores in eorum reditu, quæcunque per eos geſta fuerint, a die qua diſceſſerint a Ciuitate Vrbeuetana, omnia exponere in generali Cõſilio, alias nullũ habeant ſalarium: Pro alijs autẽ rebus minimis, & non importantibus, poſſint mitti Nuncij, ſeu Oratores per DD. Conſeruatores, una cum eorum Conſilio Duodecim, non tamen ad ſummum Pontificem, vel Principem aliquem, uel ad aliquam inclytam Ciuitatem.

De officio Cultoris Terzariarum ſubſidij S. D. N. Rub. XXXI.

D ſoluẽdũ debitũ, & cõſuetũ ſubſidiũ S. D. N. uidelicet ducatos quadringentos octuaginta tres, ad rationem librarum ſeptẽ, & ſolidorũ quatuor pro quolibet ducato, qui ſoliti ſunt ſolui in tribus paghis, uidelicet in fine menſis Decembris, in fine menſis Aprilis, & in fine menſis Augusti, proponatur per DD. Cõſeruatores annuatim in Cõſilio generali, ſi videatur quod dicta exactio uendatur, vel colligatur, & ſi obtentũ fuerit quod uẽdatur, uẽdatur cũ iſtis pactis, & cõuentionibus, ſi autem obtentum fuerit quod exigatur pro Communi, eligatur ibidem per dictum Conſilium, more conſueto, vnus bonus, & idoneus Exactor, & Cultor, qui teneatur etiam ſeruare omnia iſta, & habeat pro ſuo ſalario duos ſolidos cum dimidio pro quolibet ducato de omni eo quod exegerit, & teneátur DD. Cõſeruatores eidem Cultori conſignare librum dicti Subſidij, ſcribendum per Scriptorem deputatum, & extrahendum de Cataſto dicti Communis, & non de alijs libris: Et dictus Cultor, ſeu Exactor teneatur dare idoneas cautiones dicto Communi de obſeruando omnia infraſcripta: Et teneatur dictus Cultor omni cura & ſtudio, ac diligentia uti in exigendo terzariam infra terminum duorũ menſium, & viginti dierum alterius menſis de quatuor menſibus ipſius terzariẹ: Trãſactis dictis duobus mẽſibus, & viginti diebus, teneatur cõſignare extractus male ſoluentium in ſuo libro exiſtentium ſtatim Mag. DD. Conſeruatoribus, ſub pœna quatuor ſolidorum pro floreno, & quali-

qualibet vice de facto auferenda,& expẽdenda in accõcimine murorũ dictæ Ciuitatis:& teneantur dicti Cultores ſubsidiorum ſoluere eorum terzarias infra legitima tẽpora Theſaurario S.D.N.PP.& de ipſa ſolutio ne quietationẽ à dicto Theſaurario pro Cõmuni Vrbeuetano in manibus dictorũ Conſeruatorũ dictæ Ciuitatis reportare: et dictus Cultor habeat pro ſuo uiatico (ſi contingeret ire extra Ciuitatem pro ſolutio ne fienda dicto Theſaurario, ſumptibus dicti Communis pro uiatico, & pro qualibet Terzaria) libras ſex denariorũ:& ſi infra terminum duo rum dierum, poſt lapſum tempus Communitati Vrbeuetanæ conceſ ſum de terzaria, in terzariã nõ ſoluerit,teneatur, & obligatus ſit ad om nia damna,& intereſſe, & ſolutiones in quibus dicta Communitas occaſione dictæ ſolutionis non factæ infra tempus incurreret, aut incurrere poſſet: & ſi fuerit Cultor pro Communi, elapſis dictis quatuor mẽ ſibus,& decem diebus ſequentibus,teneatur reddere rationem Reuiſo ribus dicti Communis extrahendis de Buſſulo: & ſi habuerit aliquas pecunias reſiduatas,teneatur conſignare in manibus Cultoris ſucceſſo ris,ſi non exegiſſet Terzarias per totum annum: ſed ſi per totum annũ tres terziarias exegiſſet, omne reſiduum teneatur conſignare Camerario dicti Communis, detracto tamen ſalario Reuiſorum, & eorum Notarij, ſoluendo per ipſum Cultorem lato calculo: Si autem ipſum of ficium aliquis emeret,habeat,& exigere poſsit à quolibet male ſoluente,ultra lapſum quatuor menſium cum dimidio, duos ſolidos pro qua libet libra: Si autem eſſet ſimplex Cultor pro Communi, lato calculo per ipſos Reuiſores, omne reſiduum ipſarum terziariarum deſcribatur in libro ſpeculi dicti Communis per ſcriptorem deputatum: & ad dictam ſolutionem dicti ſubſidii niſi aliter reformaretur per generale Conſilium dictæ Ciuitatis, nõ teneãtur Ciues habitantes cõtinuò in ipſa Ciuitate,cum ſubſidium ipſorum Ciuium fuerit impo ſitum à pluribus annis citra ſuper Gabella carnium, quę venditur duplicata,& facilius exigũtur pecunię pro ſupradicto ſubſidio per dictam Gabellã, quã aliter exigẽdo:& alii Ciues habitantes in Comitatu,licet pluries veniãt ad Ciuitatẽ,& aliquibus diebus habitẽt,teneanẽ ad ipsã ſolutionem ſubſidij:& Cultor,ſeu exactor, qui ſua induſtria denuntiauerit Dominis Conſeruatoribus dictæ Ciuitatis aliquam poſſeſsionem,quæ non eſſet allibrata,& deberet allibrari, & allibraretur ef fectualiter,habeat pecunias primæ Tertiariæ, & poſſeſsionis, & de ea nihil contribuat dicto Communi pro prima Terziaria tantum, & teneatur aptare omnes ſoluẽtes illicò in libris ſuis,& si nõ aptauerit, inci dat in pœnam pro quolibet,& qualibet vice duorum florenorum,& cõ ſeruare illum indemnem de ſolutione facta: & nõ poſsint dicti exacto-

H res

res recipere executiones niſi de denarijs quos effectualiter exigẽt,ſub dicta pœna, & non poſsint exigere pluſquam ſit deſcriptum in libro, quod ſi fecerint,omnibus officijs dicti Cõmunis ꝑ bieniũ ſint priuati.

De Cultore Salis, & Diſpenſatore. Rub. XXXII.

AD euitandum expenſas,quæ in ſolutione ſalis aliquando accide rũt, obſeruetur infraſcriptus ordo, videlicet:Quod Sal ipsũ de beat exigi per Cultorẽ de Buſſulo extractum,ſi Cõſilio genera li non videretur ipſam exactionem uendẽdam: & ſi venderetur,emptor dictæ exactionis,ſi autem non venderetur, Cultor teneatur infraſcripta omnia,& ſingula obſeruare: & duret dictum officium Cultoriæ, ſiue exactor iæ per vnum annum continuum,& ad ipſum librum exigendum non poſſit eligi,uel aliquis emere,qui non habeat ualorem in bonis ſtabilibus totius quantitatis Salis per ipſum exigendæ:& nihilominus dare idoneos fideiuſſores teneat̃ de ſeruando infraſcripta. Teneatur ſoluere effectualiter Theſaurario.S.D.N.PP.ſi aliter ab eius Sãctitate non obtineretur, tertiã partem totius quantitatis per totum menſem Decembris; aliam tertiam partem in Carniſpriuio. & aliam tertiam partem in Paſchate Reſurrectionis. Teneatur uti omni diligentia, cura,& ſtudio in exigendo, & per uiginti dies ante quemlibet ipſorum terminorum, pro concurrenti quantitate, debeat facere extractus omnium male ſoluentium, & conſignare DD.Cõſeruatoribus, qui ipſum extractum cõſignent Poteſtati,ut ipſe executionem faciat infra quinque dies, ſub pœna quatuor florenorum pro quolibet contrafaciente,& qualibet uice: & teneatur ſatisfacere infra dictos ter minos dicto Theſaurario,& reportare quietationes pro dicto Cõmuni DD.Conſeruatoribus de terzaria in terzariam,& pro eius uiatico,& labore ſi contingeret ipſum ſoluere dictas pecunias extra Ciuitatem, habeat in totum,per totum annum,ſumptibus dicti Communis, libras decẽ & octo denariorũ:Et ſi dictus Cultor ſeu Exactor nõ fecerit dictas ſolutiones debitis temporibus,teneatur ad omnia damna,& intereſſe, & expenſas,ac ſolutiones,in quibus quomodolibet incurreret,ſeu incurrere poſſet dicta Communitas occaſione ſolutionis non factæ de denarijs,qui eſſent exacti per ipſum Cultorem, & ad omnia damna, & intereſſe,& expenſas Ciuium,uel Comitatiuorum, qui aliqua damna, uel expenſas ſubſtinuiſſent occaſione prædicta: & facta integra ſolutione totius quantitatis Salis debiti, & expleto anno, dictus Cultor teneatur reddere rationem de eius adminiſtratione, & ſuum librum conſignare DD. Conſeruatoribus, qui ipſum conſignent ad reuidendum Reuiſoribus deputatis: & omnes pecunias reſiduatas teneatu-

ſoluere

ſoluere Cancellario Cõmunis ante calculum ferendum, ſub pœna quin quaginta Florenorum, detractis tamen libris ſex denariorum de dictis pecunijs, pro ſalario ipſorum Reuiſorum, & eorum Notarij, & lato culo omnes debitores reſtantes in dicto libro, ſcribantur in libro culi per Scriptorem deputatum, & teneatur facere manu ſua bullett omnibus ſoluentibus, & ſal volẽtibus, & tale bullettinum dirigatur Di ſpenſatoribus ſalis, ſub pœna quatuor Florenorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice: & teneantur aptare omnes ſoluentes in libris ſuis illico, & si non aptauerint, incidant in pœnam pro quolibet, & qualibet uice, duorum Florenorum, & conſeruandum illum indemnem de ſolutione facta: & non poſsint dicti Cultores exigere exactiones, niſi de denarijs quos effectualiter exegerint, & non poſsint exigere pluſquam ſit deſcriptũ in libris, quod ſi fecerint, omnibus officijs, & beneficijs dicti Communis ſint priuati, & totum ſal dicti Communis, quando non uenderetur dicta exactio, debeat poni in una ſtantia, ſeu manſione humiditate carente, quæ habeat duas claues, quarum unam retineant DD. Cõſeruatores, & aliam Ciuis, ſeu alius Depoſitarius deputatus ad tenendum computum Communis, qui consignent qualibet uice Diſpenſatoribus mille libras ſalis, & totidem uendentibus ad minutum, & teneantur dicti Computus dicti ſalis consignandi, tam per dictum Depositarium, quam per Cancellarium Communis de per ſe, & non poſsit uendi dictum ſal, tam in groſſum, quam ad minutum, ultra xij. denarios pro qualibet libra: Et finito Anno, uideatur ratio pecuniarum exactarum per Cultorem, & ſalis consignati diſpenſati, & uenditi ad minutum per ipſos Reuiſores: Et in Comitatu habeat exigere dictus Cultor dictum ſal, ſicut extitit conſuetum, & diſtributum, & durante ſalis abundantia in dicta Ciuitate, nullus poſsit immittere aliquam quantitatem ſalis, ſub pœna decem Florenorum pro quolibet centenario ſalis, applicanda pro tertia parte dicto Cultori, & pro alia tertia Communi dictæ Ciuitatis, & pro alia tertia Officiali facienti executionem, & portans, ab inde infra, uel ſupra ſoluat pro rata dictæ pœnæ, & teneãtur dicti Diſpenſatores consignare ſal ſtatim recepto bullettino, ſeu apodiſſa Cultoris, & dicti uendentes ad minutum uendere omnibus petentibus, tam Ciuibus comitatiuis, quam forenſibus, in eo pondere, quo uellent emere, ad pœnam decem librarum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, applicanda pro dimidia accuſatori, & pro alia dimidia Cameræ Communis.

De Scriptoribus librorum. Rub. XXXIII.

Scriptores librorum datiuarum terzariarum librarum ſalis,& alterius cuiuſcunque impoſitionis, extrahantur de Buſſulo Officialium dictæ Ciuitatis, & eorum officium duret per annum, qui ſint boni Scriptores,& bene intelligant, & ſcribant per litteras, & dictiones, & non per abbreuiaturas,& infra terminum octo dierum,poſtquam eis mãdatũ fuerit per Dominos Cõſeruatores,teneãt deſcribere effectualiter ipſum librũ, & eis cõſignare,& extrahere ipſas terzarias,& ſubſidia de cataſtis dicti Communis,& non de alijs libris:& quando contingeret deſcribere omnia nomina Ciuium,Comitatiuorum, & Forenſium debẽtium ſoluere ſubſidium,. habeat pro integro libro pro eius merce de libras ſex denariorum: Si autem extraheret Comitatum,& Forenſes tantum,habeat libras tres denariorum: de alijs autem libris quarumcũque impoſitionũ per ipſum ſcribendis, habeat ſimiliter alias ſex libras denariorũ,& pro remisſione cuiuslibet libri in ſpeculo habeat ſolidos quadraginta : & ſi dictus Scriptor omiſerit aliquem in ſcribendo in dicto libro, pro quolibet omiſſo teneatur ad pœnam x. librarum denariorum dicto Communi, & ſeruare ipſum Commune indemne, & nihilominus ſcribere teneatur ad dictam pœnam, & habeat terminũ triũ dierum pro quolibet libro deſcribẽdo in dicto libro ſpeculi à die præcepti ſibi facti per Dominos Conſeruatores, aliàs elapſo dicto termino, ſi eſſet negligens, Domini Conſeruatores posſint alteri cõmittere prout eis videbitur, ne ipſum Commune aliquod detrimentum patiatur.

De asſignatore Asſignæ. Rub. XXXIV.

ASſignator asſignæ, annuatim de Menſe Octobris extrahatur de Buſſulo Officialium dictę Ciuitatis ad pœnam decem Florenorum Conſeruatoribus exiſtentibus in officio, ſi non extraxerint de dicto Menſe:Qui asſignator infra terminum viginti dierũ a die extractionis, teneatur accesſiſſe per totum Comitatũ,& deſcripſiſſe integram Asſignam omnium Comitatiuorum, prout asſignauerint eorum medio iuramento recollegiſſe in æſtate, & vindemia tunc præterita, & omne genus beſtiarum : & ſi quis fraudauerit in aliquo ipſam Asſignam in non aſſignãdo, incidat in pœnam duorum Florenorũ pro qualibet re non asſignata, de qua deberet ſolui Asſigna, & de dicta pœna habeat medietatem dictus Asſignator,& aliam medietatem habeat

Camerarius Communis, & habeat pro ſuo labore, viatico, & ſalario totius aſsignationis, computata vectura equi, libras ſexaginta denariorum, & in Comitatu habeat expenſas pro ſe, & Baiulo expenſis ipſorum Comitatiuorum, & ipſam Aſsignam infra terminum trium dierum à die reuerſionis aſsignaſſe Dominis Conſeruatoribus, qui habeant conſignare Scriptori librorum deputato, & dicto Scriptori terminum decem dierum ſtatuant ad ſcribendum ipſum librum, & ſi fuerit negligens, alium deputare poſsint.

De Cultore Aſsignæ. Rub. XXXV.

CVltor Aſsignæ annuatim extrahatur de menſe Octobris de Buſſulo Officialium dictæ Ciuitatis, qui ſit idoneus, & actus ad dictum Officium exercendum, qui omni cura, ſollicitudine, & ſtudio debeat exigere dictam Aſsignam ſecundum taxam appoſitam in dicto libro, infraſcripto modo deſcribendo videlicet: pro qualibet ſalma vini ſolidos duos, pro qualibet ſalma grani denarios ſexdecim, pro qualibet ſalma ordei, ſpeltę, milij, & ſimilium ſolidum vnum, pro quolibet quartengo cicerum, cicerchiarum, & ſimilium denarios ſex, pro qualibet ſalma fabarum denarios ſexdecim, pro qualibet beſtia groſſa baccina, bufalina ab anno ſupra ſolidos duos, ab anno infra ſolidũ vnũ: pro qualibet de beſtijs caballinis, aſininis, & mulis ſolidos duos cum dimidio pro quolibet capite ab anno ſupra, ab anno infra denarios quindecim: pro quolibet capite de beſtijs porcinis ab anno ſupra ſolidum vnum, pro quolibet ab anno infra denarios octo, pro quolibet de troiis, & verris denarios ſex: pro quolibet de pecudibus, & capris denarium vnum pro qualibet. Qui cultor teneatur iurare in manibus Dominorum Conſeruatorum de fideliter exercendo dictum officium, & dare idoneas cautiones de obſeruando omnia contenta in præſenti Statuto: & debeat aptare omnes ſoluentes ad eius librum ad pœnam duorum Florenorum pro qualibet vice qua contrafecerit, & nihilominus ad damna, & intereſſe talis non aptati teneatur: & de dicto libro exigat medietatem per totum menſem Ianuarij, & aliam medietatem per totum menſem Auguſti, & elapſis dictis terminis, uel altero ipſorum, poſsit dare in extractum omnes male ſoluentes, pro concurrenti quantitate, & dictus Cultor teneatur facere apodiſſam cuilibet ſoluenti, & pro qualibet apodiſſa dictus Cultor recipiat xii. denarios, & finito anno conſignare librum Dominis Conſeruatoribus, & pecunias per ipſum exactas ante consignatio nem

nem dicti libri debeat effectualiter ſoluiſſe Camerario dicti Communis, & à dicto Camerario recipere quietationem manu Notarij Camerarij de menſe in menſem ſecundum quod exegerit, ad pœnam duorum florenorum qualibet uice, & facta conſignatione ipſius libri, Domini Conſeruatores habeant conſignare Reuiſoribus deputatis, qui infra decem dies debeant dediſſe calculum dicti libri, & pro eorũ Salario habeant libras ſex denariorũ, & omne reſiduum dicti libri poſt datum calculum deſcribatur per ſcriptorem deputatum in libro ſpeculi.

De Cultore libri ſpeculi. Rub, XXXVI.

CVltor libri ſpeculi extrahatur annuatim de menſe Decembris de Buſſulo officialium dictæ Ciuitatis, qui ſit aptus, & expertus, & in dicto libro deſcribātur omnia reſidua ſubſidiorum, ſalis, aſsignę, & aliorum quarumcunque Impoſitionum dicti Communis & omnes cōdemnati de maleficiis, & damnis datis, & omnes alij debitores dicti Communis; & dicta reſidua deſcribantur per ſcriptorem librorum deputatum: & condemnationes per Notarium Sindicorum dicti officialis, qui dictas condemnationes dedit: & dictus Cultor debeat iurare in manibus dominorum Conſeruatorum de bene exercendo dictum officium, & de bene exigendo, & præſtare bonas cautiones de ſoluendo omnem quantitatem per ipſum exigendam. Qui Cultor teneatur cum dicto libro intereſſe in omni extractione fiēda officialiũ dictæ Ciuitatis: & ſi tempore extractionis fuerit aliquis repertus deſcriptus de aliqua quantitate in dicto libro ſpeculi ſiue iuſte, ſiue iniuſte debeat lacerari, & priuari de dicto officio: qui Cultor habeat duos ſolidos pro qualibet libra per ipſum exigenda expenſis dicti ſoluentis, & in condemnationibus decem ſolidos de qualibet condemnatione cuiuſcunque quantitatis, & non permittet quod aliquis caſſet dictos condemnatos niſi Notarius Camerarii, & omnes pecunias per ipſum exigēdas conſignare teneatur de mēſe in mēſem Camerario Cōmunis, ad pœnam duorum florenorum pro qualibet uice qua contrafecerit, & finito anno conſignare ipſum librum Dominis Conſeruatoribus, qui conſignent Reuiſoribus, & ipſi Reuiſores infra terminum decem dierum debeant reuidiſſe, & dediſſe calculum, & ipſum librum poſtmodum habeant Domini Conſeruatores conſignare ſucceſſori in officio ſtatim: & ſi accideret quod extractus ad aliquod officium ſoluiſſet, & negligentia, aut aliqua quacunque cauſa Cultoris ſpeculi, aut alterius cuiuſcũque Cultoris non fuiſſet aptatus, quod talis Cultor

tor,cui fuiſſet facta ſolutio, teneatur ad damna, & intereſſe illius extracti, & ad pœnam duorum florenorum, & omnino ille extractus laceretur: & si Cultor ſpeculi repertus fuerit aptaſſe aliquem per uiam depositi, vel quacunque cauſa, vel via, teneatur debitum talis sic aptati ſoluere inremiſsibiliter, & ponatur talis quantitas illius sic aptati ad introitum Cultoris ſpeculi, & non poſsit amplius reſtitui, neque reuocari: & consignaſſe omnem pecuniam residuatam Camerario dicti Cōmunis, ante quam dicti Reuiſores calculum proferant, ad pœnā dupli totius quantitatis quam haberet in manibus.

De Extimatoribus Communis. Rub. XXXVII.

EXtimatores quorumcunque damnorum fiendorum, vel datorum per quoſcunque Ciues vel forenſes, ſeu comitatiuos, vel per euntes ad maritimam, vel per uenientes abea, tam cum beſtijs, quam sine, eligantur per dictum Cōmune, & extrahantur de Buſſulo officialium in Consilio generali, quorū officiū duret per annū: & eligatur unus pro quolibet quarterio: & ad extimandum damnum datum ſufficiant duo de numero quatuor, qui iurēt eorum officium in manibus Dominorum Conſeruatorum, & recipiant expenſas illius qui dānum dederit, ſi damnum fuerit datum in Ciuitate, quinque ſolidos pro quolibet, & ultra dictos decē ſolidos, duos ſolidos pro quolibet miliari quo contingeret abſentari à dicta Ciuitate, computato reditu: & teneātur immediate poſt reditū facere relationes de dicta extimatione, si dānum datum penderet coram officialibus damnorum datorum, ipsi officiali, & rogatum facere eius notarium, alias teneantur referre Poteſtati dictæ Ciuitatis, & rogatum facere vnum ex notarijs bancæ.

De Notarijs Cauſarum Ciuilium. Rub. XXXVIII.

QVia temporibus retroactis propter officia dictorum Notariorū primæ cauſæ, & aliæ cauſæ ordinatæ ſecūdum formam ſtatutorum, fuerunt cognitę in Curijs in quibus cognoſci nō debebant, ſtatuimus, & ordinamus: quod de cætero Notarij qui fuerint extracti, & deputati ad ciuiles cauſas pro Curia Poteſtatis, ſint & eſſe debeant Notarij cauſarum in curia Gubernatoris, ſeu eius Locumtenētis: & nemo alius poſſit ſe rogare de aliquo actu ciuili in aliqua dictarū Curiarum ſine licētia dictorum deputatorum, ſub pœna centum ſolidorū pro qualibet uice: Qui Notarii extrahātur de Buſſulo officialium dictæ Ciuitatis, & ſint numero tres, & eorum officium duret per ſex menſes,

ſes: & ad remouendum omnem diſcordiam, omne lucrum, quod percipient ad bancum de primis ſcripturis, ſit commune inter eos. Teneantur dicti Notarij, & quilibet ipſorum deſcribere in eorum libris omnes dies feriatos, & omnes dies quibus contingeret Iudicem non ſedere, & narrare cauſam propter quam non ſedit, & dictum lucrum intelligatur inter prçſentes, & qui ſtaret vel iret ad dictum Bãcum ad dictum officium exercendũ, aliàs præſentes abſenti non teneantur aliquid contribuere, niſi quatenus procederet de eorum voluntate, & teneãtur debitis horis, & temporibus accedere ad eorum officium exercendum: & ſi quis ob negligentiam alicuius Notarij non euntis ad Banchum, & non interueniente legitima cauſa, dãnum pateretur, teneatur ad omnia eius dãna, & nihilominus poſſit mulctari per Iudicem vſque in quantitatem viginti ſolidorum pro qualibet vice.

Quod Notarij ſcribant bona fide integre, & non per ſyllabas, & dictiones, & de mercede ſcripturarum. Rub. XXXIX.

NOtarij, ne fraudem committãt, omnia inſtrumenta ſcribant bona fide integra. ſ. Annos Domini, Indictionem, Pontificatum, quantitatem pecuniarum, libras, ſolidos, & diem per ſyllabas, & dictiones integras, & per litteras ſpeciales, & dictum cuiuslibet teſtis ſeriatim: Et Notarius teneatur omne inſtrumẽtum, ſeu exemplum, vel copiam, poſtquam fuerit ei ſatisfactum, infra octo dies conſignare ſi fuerit petitum, niſi Notarius eſſet perſonaliter impeditus, aut amiſiſſet protocollum, & ſi iurauerit amiſiſſe abbreuiaturas ſine dolo, & culpa, inſtrumentum reddere non cogatur, ſed partes compellantur nouũ facere inſtrumentum: & teneatur Notarius ſcribere coram partibus, & teſtibus, vel maiori parte teſtium protocolla, & legere, ne ſit ibi ſuperfluum, vel defectus, & qui contrafecerit condemnetur in centum ſolidis: & ſi quis non recollegerit inſtrumentum infra tres dies poſtquam à Notario fuerit requiſitus, & dediſſet Notario cartã, vt ſcriberet in ea ipſum inſtrumentum, ſoluat nomine pœnæ duplum pretij inſtrumenti. Hoc idem intelligatur, & ſeruetur de Notario, cui relicta, ſeu cõmiſſa ſunt protocolla alicuius Notarij mortui: & ſi quod inſtrumentum peteretur à Notario refici quod diceretur amiſſum, ſi tale eſt inſtrumentũ in quo contineat alicui aliquid ſoluendum, faciendũ, vel dandum, Notarius non debeat reficere dictum inſtrumẽtum, niſi citatione facta de parte aduerſa, & mãdato Iudicis accedente, ſub pœna uiginti quinque librarum denariorum, & Iudex non poſſit mandare ipſum inſtrumentũ refici

refici,niſi vocata altera parte:qua veniente, ſi iuſta cauſa contradictionis allegabitur, inſtrumentum non reficiatur, alioquin præſtetur iuramentum ab illo, qui petit refici inſtrumentum, quod re uera ipſum inſtrumentum eſt amiſſum ſine dolo,& fraude ſua:& ſi quo tempore reinuenerit vnum ex ipſis inſtrumentis,aſsignabit Notario,& vno tantum utetur: & ſi Abbreuiaturę ſeu protocolla Notariorum defunctorum inuenirentur defectiuæ, uel defectiua, ſiue ſint ſcripta in ſchedulis,ſiue in quaternis, refici poſsint, & debeant per Notarium cui cõmiſſa eſſent,vel fuerint, cum omnibus clauſulis conſuetis, ſecundum formam Communẽ, & ſecundum conſuetudinem aliarum ſcripturarum defuncti,ſubſtantia contractus non mutata. Qui Notarij recipiant infraſcripta precia,& mercedes:pro eorum mercede,ſcriptura,ac labore uidelicet, pro qualibet petitione apud acta,ſolidos duos: pro exhibitione cuiuslibet libelli ſi fuerit vnus,& ſingularis,ſolidos duos:ſi fuerit duplicatus,ſolidos quatuor: pro accuſatione contumacię in ſecũda citatione ſolidos duos: pro cõmisſione tenute,ſolidos duos:pro relatione Baiuli,qui referret conſignationem tenutę,ſolidos duos:pro examinatione cuiuslibet teſtis,ſolidos octo: de quibus examinationibus habeat medietatẽ examinator: pro legitimatione mandatorũ, ſolidos quatuor:pro litis conteſtatione,& termino dato ad probandum, ſolidos quatuor:pro probatione cuiuslibet ſententiæ, ſolidos quinque pro qualibet parte: pro comisſione executionis,ſolidos quatuor. De alijs autem actis, qui fierent ad bancum,& exhibitionẽ inſtrumentorũ, & ſcripturarũ, pro quolibet actu ſiue exhibitione,ſolidos duos: & pro qualibet reſponſione cuiuslibet articuli per partem quæ petit reſpõderi, denarios ſex pro quolibet articulo: pro qualibet copia quorumcunque actorũ,& ſcripturarum,ſolidos quatuor pro qualibet carta,quę cõtineat pro qualibet facciata ſaltem viginti verſus: ſi vero dictæ copiæ publicarentur, ſolidos quinque,pro qualibet carta: pro qualibet ſentẽtia, quę daretur in publicã formam, recipiat Notarius à parte obtinẽte unũ ſolidum cum dimidio pro quolibet Floreno ualoris contẽti in sẽtẽtia, à parte uero ſuccũbẽte ſi ipsã voluerit in publicã formã, medietatẽ dictę quantitatis:& nõ poſsit cogi Notarius ad dandũ copiã alicuius inſtrumẽti ſeu sẽtentię niſi tantũ in publicã formã: pro quolibet Teſtamẽto,ſeu Codicillo ſi exigeretur ab aliquo extraneo,& qui alias nõ ſuccesſiſſet Teſtatori ab inteſtato,quinque Florenos pro quolibet cẽtenario Florenorũ,& ab inde ſupra vel infra,pro rata dictæ quantitatis: ſi vero eſſet ſuus hęres,& qui aliàs ſucceſsiſſet ab inteſtato,medietatẽ dictæ quantitatis: pro quolibet inſtrumento donationis quod daretur in publicam formam, ſi eſſet quinquaginta librarum, uel ab inde

infra, triginta ſolidos: ſi vero eſſet centum librarum vſque ad quinquaginta, quadraginta ſolidos: ab inde ſupra, tres ſolidos pro quolibet Floreno totius quantitatis donatę. De alijs vero inſtrumentis uenditionũ, permutationum, arbitramentorum, & aliorum quorumcunque, ſi fuerint quinquaginta librarũ, uel ab inde infra, triginta ſolidos: ab inde vero ſupra, unum ſolidum pro quolibet Floreno: pro quolibet inſtrumento mandati, pro quolibet cõpromiſſo, ſolidos triginta pro quolibet inſtrumento: de alijs uero inſtrumentis non deſcriptis ſuperius, recipiat de ſimilibus ad ſimilia: & ſi aliqua contentio oriretur occaſione mercedis ipſarum ſcripturarum, quæ per pręſens Statutum non eſſet deciſa, ſtetur iudicio Conſulum Collegii Notariorum.

Quod omnes Carnaioli, & Macellarij habeant vnum Statutum. *Rub. XL.*

CArnaioli, & macellarii omnes habeant unum Statutum, & ad unum Statutum conſtringantur, quod ab eis, & eorum expenſis fieri debeat, & nullus poſſit facere carnes, & macellare in Ciuitate ad minutum, qui non ſit iuratus in arte macellariorum: & teneãtur Conſules dictæ artis, & cæteri macellarii annuatim de menſe Ianuarij, ad pœnam decem librarum pro quolibet contrafaciente, iurare coram Poteſtate dictę Ciuitatis ueraciter facere, & uendere bonas carnes, & non granellatas, uel morboſas, nec præſumant retinere in eorum banchis, & macellis ſub dicta pœna, & dominus qui uendiderit dictũ animal dicto macellario, teneatur recipere dictum animal mortuũ, & reſtituere pretium habitum, & nulla tranſactio fieri poſſit inter eos de dictis carnibus: & nullus poſſit uendere carnes ſcrofinas à Paſchate maiori uſque ad feſtum omnium Sanctorum, nec uendere unam carnem pro alia, nec ſubmittere, uel retinere carnes ſcrofinas cum porcinis in eodem diſco, & quotiens fuerit interrogatus, teneatur reſpondere ueritatem, & non unum pro alio, nec ſub dolo uel fallacia, & non retinere aliquas carnes morticinas, nec uendere carnes morticinas in Ciuitate, uel Burgis, ſeu carnes inflatas: & nullus macellarius poſſit uendere in dicta Ciuitate aliquo tempore, niſi ad portas ipſius Ciuitatis carnes adlupatas, ſeu uulneratas, ſeu aliquem alium defectum habentes, montones, capras, uel hircos, ad pœnam decem librarum pro quolibet contrafaciente, & ſimiliter agnos

non

non poſſit vẽdere in Ciuitate, niſi à Paſchate maiori vſque ad dimidiũ Menſis Iunij, & nullus Carnaiolus emat carnes crudas cauſa reuenden di, ſeu animalia, quæ eſſent infirma. Item nullus macellarius occidat aliquam beſtiam uaccinã in macello ſeu macellis per quadraginta brachia à Platea maiori, nec in ſtrata à porta maiori vſque ad portam Puſterulę, & à platea Populi uſque ad Eccleſiam.S. Mariæ: & nullus proijciat oſſa, ſeu pedes beſtiarum in dictis locis. Item interiora beſtiarum non ponantur iuxta plateam per centum brachia, ſub dicta pœna. Teneantur dicti macellarij vendere eorum carnes ad pondus bilanciarũ ad decem librarum incluſiue infra, & ponderare ad bilancias iuſtas, & legales, & à decem libris ſupra ad ſtateras iuſtas, & legales: & DD. Conſeruatores, & Poteſtas teneantur ſemel in menſe proponere in Conſilio de pretio carnium, & pro quanto pretio habeant vendere dicti macellarij libram quarumlibet carnium: & ponitores carnium uaccinarum eligantur per Dominos Conſeruatores de quindecim diebus in quindecim dies, & habeant dicti ponitores ab emptore Gabellæ carnium ſexaginta ſolidos pro dictis quindecim diebus inter omnes: & non poſſit eligi ad dictum Officium aliquis, niſi ſemel in eodem anno, quibus deferatur iuramentum per dictos DD. Conſeruatores de fideliter ponendo dictas carnes: & dicti macellarij non poſſint uendere carnes vltra pretium poſitum per dictos ponitores, ſub pœna xxv. librarum pro qualibet contrafaciente, & qualibet vice.

Quod beſtiæ uendi poſſint vbique in Ciuitate, exceptis locis infraſcriptis. Rub. XLI.

LIcitum ſit cuilibet perſonæ conducenti graſciam porcorum, uel aliarum beſtiarum ad Ciuitatem Vrbeuetanam vendere in quacunque parte Ciuitatis voluerint, ſaluo quam in platea maiori Communis, & in platea Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, in quibus teneri, & vendi non poſſint, ad pœnam centum ſolidorum.

De venditoribus piſcium. Rub. XLII.

VEnditores piſcium vendant piſces in platea ante fontem abbeueratoriæ ſubtus plateam maiorem, & venditores piſcium non ſedeant, ſed recti ſtent, donec piſces uẽdiderint, ad pœnã 40. ſolidorũ. Et uẽditores piſciũ undecũq; fuerint, omnes ſalmas piſcium

quas poſuerint penes hoſpitem, teneantur ſimul deferre ad vendendũ in dicto loco, vt hoſpes non poſsit penes ſe, uel in hoſpitio ſuo aliquã ex dictis ſalmis retinere: & teneatur venditor piſcium tenere omnes piſces quos habet uenales in diſco, ſeu in ſedili, ſi diſcus eſſet capax: nec aliquis poſsit emere piſces cauſa reuendendi, & qui contrafecerit, perdat piſces, exceptis tabernarijs, & albergatoribus, qui ipſos poſſint reuendere coctos, & non crudos. Qui tabernarij, & albergatores non poſsint emere piſces, niſi poſt duas horas poſtquam inceptum fuerit uendi, & uenditor non poſsit reponere piſces ſegregatim, ut uendat eis, & nullus poſsit extrahere piſces, quos portauerit ad uendendũ, & portare alibi, ſub pœna decem librarum denariorum pro quolibet cõtrafaciente, & uice qualibet: & nullus præſumat uẽdere piſces niſi prius fuerit deputatũ preciũ per DD. Cõſeruatores dictæ Ciuitatis, ad pœnã uiginti quinque librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice: & uenditores piſcium fluminum, ſeu alicuius lacus, uel peſcariȩ exiſtentium in tenimento dictæ Ciuitatis non teneantur ſoluere niſi medietatem Gabellæ, quæ ſoluitur de alijs piſcibus.

Quod Poteſtas teneatur facere iurare Trecculos, & Olearios de Mẽſe Ianuarij. Rub. XLIII.

DE Menſe Ianuarij annuatim omnes trecculos, & trecculas Poteſtas faciat iurare nõ ponderare niſi ad pondus iuſtum dicti Cõmunis, & ſignatum, ad pœnam uiginti ſolidorum pro qualibet uice, & ſtetur iuramento denuntiatoris: & olearij ſimiliter iurent non uendere oleum, niſi ad iuſtam menſuram, & nõ uendere oleum de lampadibus, ad pœnam decem librarum pro qualibet uice.

De iuramento Molendinariorum, & dictam artem exercentium. Rub. XLIV.

Olendinarij Ciuitatis noſtræ, & eius Comitatus omnes, & farinam deferentes iurent annuatim eorum artem legaliter exercere, & bonam farinam facere, & bene macinare, & bladam, uel farinam nõ cambiare, coram Poteſtate dictȩ Ciuitatis, & ſeruare ſtatutum ſuprapoſitum ſub Rub. de Officio Ponderatoris farinæ, in omnibus partibus, & Capitulis loquentibus de dictis Molendinarijs, & liceat eis de uiginti menſuris accipere unam, & non plus: & ſi do minus

minus grani portauerit granũ ad macinãdum, & reportauerit farinam, teneatur ad medietatem dictæ moturæ. Teneãtur habere menſuras ferratas, & ſignatas ſigno Aquilæ, & adiuſtatas per Superſtites Communis, & tenere ligatas cum catena ferrea ad trimoiam molendini, & nõ menſurare ad aliam menſuram, & teneantur menſurare totum bladum, antequam mittatur in trimoia. Et ſi molendinarius reperiretur habere coppam ad menſuram falſam, in cẽtum ſolidis condemnetur, ſi autem eſſet iuſta, & nõ ſignata dicto anno, in quadraginta ſolidos puniatur, & nullus poſſit tenere aliquem molendinum, niſi fuerit ſcriptus in matricula dictæ artis molendinariorum.

Quod furnarij iurent eorum artem legaliter exercere. Rub. XLV.

ANnuatim Poteſtas iurari facere teneatur furnarios, & furnarias, & ab eis fidem recipiet, furnum mundare, & panem bene coquere ad uoluntatem domini, & eorum artem legaliter facere, & pro quolibet quartengo recipere quatuor ſolidos tantum, & teneatur portare, & reportare panem, & ſi non portauerit, habeat medietatem, & uti arte ſua ut ſupra: & ueniant furnarij uel furnariæ ad comandandũ panes ad domum illius cuius fuerit panis, ad uoluntatem ipſius, & reddere panem in uero numero, ad pœnam dupli panis deficiẽtis: ſtetur iuramento domini de pane non reddito, ſaluo tamen dictis furnarijs iuſto, & legitimo impedimento: & nullus furnarius uel furnaria ſcaldet furnum ſuum cum nucleis oliuarum, ſub pœna uiginti ſolidorũ, & quod non deneget coquere panem illis, uel illi, quiei denũtiauerit de prædictis, uel aliquod prædictorum, ad pœnam prędictam, & ſtetur iuramento illius, cui panem coquere denegauerit.

Quod Poteſtas teneatur facere iurare textores, & textrices. Rub. XLVI.

TExtores, & textrices guarnelij, panni, lini, & canapis Poteſtas annuatim iurare faciat, ut eorum artem legaliter, & ſine fraude faciant, & reddere pannum ad brachium Communis, & tenere, & facere guarnellos, ſeu petias guarnellorum longas, & amplas, ut bombacini de Cremona, ita quod quælibet petia ſit longa de xx. brachijs ad brachium Communis, & nullus debeat uendere niſi ſit longa, & ampla ut dictum eſt, ad pœnam xx. librarum denariorum, & textores, & te

xtrices

xtrices bombacinorum obedire, & reſpondere, & iurare teneatur Cõſulibus mercatorum, & dictæ artis contribuere, & non poſſint tollere, nec petere per ſe, uel alium pro textura panni lini, uel canapis de decem & octo ligatis, pro quolibet brachio, niſi ſex denarios, & de brachio ſexdecim ligatis ſexdecim denarios, de quatuordecim ligatis quinque denarios, & de brachio xij. ligatis quatuor denarios tantum, & bennis decẽ ligatis ſex ſolidos, & de bennis nouẽ ligatis quatuor ſolidos, & de bennis octo ligatis decem & octo denarios. Si quis autem prædictorum prædicta non obſeruauerit, ſeu contrafecerit, qualibet uice in uiginti ſolidis puniatur, & reſtituat illud ultra quod accepit, & de prædictis ſtetur ſacramento denuntiatoris, ſaluis tamen pactis, & conuentionibus partium.

De officio Superſtitum Nundinarum, & de ipſis Nundinis. Rub. XLVII.

DOmini Conſeruatores per octo dies antequam incipiant ſupra ſcriptæ nundinę, annuatim banniri faciant per loca publica, & conſueta dictę Ciuitatis per publicos præcones ipſius Ciuitatis, quod uenientes ad ipſas nundinas cum rebus uel ſine, ipſis durantibus libere uenire, ſtare, & recedere poſſint, exceptis Rebellibus, & cõdemnatis noſtri Cõmunis, & Sãctę Matris Eccleſię, & dictæ nundinę intelligantur eſſe in infraſcriptis temporibus uidelicet: Dies Offcij corporis Chriſti cum octo diebus prędecentibus, & octo ſequentibus. Dies Aſſumptionis Beatæ Marię Virginis de menſe Auguſti cum quatuor diebus prędecentibus, & quatuor ſequentibus. Dies feſtiuitatis S. Britij cum tribus diebus præcedentibus, & tribus ſequentibus: & tẽpore ipſarum nundinarum Conſeruatores pro tempore exiſtentes eligant quatuor Superſtites uidelicet: duos qui habeant continuo morari in Ciuitate, & duos in campo nundinarum: Qui habeant cognoſcere de omnibus litibus, & controuerſijs, quę orirentur dictis temporibus occaſione beſtiarum, uel mercantiarum: & dictis temporibus unicuique liceat hoſpitari forenſes abſque eo quod aliquid præſtare, uel ſoluere teneãtur Arti hoſpitatorum, dummodo colligantur uinum: & uendentes uinum ad minutum in campo nundinarum nullam Gabellã ſoluere teneantur dictis temporibus, & uendentes, & ementes beſtias dantes in ſocitam, uel diuidentes, uel aliter quomodocunque contractantes in dicto campo nundinarum dictis temporibus, & circumcirca ipſum campum per tractum baliſtę, & per omnes ſtradas uenientes, à dicto

à dicto campo ad Ciuitatem Vrbeuetanam, & per omnes ſtratas,& pla teas intus Ciuitatem nullam Gabellam ſoluere teneantur, & nulla Ga bella poſſit exigi ab aliquo forenſi immittente, uel extrahente dictis temporibus aliquam mercantiam. Et ſint etiam Nundinæ in Caſtro no ſtro Ciuitellæ Agliani annuatim ad beneplacitum Cōſilii generalis in die Sancti Laurentii cum uno die ſequente, & uno præcedente. Et in Caſtro noſtro ſancti Venantij quolibet die Mercurii, nulla tamē per ſona poſſit immittere temporibus dictarum Nundinarum, nec aliquo alio tempore aliquam quantitatem panni forenſis, ſeu ſotularium, uel aliarum rerum, de quibus eſſet copia in Ciuitate noſtra, & quę fierent abundanter in Ciuitate, uel eius Comitatu, ſub pœna perditionis dicta rum mercantiarum, & rerum omnium, & quinquaginta ducatorum ap plicandorum pro medietate Conſulibus dictæ Artis ipſam mercātiam faciētibus in ipſa Ciuitate, & Comitatu, & pro alia medietate Camerę Communis Vrbiſueteris: liceat etiam Ciuibus, & mercatoribus noſtrę Ciuitatis portare pannos ad Ciuitatem noſtram, qui eſſent ualoris.xx. librarum denariorum pro qualibet canna, & ab inde ſupra extimandos per Conſules Artis mercatorum, & Artis lanæ: & nulla perſona Ciuita tis prędictę, uel Comitatus poſſit emere aliquam quātitatem panni ex- tra dictum Tenimentum de illa qualitate, quę fieret abundanter per Ar tifices in dicta Ciuitate, ad pœnam decem librarum denariorū proquo libet brachio, & quolibet contrafaciente, applicādā pro medietate Cō ſulibus Artis lanę, pro quarta parte denuntiatori, & pro quarta parte Camerę Communis Vrbiſueteris.

Quod Petraioli, & Conciatores lapidum, & Carriatores arenæ iurent eorum Artem legaliter exercere. Rub. XLVIII.

PEtraioli, & carriatores lapidum, & arenę in manibus Poteſtatis dictæ Ciuitatis iurent artem legaliter exercere, & nullam fraudē in eis committere, & ſi quis eorum fraudem committeret in cen tum ſolidis puniatur: & renaioli iurent deferre unum mediale pro qua libet ſalma, & non minus ad domum emptoris, uel quo conuenerit: & ſi portatores harenę, lapidum, calcinę, tegularum, & mattonum ſine ali- quo interuallo non portauerint, ſiue compleuerint carrigium conuen- tum, adimpleant illud quod non portauerint ad omnem requiſitio- nem domini, ſeu conductoris, ad pœnam centum ſolidorum. Item pe- traioli

traioli qui laborauerũt in petrarijs alterius, teneantur dare, & cõſigna re partem contingentem domino petrarię de lapidibus, bozzis, & pecunia: & non uendent, nec alienabũt lapides, vel remoueri faciẽt ipſis, uel alijs pro eis ſine requiſitione dominorũ, & ſeruare promiſsiones, quas fecerint occaſione Artis prędictę, ad pœnã quadraginta ſolidorum. Nullus etiam faciat fieri lapides prope cilium Ripę Ciuitatis Vrbisueteris per quinquaginta brachia, & qui contrafecerit in quinquaginta libras uice qualibet puniatur, & ſi pœnam ſoluere non poterit, amputetur ei manus, & eandem pœnã ſoluat qui fecerit lapides, uel foderit harenã, uel calcem prope ripas Ciuitatis per uiginti quinque brachia, nec ſubtus ipſas rupes: & Poteſtas teneatur annuatim uinculo iuramẽti hoc capitulum ſaltẽ ſemel tempore ſui regiminis publice banniri facere in locis publicis, & conſuetis dictæ Ciuitatis. Nulla etiam perſona, & ſpecialiter dominus, uel habitator domus, ſeu ſtantię inferioris, uel griptę petrariam, uel lapides faciat, uel fodiat, ſeu cauet ſub domo in manſione ſuperiori, nec aliquam feneſtram, ſeu foramen, uel aliud faciat quod ſpectet ad læſionem domini domus, uel terreni ſuperioris, & qui contrafecerit in quinquaginta libris puniatur, & nihilominus damnum emẽdet, & ibidem murare teneatur ſuis expenſis ad dictam pœnam, & dominus domus, & manſionis ſuperioris non faciat aliquid quod ſpectet ad lęſionem domini domus inferioris, & ſi cõtrafecerit arbitrio Poteſtatis puniatur, delicti, & perſonæ qualitate inſpecta: & Poteſtas quolibet menſe ad petitionem cuiuslibet petentis teneatur inquirere contra cauatores harenę, & ſi in prædictis Poteſtas fuerit negligens centũ libras de ſuo ſalario ſoluere compellatur.

Tegularij, & Mattonarij iurent eorum Artem. Rub. XL IX.

TEgularij, & Mattonarij iurent eorum Artem in manibus D. Poteſtatis, & teneantur facere tegulas, & mattones ad menſuram ferratam Communis, de bona terra, & bene coctas, & uendere, & dare eo pretio, quo uideretur Conſilio Duodecim. Si quis contrafecerit in aliquo prædictorum, ſoluat, pro qualibet tegula, canale, uel mattone, duos ſolidos & Poteſtas bis in annu ipſas menſuras faciat reuideri, & ſi quis comiſerit fraudem in prædictis, decem libras denariorum ſoluere teneatur: & Tegularij teneantur ponere ſeparatim tegulas calcinatas à non coctis, ſeu magagnatas à ſanis, & mattones ruptos à ſanis, & qui contrafecerit ſoluat, nomine pœnæ, centum ſolidos. Carnatores autem

autē qui portauerint tegulas, & mattones ruptos cum ſanis ad pœnam uiginti ſolidorum: nulla perſona emat tegulas, & mattones, & canales cauſa reuendendi, ad pœnam decem librarum, & ſtetur iuramento denuntiatoris, & habeat medietatem pœnæ.

Quod Calcinarij, & Carriatores iurent. Rub. L.

CAlcinarij, & Carriatores calcinæ, iurent eorum artem legaliter exercere in manibus Domini Poteſtatis, & teneantur coquere ad fornellum, ſeu ad uoltam, & uendere calcem bene coctam, & liceat Calcinarijs laborare lapides pro calcina in uia prope portam Puſterulam ſine pœna eam aptandi uiam, ita quod uia non deterioretur, & teneātur dare duos quartengos calcis ad menſuram Vrbeuetanā pro decem ſolidis, & non plus, & nulla perſona portet calcinam extra diſtrictum, ſine licentia DD. Conſeruatorum, & Conſilij Duodecim, ad pœnam decem librarum.

Quod Macinarij teneantur laborare. Rub. LI.

MAcinarij teneantur laborare in molaria, & ſylua Caſtri à dictis confinibus infra uerſus Ciuitatem, & non ultra dicta loca, & contrafaciens in quinquaginta libris denariorum puniatur: & nullus extrahat aliquam macinam de aliqua Terra, uel de aliquo loco, ſine licentia DD. Conſeruatorum, ad pœnam quadraginta librarum denariorum, & liceat Ciuibus noſtris aſsiduis, libere emere à Macinarijs macinas pro eorum molendinis, & Macinarij recipiant pro pretio macinarum ſeptem ſomeſſorum, quatuor libras, & non plus: & de macinis trium pedum, quinquaginta ſolidos tantum, & de macinaſtris ſolidos uiginti: Et quod dicti Macinarij non poſsint facere aliquas macinas, ſeu lectos macinorum alicui forenſi, ſine licētia Camerarij operis, & fabricę Sanctæ Marię Maioris, ad pœnam quinquaginta librarum denariorum pro qualibet uice.

De conſuetudinibus artium conſeruandis. Rub. LII.

[O]Mnes conſuetudines artium, & ſocietatum Ciuitatis, & Comitatus utiles, & honeſtas, Poteſtas inter omnes artes, & Cōſules, & alios de Societate faciat obſeruari, dummodo bonæ ſint,

 & æquę

& æquę, & non ſint contrarię Communi Vrbeuetano, nec alicui Statu to, & reformationi dictæ Ciuitatis.

De legum Doctoribus, & Magiſtris liberalium artium, & ſcholaribus eorundem. Rub. LIII.

OMnes, & ſinguli Magiſtri, & Profeſſores, qui venirent ad Ciuitatem Vrbeuetanam, ad ſtudendum, uel legendum, obſeruētur, & cuſtodiantur in perſonis, & rebus, ipſi, & ipſorum nuntij per totum noſtrum Comitatum, fortiam, & diſtrictum, nō obſtante aliquo Capitulo poſito, uel ponendo, non obſtantibus quibuſcunque repręſalijs: & Poteſtas teneatur bis publice in anno, primo menſes ſui regiminis, & etiam mēſis Septembris banniri facere, quod omnes prædicti ſecuri ueniant ſine præſtatione alicuius Gabellæ: teneatur Poteſtas ad petitionem eorum qui legūt expenſis Communis, mittere litteras per omnes Terras, & Ciuitates, quas dicti Doctores nominabūt, & Poteſtas impendat auxilium, & fauorem in prædictis.

De Proxenetis. Rub. LIIII.

PRoxenetę, uulgo dicti ſēſarij, qui tractāt inter cōtrahētes, iurēt eorum artem de menſe Ianuarij annuatim, & eorum officium bona fide, & legaliter exercere, tam pro una parte, quam pro alia, & recipere à qualibet parte decem ſolidos uſque in quantitatem quingentarū librarum pro quolibet centenario: & ab inde ſupra uſque in quantitatem mille librarum denariorum, quinque ſolidos pro quolibet centenario à qualibet parte, & plus petere, uel habere non poſſint: & qui contrafecerit in aliquo prædictorum, ſoluat quinque libras, & nihilominus reſtituat, quod ultra accepit.

De uenditione Piſcationis fluminum Paleæ, & Clanis. Rub. LV.

PIſcatio fluminū Paleæ, & Clanis uēdatur annuatim à guado Morę uerſus Ciuitatē, ſaluo quod quilibet poſſit in ipſis fluminibus libere pro ſuo comedere piſcari: & liceat cuilibet ædificia annuatim propria à Guado Borgę, uſq; ad guadū Morę, ſaluo iure noſtrorum Ciuium, & Comitatenſium in dictis fluminibus, uel qui ha[illegible] piſcarias in eorum poſſeſſionibus, & iuxta dicta flumina, in q[illegible] cis nulla fiat nouatio.

De

De illo, qui abſtulerit terras de aliqua Communantia. Rub. LVI.

SIquis abſtulerit, uel auferri fecerit, per ſe, uel alium, quocunque tẽpore, terras Communãtiæ alicuius Caſtri, uel Villę noſtri diſtrictus, Poteſtas, & ſua Curia debeat inquirere, & inuenire, & Cõmuni Vrbeuetano applicare quod ablatum eſt: & de inuentione dictæ terrę Cõmunantię, ſacramento duorum teſtium, & Denuntiatoris credatur, & Denuntiator habeat quartam partem ualoris dictæ terræ, uel terrarum, & teneatur ei credentia, & hoc locum habeat in præteritis, & futuris.

De immunitate concedenda Hominibus uenientibus ad habitandum ad Ciuitatem noſtram. Rub. LVII.

QVicunque forenſis, & qui non ſunt ſub dominio Ciuitatis Vrbiſueteris, & non fuerit ex mala cauſa abſens à terra ſua, & non cõmiſerit aliquod homicidiũ, uenerit ad habitandũ ad Ciuitatẽ noſtram, ſi fuerit approbatus per noſtrum generale Conſilium, habeat immunitatẽ per quindecim Annos à ſolutione Gabellarum, & ab alijs præſtantijs Communis, & dicta immunitas nullo modo extendat ſe ad impoſitas, & factiones ad matriculam, ſiue ad onera Artis, quam exerceret dictus exemptus in dicta Ciuitate, ſed ad dicta onera teneatur, nõ obſtante dicta exemptione, dummodo talis Ars, & Vniuerſitas ſit approbata per Communitatem: & omnis Ars, & Vniuerſitas, quo ad hoc, intelligatur approbata, quæ habet proprium ſtatum, & matriculam, & offert ſuum cerium in feſtiuitatibus Corporis Chriſti, & Aſſumptionis Beatæ Marię Virginis: nec etiam dictus exemptus gaudeat dicta exemptione in rebus mobilibus, uel immobilibus, & mercantijs, quas emeret, ut reuendat: nec etiam gaudeat exemptione in ſoccitis, & paſcuis ſuarum beſtiarum, videlicet, quod teneatur ſoluere omne id, & totum ad quod tenentur Ciues, excepta diuiſione ſoccitæ, de qua non ſoluat Gabellam, & hoc nõ præiudicet Statuto, & Reformationi factę ſuper paſcuis: & teneãtur dicti obtinẽtes immunitatẽ, emere poſſeſsiones in Ciuitate, & diſtrictu intra terminũ duorũ mẽſium à die ſibi cõceſſę immunitatis, ad ualorẽ, & extimationẽ DD. Conſeruatorum, & Conſilij Duodecim, & ipſa bona uendere non posſint ſine licentia Con-

ſilii,& Conſeruatorum, & ſi venderet venditio ſit nulla,& ipſo iure applicentur Cõmuni,& ſi non emeret,vt ſupra, nullo gaudeat priuilegio: Et ſi alicui Caſtro noſtri Comitatus fuerit immunitas per noſtrum Cõmune conceſſa, et dicti homines non morarentur, nec domos f[illegible] rint ibidem, & morentur in alijs villis, teneantur ſoluere datia, & [illegible] lectas, & alia onera ſubire cum hominibus dictæ uillę in qua habit[illegible] & morantur,non obſtante immunitate ſibi facta, cum à talibus Cõmune noſtrum decipiatur.

Quod Ciues noſtri habentes poſſeſſiones in diſtrictu noſtro, habeant eas liberas. Rub. LIII.

CIues noſtri, qui nunc ſunt, & in antea erunt,omnes res, & poſſeſſiones, quas habent in noſtro diſtrictu, habeant eas liberas, & abſolutas, & nullum datium , ſeu pręſtantiam pręſtent Vniuerſitati illius loci,ſeu Pleberii,in quo dictę poſſeſſiones eſſent, nec eorum homines & manentes, nec etiam Bubulci,& laboratores noſtrorũ Ciuium, & qui morarẽtur in domibus ipſorum Ciuiũ,&poſſeſſionibus ipſorum Ciuium,ſint abſoluti, & liberi ab omni datio, onere, & ſeruitio præſtando,& faciendo illi loco, in quo dicti manentes habitant, excepto ꝙ in reparandis uijs,fõtibus, & pontibus dicti loci, dicti laboratores teneantur,prout alij laboratores pro eorũ rata. Et ſi quis Rector, Vicarius,Dominus, ſeu Vniuerſitas alicuius Terrę aliquod ordinamentum faceret de non loquendo alicui noſtro Ciui,uel ſuo Bubulco interdiceret ignem, & ſimilia, in centum libris uice qualibet puniatur, & tale ordinamentum, non teneat: ſi uero aliqua de his perſonis, uel Vniuerſitas noſtri Comitatus, uel diſtrictus, poſtquam Poteſtas per litteras,uel Nuncium inhibuerit, intulerit aliquod grauamen contra talem noſtrum Ciuem,uel eius Fideles,ſeu manẽtes, uel Bubulcos, in centum libris puniatur, & reficiat damnum paſſo damna, quæ acceperit: & DD. Conſeruatores ad petitionem noſtrorũ Ciuium, quibus eſſet grauamen illatum contra formam pręſentis Statuti,& inferens non deſiſteret, debeãt congregare Conſilium generale,& in eo proponere prædicta, & quicquid fuerit per dictum Conſilium ſtabilitum,executioni mãdetur.

De nouis Aedificijs faciendis in Ciuitate, & Comitatu. Rub. LIX.

quis Ciuis in Ciuitate noſtra Vrbeuetana, in ſtrada aperta maiori, uſque ad portam Puſterulam fecerit aliquod palatium, ſeu ædificium, dictum Cõmune teneatur dare, & ſoluere domino dicti Palatij medietatem magiſterij, quod fieret à duobus balconibus ſupra: & ſi quis faceret aliquam ciſternam in dicta Ciuitate, habeat à Comuni tertiam partem Magiſterij, quod expenderetur in murando dictam Ciſternam: & ſi quis in Comitatu aliquod Palatium, ſeu Villã, uel Caſtrũ ædificari faceret, habeat immunitatem ipſe, & laboratores dicti loci ab omnibus grauaminibus dicti loci, quæ imponerentur dicto Caſtro, uel Villæ, & occaſione ipſius, per quinquaginta annos.

De Guerra mota, & damno dato noſtris Ciuibus extra iurisditionem noſtram. Rub. LX.

SI qua perſona extra noſtrã Ciuitatẽ mouerit guerram alicui noſtro Ciui, uel damnũ dederit, ſeu fecerit per ſe, uel alium, Poteſtas teneatur dictam perſonam, & eius complices, & auxiliatores condemnare tã ad pœnam, quam ad damna illata, & executionem pro poſſe effectualiter facere, & ipſum noſtrum Ciuem iuuare in omnibus, & per omnia.

De officio Cataſtariorum Communis. Rub. LXI.

ELigantur per DD. Conſeruatores de menſe Decẽbris annuatim, quatuor Cataſterij: uidelicet unus pro quolibet quarterio, qui habeat officium accataſtandi omnes poſſeſſiones, quæ non eſſent accataſtatę, & eos deſcribi facere per nomina cataſtarum in cataſtis Communis, & extimare, & inquirere ex officio, & procedere quocunque modo, tam per uiam querelę, quam denuntię, uel accuſę contra omnes, & ſingulas perſonas, tam Comitatiuas, quam forẽſes, qui haberent res non accataſtatas in dicto Territorio, & ipſas cõdemnare, ad pœnam medietatis ualoris ipſarum rerum non accataſtatarum, ſummarię, & de facto, ſine aliquo ordinato proceſſu, uel ſentẽtia, ſola facti ueritate inſpecta, & pœnas exigere, quarum pœnarum medietas ſit ipſorũ cataſtantium, & reſiduum diuidatur inter Fabricam operę S. Mariæ, & Officialem executionem facientem: & quod dicti Cateſtarij habeant iuris-

iurisdictionem,& arbitrium, durante eorum officio, ſuper omnibus, & ſingulis dubijs, quæ emergerẽtur, tam inter priuatas perſonas, quam inter Commune,& Priuatum, ſuper dictis cataſtis, & poſſeſſionibus accataſtatis, uel accataſtandis quomodocũque,& qualitercunque: & [illegible] officium duret per annum,& ſolutis pœnis, uel non ſolutis per no[illegible]cataſtantes, nihilominus teneantur ſemper facere accataſtari poſ[illegible]o nes non accataſtatas. Quando autem Communitas uellet facere cataſtũ de nouo, hoc Statutũ nõ habeat locum, ſed eligãtur cataſtarij prout placuerit Conſilio generali dictæ Ciuitatis: habeant etiam arbitrium, & iurisdictionem requirendi omnes forenſes, & debentes ſoluere eorum datia,& collectas in ipſa Ciuitate per eorum litteras mittẽdas per Baiulũ dicti Communis, vel Currerium,& eius relationi de pręſẽtatione ſtetur, infra certum terminum per eos in dictis litteris declarãdum, quod veniãt ad ſatisfaciendũ dicto Cõmuni, cum cõminatione quod ſi nõ venerint, eorum poſſeſſiones pro quibus ſoluere tenentur, termino elapſo, ipſis amplius non citatis, diſtrahẽtur plus offerẽti,& ipſo termino elapſo tribus ſubhaſtationibus pręmiſſis, dictas poſſeſſiones uendant plus offerenti,& talis venditio valeat,& teneat, & retractari non poſſit. Contra autem Nobiles, uel Potentes exiſtentes extra dictam Ciuitatem in quocunque loco, qui habentur pro Ciuibus in dicta Ciuitate,& ſoluere negligunt eorum datia, & collectas, procedant hoc modo videlicet: quod requirãt eos per eorũ litteras, vt ſupra, ſaluo quod non requiratur dicta cõminatio: & ſi infra terminum per eos aſſignandum non ſoluerint, poſſint de facto cogere, & arreſtare eorum laboratores,& homines Comitatus, ſeu Fideles, eorum bona,& animalia quęcunque, & ipſa uendere, & diſtrahere, & contra eos, eorum perſonas, & bona, procedere per viam quãcunque, quæ eis melius uidebitur expedire, pœnando, mulctando, vſque in quantitatem vigintiquinque librarum, arreſtando, detinendo,& carcerando ita, & taliter, quod dicto Communi ſit plenarię ſatisfactum,& in quocunque caſu ſufficiat unica requiſitio, & de pręeictis,& quolibet pręedictorum eorũ, emergentibus, dependentibus,& cõnexis, habeant plenum arbitrium,& omnes pœnæ, per eos imponendę applicentur vt ſupra: Et ſufficiant tres quãdo fuerint in concordia, non obſtante quod alter contradixerit, dummodo fuerit requiſitus.

Quæ Artes Ciuitatis in proceſsionibus Corporis Chriſti, & Vigiliæ Aſſumptionis Beatæ Mariæ, debeant præcedere, & de pœna facientis contra.
Rub. LXII.

AD obuiandum rixis, & quæſtionibus, quæ accidere posſint in futurum, ſtatuerunt, & ordinauerunt, quod Conſules Artiũ cum eorum iuratis, & artificibus debeant procedere in Proceſſione Corporis Chriſti, & in Proceſsione, quæ fieri conſueuit in Vigilia Sanctæ Mariæ de menſe Auguſti, & alijs Proceſsionibus, & locis vbi accedere dicti Conſules, & Artifices deberent, infraſcripto mc[illegible] delicet. Quod poſt Dominum Gubernatorem, Conſeruatores, [illegible] ſtatem, & alios officiales Communis, debeant immediate ſequ[illegible] eos, Collegium Doctorũ, Phyſicorum, & liberalium Artiũ, & Tabellionum dictæ Ciuitatis, cum eorum Conſulibus, & iuratis: deinde per ordinem infraſcripti Conſules infraſcriptarum Artium, cum eorum iuratis ſequi debeant, vt infraſcripti: Conſules, & Ars mercatorum: Conſules, & ars lanarolium: Conſules, & ars calzolariorũ, ſeu cerdonum: Conſules, & ars aromatariorum: Conſules, & ars macellariorum: Conſules, & ars fabrorum: Conſules, & ars pellicciariorum: Conſules, & ars ſutorum: Conſules, & ars bubulcorum: Conſules, & ars aurificum: Cõſules, & ars pizzicariorum: Conſules, & ars carpentariorum: Conſules, & ars molendinariorum: Conſules, & ars tabernariorum: Conſules, & ars hoſpitatorum: Conſules, & ars hortulanorum: Conſules, & ars barbitonſorum: Conſules, & ars vaſcellariorum: Conſules, & ars tebulariorũ: Conſules, & ars macinariorum: Conſules, & ars mulatteriorum. Si quis vero contra prędicta facere præſũpſerit, uel antecedere, quinquaginta librarum pœnam ipſo facto incurrat ſine aliqua diminutione, & ſine aliquo proceſſu ab eis tollatur.

Quod Ciues non habitantes continuò in Ciuitate, teneantur ſoluere omnia onera, & factiones, quas ſoluunt loci, in quibus habitant.
Rub. LXIII.

OMnes noſtri Ciues, qui à quinque annis citra, cõtinuò non habitauerint cum eorum familia in Ciuitate Vrbeuetana, & habitauerint in aliquo loco, ſeu Caſtro noſtri diſtrictus, qui dicuntur Ciues ſaluatici, teneantur ſoluere omnia datia, & onera, & ſeruitia, ſicut

cut alij contadini: & teneantur ad emendationes damnorum, ſicut homines ipſius Caſtri, & obedire Vicarijs, & Poteſtatibus Caſtrorum: & ſi quis Comitatiuus uenerit ad habitãdum in Ciuitate, nõ habeatur pro Ciue, quin prius habitauerit in Ciuitate per decennium continuò, cũ tota eius familia, & emerit domos in ea.

Quod Villa Sancti Leonardi de Montanea Carnaiolæ, ſit ſub iuriſdictione, & Pleberio Pineti.
Rub. LXIIII,

[O]Mnes Villæ Sancti Leonardi de Montanea Carnaiolæ, de iuriſdictione ſint, & Pleberio Pineti, & conſtringantur per homines ipſius Pleberij, & ſi quis contradixerit, in uigintiquinque libras puniatur.

Quod nulla perſona cogatur ſeruire, niſi per libram.
Rub. LXV.

NVlla perſona Ciuitatis, vel Comitatus cogatur facere, uel poſſit cogi ad faciendum aliquod ſeruitium, ſolutionem, pagamentum, uel mutuum, niſi per libram, exceptis ſeruitijs uiarum, fontium, & caualcamentorum, nec fideiubere, nec bona ſua obligare, exceptis illis, qui vocati eſsẽt per ambaſciata Cõmunis, qui cogi poſſint auctoritate generalis Conſilij, facto prius, & ſatisfacto debito à Cõmuni, cum nemo ſuis expenſis militare cogatur.

De cautione recipienda à Comitibus, & alijs ſuſpectis, ne offendant Ciuem. Rub. LXVI.

SI quis noſter Ciuis habet, uel habebit aliquem Comitem, Vicecomitem, Baronem, vel aliam perſonam ſuſpectam, ne eum offendat, Poteſtas ad ipſius noſtri Ciuis petitionem teneatur talẽ compellere ad curandum de non offendendo per fideiusſiones, & cautiones: & ſi denegauerint, cõtra eos procedere poſſit, donec prędicta fecerint, & adimpleuerint.

Quod Pecudarij extranei curent de damno non faciendo.
Rub. LXVII.

PEcudarij extranei, qui uadunt, & redeunt de Maritima cum pecudibus ſuis vel alienis, uel cum alijs beſtijs, antequam intrent in territorium Ciuitatis Vrbiſueteris, caueant per bonos fideiuſſores

iuſſores, quod ſi beſtiæ ipſorum damnum dederint in bonis hominum Ciuitatis,uel Comitatus Vrbiſueteris,ipſum damnum emẽdabũt:quos fideiuſſores recipiat in forma de iure valida Cancellarius Communis, & ſi nõ curauerint,& ipſos fideiuſſores non dederint, dominus rei, cui fuerit datum damnum, propria auctoritate poſſit per ſe,uel alium quem voluerit de beſtijs damnum dantibus in duplum extimationis, ſeu ualoris damni dati, & de dicto damno ſtetur iuramento dicti domini,vel eius qui dixerit inueniſſe dictas beſtias dare damnum.

De cura recipienda à Ciuibus euntibus ad officia. Rub. LXVIII.

SIquis noſter Ciuis ad aliquod officium extra Comitatum, & diſtrictum Vrbiſueteris vocabitur, antequam uadat ad ipsũ officium exercendum, in manibus DD. Conſeruatorum dictæ Ciuitatis, teneatur per idoneos fideiuſſores cautelare,& cauere ipſum officium bene, & legaliter facere, & exercere: & ſi occaſione dicti ſui officij Commune Vrbeuetanũ,uel aliqua ſpecialis perſona de dicta Ciuitate,uel Comitatu aliquod damnum ſubſtinuerit, teneatur tam Commune, quam ſpeciales perſonas conſeruare indemnes, niſi abſolutionem ſui officij reportauerit ab eius Syndicis.

De Inſtrumentis, & iuribus Communis. Rub. LXIX.

INſtrumenta, acta, & iura Communis Vrbiſueteris, quæ apud Eccleſiam Sancti Iohannis de Platea cuſtodiebantur, ſtent, & ponantur in loco ſecuro, & nõ humido, & magis apto quã ibidem, cum propter humiditatem quamplura inſtrumenta fuerint annullata: & per generale Conſilium dictæ Ciuitatis deputetur locus idoneus, & fiat inuentarium expenſis Communis de omnibus dictis inſtrumentis: & ad gubernationem, & cuſtodiam ipſorum inſtrumentorum, & iurium, deputetur unus Notarius per DD. Conſeruatores, & Conſiliũ Duodecim, & pro labore impendendo per ipſum Notarium in portando, & reportando, & oſtendendo, quando expediret Communi, uel ſingularibus perſonis, habeat quolibet menſe à dicto Communi quadraginta ſolidos denariorum, & habeat vnam clauem dicti loci, ubi dicta inſtrumenta ponentur, & aliam Domini Conſeruatores, &

dictæ ſcripturæ acta, & inſtruméta nemini poſſint oſtendi ſine præſentia dicti Notarij, & ſaltem trium ex DD. Conſeruatoribus: & dictum officium duret per quinquennium.

Qualiter requirantur Pleberia, & Caſtra, quòd veniant ad feſtum Sanctæ Mariæ de menſe Auguſti. Rub. LXX.

PEr quindecim dies ante feſtum glorioſę Virginis Mariæ de menſe Auguſti Conſeruatores, & Poteſtas dictæ Ciuitatis cum litteris etiam D. Gubernatoris, habeāt mittere litteras per omnia Pleberia, & Caſtra dicti Comitatus, & alia loca, præcipiendo cuilibet dictorum Pleberiorum, & Caſtrorum, ac locorum, ut dicte Vigiliæ dicti Feſti de ſero mittant ad dictum feſtum, & deferant cereos ponderis ad uoluntatem ipſorum DD. Cōſeruatorum, qui pro tempore fuerint, qui cerei omnes ſint bonæ ceræ, & ſaldę, & quod pro quolibet Plebe rio, & Caſtro ueniat unus cereus, & cum cereo ſex homines: & ſi nō miſerint, & nō uenerint in dicto feſto, quodlibet Pleberium contrafaciēs incurrat pœnam uigintiquinque librarum denariorum, & nihilominus infra octo dies, poſt dictum feſtum, teneantur præſentare Camerario fabricæ maioris Eccleſiæ Vrbeuetanæ dictum cereum.

Quod Conſules, & Camerarij Artium teneantur in feſto Corporis Chriſti, & in Vigilia Sanctæ Mariæ de menſe Auguſti facere, & offerre cereos, & de pœna facientis contra. Rub. LXXI.

COnſules, & Camerarij Artium dictæ Ciuitatis annuatim in feſto Corporis Chriſti, faciant cereos, videlicet: vnum pro qualibet Arte ponderis ad voluntatem DD. Conſeruatorum dictę Ciuitatis, & portetur accenſus in dicto Feſto poſt Corpus Chriſti in proceſſione, & ſimiliter omnes alij Iurati ipſarum Artium portent cereos accenſos: & finita proceſſione in introitu Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, dicti cerei conſignentur Camerario fabricæ dictæ Eccleſiæ pro dicta Eccleſia: & ſimiliter in Vigilia feſti Sanctæ Mariæ de menſe Auguſti, dicti Conſules faciant alios cereos ad voluntatem dictorum DD. Conſeruatorum, & non accendantur, ſed offerantur integri Camerario dictæ fabricæ: Artiſtæ tamen in dicto feſto portent falcuas accenſas, & ipſas di-

ſas dimittant etiam pones ipſum Camerarium finita Proceſſione, & Conſules, & Camerarij contrafacientes in prædictis, pœnam uigintiquinque librarum denariorũ incurrant, & nihilominus poſt octo dies, cereos prædictos aſſignare teneantur dicto Camerario.

De Repræſalijs concedendis. Rub. LXXII.

Epræſalię non poſſint alicui concedi, niſi per Conſilia dictæ Ciuitatis auctoritatem habentia, cum conſenſu D. Gubernatoris, & aliter concedi non poſſint.

Quod DD. Cõſeruatores in primo generali Conſilio faciant propoſitam de tenutis Communis recuperandis. Rub. LXXIII.

CVm multę communalię dicti Communis, & tenimenta propter guerras, & partialitates ipſius Ciuitatis occupata fuerint, in maximum damnum, & præiudicium dicti Communis: ordinamus, quod Conſeruatores, pro tempore exiſtentes, in quolibet primo generali Conſilio fiendo, tempore eorum Conſeruatoratus, teneantur proponere dicto Conſilio de modo, & forma adhibendis in recuperando ipſas tenutas, & quicquid reformatum fuerit in prædictis, quod cedat ad vtilitatem Communis, pro ipſis recuperandis dicti Conſeruatores, teneantur exequi, & ſi in prædictis dicti Conſeruatores fuerint negligẽtes, incurrant pœnam uigintiquinque librarum denariorum: Ac etiam proponere ꝙ cum Caſtrum Sancti Viti de Montanea ſit pro maiori parte dirutum, habeatur pecunia pro ipſum reficiendo, & reſtaurando.

Quod Comitatiui uenientes ad Ciuitatem infraſcriptis diebus non poſſint capi. Rub. LXXIIII.

COmitatiui, & diſtrictuales Ciuitatis noſtræ Vrbeuetanæ, accedentes ad ipſam Ciuitatem recta linea cauſa uendendi, uel emendi diebus Veneris, Sabbati, & die Dominica, non poſſint capi, uel arreſtari, uel aliqua executio fieri in ipſa Ciuitate, uel Burgis, uel in uia quando redirent, pro aliquo datio, ſeu debito, uel ſubſidio, uel impoſita Communis, ſed libere, & ſecure poſſint accedere, uel recedere dictis diebus, ad pœnã quinquaginta librarum denariorum pro quolibet cõtrafaciente, exceptis illis, qui eſſent condemnati pro aliquo maleficio, qui pro dicta cauſa poſſint capi.

L 2 De Ar-

De Arte Hoſpitatorum. *Rub. LXXV.*

HOſpitatores teneantur, & debeant eorum artem fideliter exercere, & omnes res eis conſignatas per hoſpites teneantur fideliter conſignare, & reſtituere abſque aliqua exceptione, & de furto teneantur ſi ſublatę eſſent modo aliquo: poſſint tamen hoſpitatores, res, & bona eis conſignata, uel in hoſpitio immiſſa retinere, donec eis fuerit ſatisfactum de eorum debita mercede, & ſubuentione hoſpitij cauſa recipere deberent ab illis, qui immiſiſſent, ue gnaſſent.

Quod nullus habeat officium, qui datia, & banna Communi Vrbeuetano non præſtet. *Rub. LXXVI.*

NVllus Ciuis, Comitatiuus, uel Incola, habere poſſit aliquã dominationẽ in Ciuitate, uel Comitatu, qui non ſteterit ad datia, bãna, & follias cum alijs noſtris Ciuibus, ſi Ciuis fuerit, uel cum alijs hominibus illius Caſtri, uel Villę.

De pœna beſtiarum paſcuantium in agro Vrbeuetano. *Rub. LXXVII.*

CVm per antiquas reformationes, & ordinamenta dicti Communis, licet fuerit ſolemniter reformatum, & per ſcripta Apoſtolica, & pręſertim Nicolai Papæ Quinti approbatum, & in libro reformationum Ser Io. Piato de Padua olim Cancellarij dicti Communis latius continetur, volumus, & præſentium tenore, inquantum opus ſit, de nouo ſtatuimus, & decreuimus, quod nullus forenſis cuiuſcũque gradus, ordinis, & conditionis exiſtat, audeat, poſſit, ſiue debeat immittere, ſeu tenere, aut paſcuare, ſeu paſcuari facere, niſi ſint beſtię trãſeuntes, prout in ſtatuto Gabellæ Pedagii de beſtijs tranſeuntibus determinatur, aliquod genus beſtiarum groſſarum, ſiue minutarum in territorio, ſiue tenimẽto dictę Ciuitatis Vrbiſueteris, ad pœnam quinque librarum denariorum monetæ currentis in hac Ciuitate, pro qualibet beſtia groſſa, & quinquaginta librarum denariorum prædictæ monetę pro quolibet centenario beſtiarum pecudinarum, & caprinarum, & ſolidorum viginti pro quolibet porco, in quas pœnas incurrat quilibet forenſis contrafaciens, Camerę dicti Communis applicandas, & nihilominus dictæ beſtiæ ſtare non poſſint in dictis paſcuis, etiam ſoluta pœna, &

na, & cuilibet reperienti dictas beſtias forenſes ſtare,& paſcuare in dicto tenimento Vrbeuetano,in fortiam dicti Communis, liceat conducere, & habeat quartam partem dictarum pœnarum: & Dominus Poteſtas dictæ Ciuitatis, qui pro tempore fuerit, teneatur facere, aut fieri facere debitam, & expeditam executionem, & habeat ſolidum unum denariorum pro qualibet libra denariorum, quos fecerit intrare in dicto Communi, & nihilominus dictæ beſtiæ teneantur ad ſolutionem Pedagij,ſecundum formam Statutorum ipſius Pedagij: & forenſes intelligantur omnes illi,qui nō habitant Ciuitatem Vrbeuetanā, uel eius Comitatum,& per quos ſtat,quo minus inhabitēt, licet aliàs dici poſſint Ciues,& qui non ſubſtinent ,necfaciunt onera & factiones cum dicta Ciuitate, ſaluis & reſeruatis omnibus Statutis, & ordinamentis ſuper dictam Gabellam Pedagij aliàs factis, huic tamen Statuto non contradicētibus , etiam addentes ſi forenſes in territorio,& diſtrictu Vrbeuetano aliquid poſsiderent: Ciues autem dictæ Ciuitatis Vrbeuetanę, tam oriundi,quam ex Decreto facti habitātes familiariter cum tota eorū familia in dicta Ciuitate uel Comitatu poſsint tenere,& paſcuare in dicto tenimento Vrbeuetano de beſtiis eorum proprijs uera proprietate, licet in ſoccitam, uera, & nō ficta ſocietate conductis,pro quolibet centenario libræ ſeu allibratus videlicet, terrarum, & uinearum cultarū uigintiquinque beſtias groſſas ſupra annum,& centum minutas: & pro quolibet centenario ſiue allibratarum terrarum incultarum, & ſodiuarum tenere poſsint beſtias quinquaginta ſupra annum groſſas, & ducētas beſtias minutas: & hęc intelligantur de illis Ciuibus, qui habent libram de centum libris,& ab inde ſupra: & quilibet Ciuis, qui non haberet libram,uel ſi haberet non aſcenderet ſummam centum librarum, ſed ab inde infra,poſsit tenere,& paſturare in dicto tenimento,pro quolibet capite hominis à quatuordecim annis ſupra, totidem beſtias groſſas,& minutas,ſicut tenere poſſunt Ciues habentes libram, ac libris, s. pro quolibet centenario libræ: & Comitenſes poſsinttenere etiam pro quolibet capite hominis à quatuordecim annis ſupra, beſtias uiginti uaccinas ſupra annum,& ducētas beſtias minutas, & ultra prædictas quantitates tam Ciuis, quam Comitatenſis poſsit tenere,pro quolibet pari bouum actualiter arantium in prædicto tenimento beſtias quatenus prauas ſuas proprias, uel in uera ſocietate conductas ad paſturandum in dicto tenimento: & intelligatur Ciuis factus ex decreto, & Comitatenſis huius Ciuitatis,qui fuerit in ipſa Ciuitate, uel Comitatu per decennium continuum cum eius familia,& de continuando habitationem toto tempore uitæ ſuæ idoneè ſatis dederit, & fecerit factiones ſicut alii Ciues, uel Comitatenſes dictæ Ciuitatis, Comitatu oriundi,

& ſi quis

& ſiquis Ciuis vel Comitaten. vt ſupra inuentus fuerit tenere ultra annum ſupradictas beſtias groſſas, aut minutas ſupra annum, dictę beſtiæ, ex nunc ſint perditæ, & Cameræ dicti Communis confiſcatæ cenſeantur, ſeruata diuiſione inuentoris, & conductoris, ſeu accuſatoris, & officialis executionem facientis cum dicto Commune, & dicta Gabella Pedagij, prout ſupra extitit declaratum: Quicunqne autem uenerit ad habitandum familiariter cum tota ſua familia in hac Ciuitate Vrbeuetana, uel eius Comitatu, animo, & intentione ibidem perpetuum domicilium faciendi, poſſit conducere, & tenere in dicto tenimēto dictæ Ciuitatis Vrbiſueteris, pro quolibet pari bobum domatorum, quos ſecum duxerit, & cum quibus actualiter laborauerit, quatuor paria beſtiarum uaccinarum indomitarum, dummodo dictus talis forenſis prętiterit idoneam, & ſufficientem cautionem de inhabitando continuò dictam Ciuitatem, vel Comitatum, & de faciendo, & ſubſtinendo cuncta onera, & factiones, tam tunc impoſitas, quam in futurum imponendas, ſua vita durāte, cū dicta Ciuitate uel Comitatu, alioquin huiuſmodi beſtias indomitas vllo pacto tenere nō poſſit, ſub pœna perditionis dictarum beſtiarum, quas contra pręſentem prohibitionem, & ordinationem, in prædicto tenimento tenent: hoc tamē excepto, quod ſi quis forenſis, uel habitans in dicta Ciuitate, uel Comitatu, & non ſubſtinens onera, & factiones cū dicta Ciuitate, uel Comitatu, fecerit, aut faceret aliquod laboritium in dicto tenimento Vrbeuetano, poſſit conducere ad paſturam tres beſtias prauas, pro qualibet ſalma terrę, quam laborauerit in eodem tenimento: qui forenſis laboritium faciens, teneatur, & debeat, antequam conducat dictas beſtias prauas in dicto tenimēto ad paſturandum, uenire ad Cancellarium dicti Communis, ad aſſignandū, & declarandum quot ſalmas terræ laboret in dicto tenimento, cum nomine patroni cuius ſit, etiam loci ubi iacent, & poſitæ ſunt, & accipere apodiſſam manu Cancellarij prædicti de aſſignatione huiuſmodi, & ſic in poſterum obſeruetur per quoſcunque forenſes laborantes, & laboratitia accipientes in dicto tenimento Vrbeuetano: Quicunque uero cōtrafecerit, & in aliquo defraudaſſe inuentus fuerit, pœnam perditionis beſtiarum, quas tenent contra præſentem ordinem, ipſo facto incurrat, Camerę Communis applicandam: & quilibet poſſit accuſare, & denunciare, & tales beſtias in fortiam Communis conducere, cuiuſcunq; etiam non officialis inuocato ſuffragio, & habeat, ut ſupra in principio præſentis rubricæ declaratur: & Cancellarius dicti Communis, qui pro tempore fuerit, teneatur dictas aſſignationes per dictos forenſes faciēdas, cum dicta declaratione fideliter ſcribere, & annotare in quodā libro de per ſe, ut ſemper commode, & clare reperiri, & uideri poſſit, & pro qua-

pro qualibet apodiſſa quam faceret, habere debeat à quocunque asſignante, ſolidos duos denariorum & non ultra, quę apodiſſa etiam debeat ſignari, & paruo ſigillo magnificorum DD Conſeruatorum ſigillari, ac etiam Gabellarij Gabellæ pedagij pro tempore exiſtentis. Macellarijs autem dictæ Ciuitatis licitum ſit impune in dicto tenimẽto tenere quotcumq; beſtias maluerint, tam groſſas quã minutas cuiuſcumq; ſpeciei ſint, aptas ad macellandum, & pro macellando in ipſa Ciuitate. Hac tamen lege ſeruata, quòd quilibet macellarius dictæ Ciuitatis, qui immittere voluerit aliquam quantitatem beſtiarum ad paſturandum in dicto tenimento occaſione macellãdi ut ſupra, teneatur, & debeat, ſi illas emit extra territorium Vrbeuetanum, in triduum à die immisſionis beſtiarum ipſarum in dictum tenimentum, & ſi in territorio prędicto emerit à Ciuibus, uel Comitatẽſibus, aut ab alijs à die emptionis, & traditionis in antea computando, Cancellario Communis fideliter, & integrè asſignare in uero, & integro numero, & cum ſignis, ſeu marchijs quibus ſignatæ erunt. Quas omnes beſtias ſic asſignatas, dictus talis macellarius non posſit tenere in dicto tenimento, niſi per unum annum, qui annus cenſeatur eſſe finitus in prima die Quadrageſimæ cuiuslibet anni. Hoc tamen moderamine ſeruato, quod ſi tunc de dictis beſtijs vt ſupra asſignatis pro macellando, aliquæ ſupereſſent de beſtijs minutis uſque ad centum quinquaginta, & de beſtiis grosſis uſque ad decẽ, posſint ipſi macellarij impunè tenere ipſas beſtias, quæ modo prædicto ſupererint, & non sint perditæ, ſed ab ipſa quantitate ſupra, perditas eſſe intelligãtur, & Cameræ dicti Communis confiſcatas in quocunq; numero reperiãtur: & quod huiuſmodi beſtias occaſione macelli emptas & pro macellando, ſiue ſint groſſæ ſiue minutæ, cuiuſcunque generis ſint, nullo pacto posſint extrahere de territorio dictæ Ciuitatis, etiã cuiuſcunque tituli nomine, uel quacũque de cauſa, & si extraxerint, ſoluant pro quolibet centenario beſtiarum minutarum ducatos decem, & pro qualibet beſtia groſſa ducatum unum, nomine pœnę dicto Communi applicãdum, ultra, & præter ſolutionem debitam Gabellæ: Et hęc pœna intelligãtur cõmiti nisi illas uẽdiderint animo, & intẽtione ulterius non faciẽdi macellũ, quo caſu ſubiaceãt legi sicut alij, & infra dictũ annum, ut ſupra computandũ, ſupraſcriptas beſtias macellare teneantur, & de macellatis cum eiſdem signis, ſeu marchiis cum quibus uiuas asſignarent, dicto Cãcellario Communis, teneantur, & debeant reddere rationem, & bonum ac uerum computum: Inſuper quilibet macellarius macellum faciens ultra dictas beſtias, quas tenent ad macellandum, tenere posſit dimidiam partem beſtiarum tam groſſarum, quam minutarum, earum quas tenere poteſt alius Ciuis pro quolibet centenario librae

bræ allibratæ, uel pro quolibet capite hominis, ut ſupra in principio declaratur, ſi libram habuerit, ac à libris ſupra, uel non habuerit aliquam libram, uel ſi habuerit, habeat, ac à libris infra: & ſi aliquis dictorum macellariorum in aliquo ex prædictis inuentus fuerit contrafeciſſe, pœnam perditionis beſtiarum fraudatarum, ipſo facto, incurrat, Cameræ dicti Communis irremiſsibiliter applicandam, & quilibet poſsit denunciare, & accuſare, & habeat quartam partem pœnæ, & eius nomen ſecretum teneatur, & Poteſtas prædictæ Ciuitatis de prædictis executionem faciat, & habeat quartam partem eius, quod faceret peruenire in Communi: & ſi Ciuis ſeu Comitatenſis dictæ Ciuitatis emerit ab aliquo forenſi, ſiue ab eo in ſoccitam acceperit aliquod genus beſtiarum, & illud conduxerit in dictum tenimentum Vrbeuetanum, teneatur, & debeat in termino octo dierum, à die immiſsionis beſtiarum huiuſmodi in prædicto tenimento in antea nominandorum, facere ueram fidē Magnificis DD. Conſeruatoribus, & Gabellariis Gabellæ Pedagij dictæ Ciuitatis, ac quatuor Ciuibus eligendis à dictis DD. Conſeruatoribus de dictis emptionibus, ſeu ſoccita per publicum inſtrumentū manu publici, & authentici Notarij confectum, aut per fide dignos teſtes omni exceptione maiores: Qui DD. Conſeruatores, Gabellarii, & quatuor Ciues, ut ſupra electi teneantur, & debeāt etiam ultra prædicta ſubtiliter inquirere, & diligenter inueſtigare de ueritate prædictarum emptionis, aut ſoccitæ, tam per ſacramentum partium prædictarum, quam per omnem alium modum poſsibilem, prout eorum diſcretionibus melius uidebitur expedire, ne dictum Cōmune in aliquo defraudetur circa prædicta: Declarantes, ac ſtatuētes, & ordinantes quod nulla ſoccita deinceps fieri poſsit ullo modo per aliquem ultra quinquennium, & ſi dictum tempus quinquennij exceſſerit, ſit nulla, & inualida, & nullius valoris cenſeatur ipſo iure. Inſuper etiam declarātes quod fructus, ſeu fœtus ex ipſis ſoccitis peruenientes, non computentur in numero ſoccitarum pro eo tempore, quo durabunt, & quicumque defraudauerit dictum Commune in prędictis, ipſo facto cadat in pœnam quinque librarum denariorum pro qualibet beſtia groſſa, & quinquaginta librarum pro quolibet centenario beſtiarum minutarum, & uiginti ſolidorū pro qualibet beſtia porcina, Cameræ præfati Communis applicandam, & quilibet poſsit accuſare, & habeat quartā partem dictarum pœnarum: & Poteſtas executionem ut ſupra facere teneatur, & habeat quartā partem pœnarum ut ſupra, & aliarum duarum partium, una ſit Communis, & altera Gabellarij Gabellæ Pedagij. Quarum omnium, & ſingularum pœnarum DD. Conſeruatores non poſſint alicui contrafacienti in prædictis, aut aliquo prędictorum, aliquam gratiam, ſeu taxationem, uel remiſsionem

miſsionem facere in totum,uel in partem,nec alicui licentiam dare cõtra prędicta ordinamenta immittendi aliquod genus beſtiarum in dicto tenimento Vrbeuetano,nec in aliquo Conſilio ſpeciali,uel generali proponere, aut arrengare, siue proponi,aut arrengari facere,uel permittere de aliqua gratia facienda cõtrafacientibus in totum, uel in parte,uel de dando licẽtiam alicui, tam Ciui,quam forenſi immittendi beſtias in dicto tenimento contra prędictas ordinationes ad paſturãdum, ſub pœna priuationis omnium officiorum dicti Communis per decennium, & quinquaginta librarum denariorum Cameræ applicandarũ: & nihilominus totum id,& quicquid propoſitum, factum,arrengatum: & obtentum fuerit præmiſſorum occaſione,non ualeat, nec teneat ipſo iure.

Quod Notarius decedens committat abbreuiaturas ſuas. Rub. LXXVIII.

NOtarius decedens committat abbreuiaturas ſuas, protocolla, & ſcripturas ſuas alicui bono Notario, & si non cõmiſerit cõmittatur per Poteſtatem,poſtquam fuerit requisitus,alicui bono Notario ad voluntatem heredum defuncti, & si heredes non reperirentur,dictus Poteſtas comittat ad uoluntatem poſſeſſoris,ſeu petentis, & dictus Notarius poſsit,& ualeat dictas ſcripturas tranſumptare, & publicare abſque alia auſcultatione,ſeu Iudicis decreto,& ipſa sic publicata ualeant,& firmiter obſeruentur,& indubitata fides adhibeatur, sicut proprio originali dicti Notarij: qui Notarius teneatur ſolemniter iuramentum pręſtare in manibus dicti Poteſtatis de prædictis inſtrumẽtis fideliter faciẽdis,tranſumptãdis, publicandis,& reſtituẽdis pẽtẽti bona fide,& sine fraude:& si inuenerit aliquod inſtrumẽtum cancellatũ, ipſum nõ trãsũptet,ſeu exẽplet,nisi primo uocetur ille cõtra quẽ fuerit inſtrumentum,uel eius heredes,uel fideiuſſores: & Notarius qui ſcripſerit primas ſcripturas,ne fraus comittatur in protocollo poſt mortem Notarij,nomen perſonæ,siue Ciuis, uel forensis,& nomen Terræ ſuæ: & Conſules Collegii Notariorum,teneantur uinculo iuramenti,& ad pœnã uigintiquinque librarum denariorum, infra terminum trium dierum,à die obitus cuiuslibet Notarii, si dictus Notarius non habuerit filium,uel nepotem,uel alium, qui exerceat Artem Notariæ de familia, sigillare,& sigillatas deponere dictas ſcripturas dicti Notarii defũcti apud fidum hominẽ,pro heredibus dicti Notarij defũcti cõſeruãdas, donec cõmiſſę fuerint fideli Notario ad publicandũ,ut ſupra ſub dicta

pœna dictis heredibus,ſi non aſſignauerint, & dictus Notarius,cui cõmiſſæ fuerint dictę ſcripturæ, habeat pro rimatura cuiuslibet inſtrumenti Notarij defuncti, vnum ſolidum pro quolibet anno,à die inſtrumenti facti,& rogati computando: ſi ipſum inſtrumentum inuenerit,habeat à petẽte pro rimatura cuiuslibet protocolli duos ſolidos: & ſi dictę abbreuiaturæ,ſeu protocolla inuenirentur defectiua, uel in ſchedulis poſita, dictus Notarius poſſit extẽdere ſecundum formam communem, nõ mutata ſubſtantia contractus,& poſſint publicari.

Quod ille qui emit res, uel Gabellas, & non ſoluit precium, cogatur ad ſolutionem. Rub. LXXIX.

SIquis emit aliquam rem, ſeu Gabellã à Communi prædicto, & non ſatisfecit de precio,teneatur infra terminum unius menſis ſatisfacere cum effectu, ad pœnam dupli. Et ſi qua uenditio,donatio, uel alienatio fieret de rebus,& iuribus Communis ab aliqua perſona,quam à Syndico Communis habente ſpeciale mandatum,talis res uẽdita,donata, uel alienata deueniat in Commune, & dictum inſtrumentum ſit nullius ualoris.

De illo qui recepit precium à Communi de aliqua re, uel opere faciendo. Rub. LXXX.

SIquis receperit, aut recipiet à Communi Vrbeuetano,uel ab aliqua perſona,nomine Communis, integram mercedem,aut precium,ut faciat aliquod opus, & non fecit infra terminum ſtatutum, teneatur facere dictum opus ſuis expenſis integre, & id quod accepit, ac denarios reſtituere dicto Communi: & ſi partem precii recepit, & nõ fecerit opus,ſaltem aſcẽdens ad precium receptum,ſimili pœna puniatur, & denuntiator habeat quartam partem pœnæ, & teneatur ei credentia, & hoc locum habeat in præteritis, & futuris.

Quod Contractus celebrati inter Commune Florentiæ, & Commune noſtrum Vrbeuetanum, obſeruentur Rub. LXXXI.

OMnes, & ſinguli contractus facti, & fiendi inter Commune Florentiæ ex una parte, & Commune Vrbiſueteris ex alia, obſeruentur, prout ſcripti ſunt, uel erunt manu cuiuſcumque Notarij

Notarij, & maxime manu Ser Prudentij, & Ser Guglielmi: & Florentini uadant ſecuri per Ciuitatem,& diſtrictum Vrbiſueteris ſine ſolutione alicuius guidæ, uel pedagij, ſi à Florentinis,& eorum iurisdictioni ſuppoſitis fiet idem: & hoc idem cum quibuſcumque aliis perſonis cuiuſcumque alterius Ciuitatis, uel Terrę obſeruetur. Ciui autem,uel contadino noſtro non tollatur pedagium, niſi quatenus ex forma præſentium Statutorum permitteretur, ad pœnam centum librarum denariorum pro quolibet contrafaciente.

Quicumque operatur Artem, teneatur iurare Artem Conſulibus illius Artis. Rub. LXXXII.

QVicumque operatur aliquam Artem,ſeu Artes, iurare teneatur Cōſulibus illius Artis,ſeu Artium, quam,& quas operaretur, & cogatur ſub Conſulibus,quibus iurauerit, ſicutalij ipſius Artis, ſeu Artium contribuere pro rata exercitij cuilibet dictarum Artium, & poſſit cogi ad matriculam dictæ Artis,& teneatur ſoluere omne id, & totum quod continetur in Statuto dictæ Artis pro dicta matricula: Sed illi Arti,quam magis exercet,teneatur perſonaliter accedere ad adunātias,& alia neceſſaria, prout uadunt alij iurati dictæ Artis,& ab alijs Cōſulibus non poſſit cogi ad eundum perſonaliter. Tinctores, Conciatores, Valcatores, & Textores pānorū lanæ,teneātur obedire Cōſulibus Artis lanæ, & habere debeant in Conſules ipſos Conſules Artis lanæ, & ſecundum uoluntatem ipſorum Conſulum cogantur, ſi iuſta mandauerint. Quicumque vero teneret paſſettum, uel libram, teneatur iurare mercatoribus: & omnes uendentes pannos ad minutum in dicta Ciuitate, uel eius Comitatu, uel retagliauerint, teneantur contribuere Arti mercatorum: & quicumque uenderet pannos à porta maiori uſq; ad portam Puſterulam per ſtratam rectā in platea Populi, & à dicta platea ad Hoſpitale Sanctæ Mariæ de Stella per ſtratam, ſoluere, & contribuere teneantur, ac iurare ipſam Artem mercatorum: in alijs autem locis uendentes ad minutum, non teneantur iurare, ſed teneantur contribuere pro medietate quam ſoluerent iurati dictæ Artis: & Sellarij, teneantur ſub Conſulibus Artis merciantium: & omnes, & ſinguli forēſes uenientes in dicta Ciuitate ad aliquam Artem exercēdum, libere uenire poſſint, dummodo faciant, & obſeruent ea, q̄uæ faciunt noſtri Ciues, & iurati.

Quod non recipiatur aliquid de Arte lanæ in pignore.
Rub. LXXXIII.

NUllus poſſit accipere in pignore, uel in vēditione, aliquid, quod pertineat ad Artem lanæ, ſine voluntate domini cuius fuerit, ſub pœna decem librarum, & nihilominus reſtituat, quod accepit: & Poteſtas teneatur de prædictis inquirere ad uoluntatem domini rei, & nihilominus teneatur talem rem recipiens, eam reſtituere domino rei, ſine aliquo pretio, uel mercede.

Finis Libri primi.

STATVTORVM VRBISVETERIS.

LIBER SECVNDVS.

De modo, & ordine procedendi in Ciuilibus cauſis. Rub. Prima.

AD ordinate uiuendum, prolixitatem litium amputare neceſſario ſanciuit Reſpublica, iura dictarunt, Ciuilibus Conſtitutionibus , & Prætorum Decretis monen. Plebiſcitaque Illuſtrium Ciuitatum ordinatè viuentium imitamur, & ſacræ canonicæ ſanctiones præcipiunt, & hortantur, & vnanimis Ciuium, & Plebeiorum auida uolũtas, ut Ciuilibus litibus, & cauſis in futurum mouendis inter Ciues, Comitatiuos, Incolas, & accolas huius Inclytę Ciuitatis Vrbeuetanæ, limitato tempore dirimẽdis, ordo daretur. Cupientes in quantum poſſumus, Reipublicæ proficere, & nihil vtilitati cœptum imperfectum relinquere, aduertentes ad manutentionem, & conſeruationem Reipublicæ Ciuitatis Vrbeuetanæ uigili cura, & mentium oculis vacantes, infraſcripta Statuta, decreta, & ordinamenta ſępe reuoluta, & diu excogitata, in poſterum pro Statutis, decretis, & ordinamentis cauſarum ciuilium obſeruandis, ſtatuimus, & ordinamus, compilamus, & decernimus infraſcripta Statuta, & ordinamenta, atque decreta, quæ pro Statutis, decretis, & ordinamẽtis, & legibus municipalibus, de modo, & ordine procedendi volumus, & mandamus.

De productione Mandatorum, & Legitimatione perſonarum. Rub. II.

CVm in omni Iudicio prius de perſonis ſit quærendum, ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi quis Actor, uel Reus per Procuratorẽ, Tutorem, Curatorem, Actorem, Syndicum, uel alium mandatarium in iudicio cõparuerit, teneatur Actor producere mãdatum ſuum in prima ſua comparitione, antequam Reus citetur, uel ſaltem in termino citationis factę de Reo coram Iudice, realiter, & in publicam formam ma

nu publici Notarij, quod ſi non fecerit, Actor pro contumace habeatur pro illa citatione tãtum, Reo tamen citato comparente, & contumaciã ipſius Actoris accuſante, & de cętero non audiatur Actor, niſi prius refectis expenſis Reo, occaſione illius contumacię, uidelicet quinque ſolidos denariorum: & intelligatur etiam mandatum realiter produci, ſiue producatur inſtrumentum publicum talis mandati, & in plena forma, ſiue fiat fides per aliquem Notarium bancæ, etiam ſi nõ eſſet Notarius cauſę, qui diceret ſe rogatum de talibus mandatis, & etiam ſi Protocollum oſtenderet, uel exhiberet: Et cum in mandatis pro magna parte fũdetur iudicium, vt Reus poſſit habere copiam talium mãdatorum à Notario, omne, & tale inſtrumẽtum, uel inſtrumenta, remaneant in filza apud dictum Notarium: Si vero pro parte Rei aliquis cõparuerit allegans ſe habere aliquod mãdatum, nullatenus audiatur, niſi ipſum mãdatum realiter produxerit in ipſa comparitione, uel infra terminum competentem, arbitrio Iudicis ſtatuẽdum, cum nõ ſit in poteſtate Rei quando conueniatur, & non poteſt paratus uenire: Si tamen fuerit Procurator, Actor, uel Curator ad cauſas cõſtitutus, de quo fuerit rogatus aliquis ex Notarijs cauſarum ciuilium ex parte Rei nõ teneatur mandatum realiter producere, ſed ſufficiat quod producatur uerbo oretenus, habita fide à Notario cauſarum ciuilium dictæ Ciuitatis, prę ſentialiter exiſtente tunc temporis mandati producendi, & dictus Notarius teneatur, & debeat dictum mandatum extendere in actis in plena, & valida forma, tam mandatum Actoris, quam Rei: & ſi partes conſenſerint, Iudex ſtatim ponunciet mandata legitima, ſi vero non conſenſerint, ſtatuat Iudex terminum ad accipiendum copiam mãdatorum hinc inde, ad dicẽdum cõtra, duorũ dierum proximè futurorum, à die datę copię, expenſa petentium, niſi fuerit tutela, Cura, ſiue Actoria, ſiue Syndicat. contra quas aſſignetur terminus trium dierum: in quo termino ſi nihil fuerit oppoſitum, intelligatur mandata, & perſonas fore legitimas ſine aliqua pronunciatione: ſi vero aliquid eſſet oppoſitum quod de iure non obſtaret, Iudex pronunciet mandata legitima: Si uero exceptiones viderentur obſtãtes, & altera pars voluerit replicare, habeat terminum duorum dierum proximè futurorum ad accipiendum copiam, & replicandum: ſi uero dictę exceptiones, ſiue replicationes, cognitionem, & probationem facti habẽtis impedire mandatũ requirerent, ſtatuatur terminus octo dierum ad probandum, & probatũ habendum omnia in cũbẽtia partibus, ſuper mãdatis oppoſita, & replicata, quatenus tangit, ſuper quibus, & replicationibus, teneatur, & debeat Iudex pronunciare in quatuor dies poſt lapſum dictorum terminorum proxime ſequentium, mãdata fore, uel non fore legitima. Si uero cognitionem iuris exceptiones

ceptiones oppoſitę contra mandatum requirerent, tunc Iudex teneatur pronunciare ſuper mandatis infra duos dies proxime ſequentes, & condemnare Partem non producentem legitimum mandatum in expē ſis uictori, quas taxatas, faciat reſarcire, & refici cum effectu: & omnes termini ſupradicti, in quibus ueniet exhibēda copia Parti, terminus nō currat, niſi à die datę copiæ, quam Notarius teneatur dare, & facere ex penſis petentis, infra terminum à Iudice ſtatuendum, & ſi Notarius fuerit negligens, incidat in pœnam uiginti ſolidorum pro qualibet uice, de facto exigendam à dicto Notario, applicandam in acconcimine Palatij ipſius Poteſtatis.

De interrogationibus in cauſis faciendis ad præparationem litis. Rub. III.

VOlens agere cōtra aliquem, & aliquas interrogationes ad præparationem litis mouendæ fieri facere per Iudicem, ſuper quibus de iure eſſet reſpondendum, teneatur illas interrogationes producere coram Iudice per ſe, uel per Procuratorē ſuum, ſeu aliā perſonam legittimam, & ſuper ipſis interrogationibus Reum citari facere per publicum Baiulum Cōmunis, quatenus prima die iuridica immediate ſequenti, compareat perſonaliter in Iudicio ad reſpondēdum dictis interrogationibus, & alijs, ad iudicium citantis: habita copia, ſi uoluerit, dictarum interrogationum ad præparationem litis mouendæ productarum, teneatur, & debeat perſonaliter reſpondere prima die iuridica immediate ſequenti: & ipſo citato comparente, ſiquidem fuerit interrogatus, ſi eſt, uel uult eſſe heres alicuius defunctę perſonę, debeat reſpondere clare eodem die, uel ſequenti, aliàs contra eum poſſit procedi, tamquam contra heredem qui adiuerit, ſi dictæ interrogationes factæ fuerint ad petitionem creditoris hereditatis, uel Legatarij: ſi autem factę fuerint ad petitionem heredis ſubſtituti per defunctum tali uocato, habeatur pro non adeunte: Si uero petierit tempus ad deliberādum an uelit eſſe heres, tunc habeat terminnm peremptorium triginta dierum continuorum, & non plurium, quam deliberationem infra dictum terminum facere teneatur in Iudicio, altera Parte præſente, uel ſaltem perſonaliter, uel domi citata, de qua deliberatione appareat publica ſcriptura manu Notarij bancæ cauſarum ciuilium: quod ſi infra dictum terminum non deliberauerit, habeatur hereditas pro adita, uel non adita ſecundum formam iuris, ut ſupra diſtinguitur ante petitionem creditoris, uel ſubſtituti: ſi quis autem uoluerit adire here-

ditatem

ditatem alicuius defuncti cum beneficio legis,& inuentarii, terminum habeat ad conficiendum, initiandum, & perficiendum triginta dierum continuorum, & non plurium, ita tamen, quod omni tempore poſſit procedere ad confectionem dicti Inuentarij, non obſtãtibus ferijs quibuſcumque ad vtilitatem hominum introductis: ſi autem dictæ feriæ in ductę ſint ad honorem Dei videlicet, Paſcatis Reſurrectionis, uel Natiuitatis Domini noſtri cum diebus præcedentibus, & ſequentibus feriatis, reſtauretur cõficiens in dictis diebus feriatis in honorem Dei, quo termino elapſo non habeat beneficium Inuentarij, ſi Inuentarium non perfecerit, & poſſit procedere contra eum, tamquam contra heredem adeuntem inconſultè. Siquis uero citatus in Iudicio ut ſupra, perſonaliter comparuerit, & interrogatus ad præparationem litis, an poſſideat rem aliquam, uel ne, teneatur reſpondere clare eadem die, ſi uero petierit terminum, aſſignetur ſibi terminus duorum dierum ad reſpõdendũ deliberate, data ſibi copia prius dictæ interrogationis, expenſis ipſius, quo termino elapſo, & dictæ interrogationi non reſpondente clare, habeatur pro negante ſe poſſidere, & contra eum poſſit procedi, tamquã negantem ſe poſſidere, si fuerit interrogatus ille à quo debet res uendicari: in petitione uero hereditatis ſimiliter cõparens, non reſpondẽs infra terminum ſibi datum, ut ſupra clare, ſe poſſidere pro poſſeſſore, uel pro herede, habeatur pro negante: Si uero dixerit ſe poſſidere titulo habito ante mortem defuncti, interrogetur per Iudicem cum iuramento, Si huiuſmodi titulum allegatum habeat realiter penes ſe, uel in ſua facultate tũc producendi: & ſi dixerit, quod ſic, detur ſibi terminus peremptorius ad producendum in Iudicium huiuſmodi titulum duorũ dierum proxime ſequẽtium, & ſi dixerit nõ habere titulũ penes ſe, uel non eſſe tunc in ſua facultate producendi, tunc detur ſibi terminus decem dierum ad producendum realiter huiuſmodi titulum, quod ſi in dicto termino nõ produxerit huiuſmodi titulum oblatum, habeatur poſſidens pro poſſeſſore, licet in proceſſu cauſę, & litis probaret, niſi dictũ allegans titulum in dicto termino non poſſet dictum titulum producere, & probare ex aliquo iuſto impedimento, ſiue caſu aliquo, uel obſtaculo, & relinquatur prouiſioni, & diſcretioni Iudicis eo caſu, an dictus terminus ſit prorogandus, ſiue alias dandus, aut denegãdus petẽti, obuiando ſubterfugijs, & malitijs, quæ habent litem differre, Si uero quis citatus ad dictam pręparationem, diſtulerit comparere, cogatur remedijs iuris, & mulcta indicta, ſemel, & pluries, & quouſque dictus citatus comparuerit, & ſe curię repręſentauerit, niſi talis citatus fuerit abſens à Ciuitate, & Comitatu Vrbeuetano, & in ſemotis partibus diceretur illum degere, & eo caſu Iudex ſtatuat alleganti abſentiam, & ipſi abſenti ter-

ti terminum decem dierum ad comparẽdum in prædictis, & plus, & minus ſecundum diſtantiam loci, ubi dictus abſens diceretur morari, & ſuper dictis præparatorijs nullus pro parte Rei. admittatur Procurator, niſi ad allegãdum cauſas abſentiæ, uel impedimenti conuenti. Sed ſi fuerit conuenta aliqua mulier, uel alius, qui ſit excuſatus comparere in iudicio ex aliqua iuſta cauſa, ſufficiat fieri reſponſio Notario bancę, eunti de commisſione Iudicis ad recipiendum reſponſionẽ ſuper talibus prę paratorijs, pręſente citata, uel monita altera Parte: Declarantes quod in dictis præparatorijs debeat contineri quantitas certa, ſiue res, quæ peti debet, tam in iudicio uniuerſali, quam particulari, & debeãt dictæ interrogationes eſſe clarę, & tales, quibus de iure reſpõderi debeat ante litem conteſtatam, alias non teneatur interrogatus reſpondere, nec ſibi labatur terminus, nec interrogatio admittatur per Iudicem.

De Libelli oblatione, & citatione. Rub. IV.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod uolens contra aliquem agere in cauſa, in qua non eſſet ſummarie procedendum, Actor ante citationem Rei conueniendi, offerat libellum Iudici, quo facto, ad eius petitionem citetur Reus ex commisſione Iudicis, per baiulum dicti Communis, cũ copia dicti libelli, relaxanda dicto citato, uel ad domum ipſius, ad comparendum in iudicio coram dicto Iudice, & reſpondendũ dicto libello deliberate, & ad ſuas exceptiones proponendas: & ſi domum habitationis habuerit in Ciuitate, asſignetur eidẽ terminus quinque dierum proxime ſequentium, à die citationis fiendę computandorum, ſi perſonaliter fuerit citatus, ſiue ad domum ſuæ ſolitę habitationis: Si uero domum habitationis habuerit in Comitatu, & non in Ciuitate, asſignetur terminus octo dierum proxime futurorum, poſt citationem de eo perſonaliter, ſiue domi factam: & ſi habitationem non habuerit in Ciuitate, uel in Comitatu, tunc fiat citatio de tali Reo conueniendo ad portas Palatij Populi dictæ Ciuitatis, in quo ius miniſtratur, cum relaxatione, & affixione ad ualuas dicti Palatij dictæ copiæ dicti libelli, cũ termino arbitrio Iudicis aſsignãdo, ſecundũ diſtãtiam loci, in quo eſt, ſiue habitat citãd⁹, Itaquod ſẽper, ultra tẽpus cõueniẽs eũdi, & redeũdi, habeat octo dies: quę citatio ſic ad portas Palatij facta, ualeat & teneat, ac ſi eſſet ꝑſonaliter, uel domi ſolẽniter facta: in cauſis uero sũmarijs, ſufficiat unica citatio ꝑſonaliter facta oreten⁹ per baiulũ Cõmunis, uel domi ſolitę habitationis, duab⁹ uicib⁹ etiã oretenus, ut cõpareat

die ſequenti, & prędicta habeant locum in Ciuibus, uel continuis habitoribus Ciuitatis: contra autem habitantes in Comitatu, & Comitatiuos, ſufficiat vna citatio perſonaliter, uel domi facta, abſque relaxatione copię alicuius libelli, uel petitionis. Si autem citandus eſſet forenſis, uel non habitans in dicta Ciuitate, uel Comitatu, & haberet domum propriam, uel conductam in Ciuitate, uel Comitatu, ſufficiat unica citatio facta per baiulum dicti Communis, dummodo baiulus portet cedulam continentem tenorē qualis qualis petitionis cōtra ipsū factæ, & ipſam affigat in oſtio dictæ domus, cum termino, Iudicis arbitrio, ſtatuendo ad comparendum, in præſentia duorum uicinorum, quorum nomina deſcribantur in actis. Si autem non haberet domum in Ciuitate, uel Comitatu, tunc citetur cum tuba ad Logiam Palatij per publicum tubicinum dicti Communis, & nihilominus per baiulum Communis apponatur cedula prædicta cum dicto termino in ualuis dicti Palatij, in pręſentia duorum teſtium, quorum nomina etiam ſcribantur in actis.

Ordo agendi contra Heredes incertos. Rub. V.

SIquis voluerit contra Heredes alicuius perſonæ defunctæ agere, & non ſit aliquis Heres certus, tunc ad petitionem uolentis agere, fiat citatio nominatim de eo, quem Actor putauerit habere primam cauſam ſucceſsionis, & ſi non comparuerit in termino primæ citationis, ponatur edictum ad ualuas Palatij Populi dictæ Ciuitatis cum copia libelli, ſiue petitionis productæ in iudicio contra heredes, & uolentes eſſe heredes, & pro heredibus reſpondere, & bonorum poſſeſſores, & bona defendere, & fiat generalis proclama per Præconem Communis ſono tubæ præmiſſo, ex cōmisſione Iudicis ad domum defuncti, de heredibus, & uolentibus eſſe heredes, & pro heredibus reſpondere, & bonorū poſſeſſoribus, & uolentibus bona defuncti defendere, quod infra terminum trium dierum proxime futurorū, legitimè compareat in iudicio reſpōſuri de iure dicto agere uolenti, dato, & exhibito prius libello Iudici in iudicio, & iterū poſtea renouādo in perſonāCuratoris & cōtra Curatorē dandū, cū quo iudicium agitabitur per cōtra deféſorē, qui ſe iudicio obtulerit: & ſi non cōparuerit principalis Heres, uel debitor, uel Reus conueniēdus, ſeu aliquis ex citatis, & cōparuerit aliqua perſona loco cōuēti, ſeu citati ſine mandato, & uelit in ſe ſuſcipere iudiciū, teneatur primo dare talis cōparens idoneas ſatiſdationes de rato, &

to, & iudicatum ſoluendo, & tunc contra eum agatur, tamquam contra principalem. Si uero aliquis ex citatis, ut ſupra, ad talem citationem comparuerit, faciens legitimum contradictorem ſuo nomine, uel alieno nomine, cum mandato legitimo, procedatur contra eum, prout infra diſponitur contra comparentem: & prædicta locum habeant in cauſis ordinarijs, & in quibus eſſet ordinarie agendum: in cauſis uero ſummarijs, ſufficiat bina citatio oretenus facta ad domum dicti defuncti, in pręſentia duorum uicinorum uarijs diebus: de heredibus uolẽtibus eſſe heredes, & pro heredibus reſpondere, & bonorum poſſeſſoribus, & bona defendere, procedatur, prout infra in ſequẽtibus capitulis, de cauſis ſummarijs diſponetur contra non comparentes.

De Curatore dando ad lites. Rub. VI.

SI uero nullus in dicto termino comparuerit, tunc per Iudicem ad petitionem Partis agere volentis, detur Curator hereditati iacẽti, & bonis talis defũcti, uocatis duobus proximioribus agnatis, & duobus proximioribus cognatis talis defũcti, & duobus, uel tribus ex proximioribus uicinis talis defuncti nominatim, & cæteris alijs cognatis, & agnatis, & uicinis talis defuncti: qui ſi comparuerint infra terminũ triũ dierum, poſſint, teneantur, & debeãt nominare aliquem in Curatorem bonorum talis defuncti, infra terminum decem dierum proxime futurorum, à die facti præcepti dictis agnatis, cognatis, & uicinis: Qui nominatus ſi noluerit acceptare, uel talis agnati, cognati, uel uicini non nominarẽt aliquem infra dictum terminum, Iudex poſſit prouidere ad petitionem Actoris, & conſtituere illum in Curatorem, qui uoluerit acceptare, ſiue quemcunque alium, qui eſſe uelit Curator, nemo tamen poſſit cogi inuitus ad acceptandum dictam curam. Qui Curator qualitercunque datus, teneatur, & debeat facere Inuentarium bonorum, & rerum defuncti, & cogantur poſſeſſores, ſeu detentores bonorum, & rerum defuncti, remedijs iuris, ad permittendum fieri huiuſmodi Inuentarium, quod feciſſe teneatur infra terminum uiginti dierum continuorum poſtquam datus fuerit: & ſi dictus Curator diſtulerit infra dictum terminum ipſum Inuentarium cõficere, ex tunc incidat in pœnam pro qualibet die, qua omiſerit dictum Inuentarium facere, poſt dictos viginti dies, uiginti ſolidorum dictorum, ipſo iure, de facto, & ſine aliquo proceſſu ſibi auferendorum, & nihilominus Inuentarium facere cõpellatur: Et Poteſtas teneatur dicto Curatori, ad omnem eius petitionem, in conficiendo ipſum Inuentarium, dare officiales, & familiam expedientes, ſub pœna centum librarum denariorum à dicto Poteſtate auferenda pro quolibet, uice qualibet, & acta facta cum tali Curatore ualeant, & teneant, ac ſi eſſent facta cum principalibus,

N 2 qui

qui conueniri deberent: quæ acta non poſſint fieri cõtra eum, niſi elapſis viginti dictis diebus, vel Inuentarium non perfecerit, & debeat talis Curator conuinci, dato ſic libello, & lite conteſtata cum eo per legitimas probationes, & non per ſuam cõfesſionem, vel ſuam contumaciã. Et dictus Curator faciat expenſas huiuſmodi litigij de bonis, & de rebus hereditatis: qui quidem Curator det, & prędictis expenſis fiendis ſibi liceat, & poſſit de bonis dicti defuncti, primo mobilium, & quę ſeruando ſeruari non poſſint, deinde immobilium, & quorumcumque bonorum, cum decreto Iudicis, prȩmiſſis ſubhaſtationibus, uẽdere, diſtrahere, & plus offerenti dare, citatis, & requiſitis dictæ venditioni prędictorum bonorum, duobus, uel tribus agnatis, uel cognatis, & duobus uicinis talis defuncti de proximioribus, quibus uel alteri ipſorum, pro pari precio dictæ res vendi debeant, ſi voluerint emere, aliter interſint vẽditioni prædictæ: & talis venditio hoc modo facta valeat, & teneat ipſo iure, & non poſſit retractari aliquo modo: & ſi Curator prædictus ſuccubuerit in cauſa, nõ poſſit, nec teneatur appellare, ſed fiat executio sẽtentiæ in bonis hereditarijs, etiam à quibuſcunque occupatis, uel poſſeſsis poſt mortẽ defuncti, citatis tamen prędictis occupatoribus, & poſſeſſoribus, cum termino trium dierum ad contradicendum, quare dicta executio non debeat fieri in bonis prædictis, & audiatur, & procedatur in prædictis, ac ſi procederetur ſuper teſtamẽto, ſecũdum beneficiũ l. edicto Cod. de edict. Diui Adri. toll. & non aliter: poſſit tamen cũ Curatore prædicto in cauſa adeſſe, ſi uoluerit talis Curator, uel poſſeſſor ad defenſam, & audiatur pro ſuo intereſſe, & ſi fuerit citatus, neceſſe habeat comparere. Si uero nullus qui uellet eſſe Curator bonorũ talis defuncti reperiatur, procedatur ad primum decretum cõtra bona, & hereditatem iacentem, ut infra diſponitur contra contumacem, ac primum decretum, & ad omnes actus, ipſius contumacia non obſtãte, factis prius duabus alijs proclamis, ut ſupra, ad domum talis defũcti, cũ termino trium dierũ pro quolibet proclama, & repoſito editto ad valuas, ut ſupra in principio diſponitur. Et ſi aliquis comparuerit in dictis terminis, audiatur refectis expenſis factis occaſione ſuę contumacię, ſeruatis ſolemnitatibus, quæ requiruntur circa expenſas, ut diſponitur. Si uero nullus comparuerit in dictis alijs proclamis, procedatur ut dictũ eſt, contra bona ad primum decretum, & ad omnes alios actus, iuſtitia mediante, & ſecundum formam præſentium Statutorum: hoc ſaluo, & declarato, quod prædictæ ſolemnitates, & inquiſitio dicti Curatoris fiat, & obſeruetur quando eſſet quęſtio quinquaginta librarum denariorum, uel rei totidem ualentis, & ab inde ſupra: Si uero eſſet qnæſtio minoris valoris, procedatur contra bona, & hereditatem iacẽtem, fac

tis

tis dictis tribus proclamis, non diſcuſſo de Curatore, niſi aliquis comparuerit qui curam talem in ſe ſuſcipere uellet, nam tũc, & eo caſu dictus Curator admittatur, & audiatur, & alio modo quam prędicto modo nõ poſſit procedi cõtra heredes incertos, & cõtumaces, & acta facta nõ ualeant, niſi appareat per publicã ſcripturã de aditione hereditatis, quo caſu poſſit procedi cõtra talem heredem cõtumacem, ac ſi procederetur contra aliam perſonam abſentem contumacem: & petitio hereditatis competat etiam cõtra poſſidẽtem titulo habito à quocumque poſt mortem defuncti, de cuius hereditate quęretur.

De Aduocato, & Procuratore dando partibus. Rub. VII.

IVdex, ad pœnam vigintiquinque librarum denariorum, cum requiſitus fuerit, teneatur, & debeat prouidere utrique Parti de Aduocatis, & Procuratoribus, itaquod ęqua ſit diſtributio inter Actorẽ, & Reũ, prouidendo, & diſtribuendo de conſenſu Partium, ſi Partes conſenſerint, ſiue prouidendo & diſtribuendo per Briſciulos: & poſſint, & debeant per Iudicem, Aduocati, & Procuratores cogi perſonaliter ad acceptãdum, uel per interdictionem officij per annum, ſeu recepta, & depoſita competenti mercede: & quouſque Partibus petentibus, de Aduocatis, & Procuratoribus nõ fuerit prouiſum, termini nõ currant, nec in cauſa poſſit procedi. Aduocati uero, uel Procuratores, qui libellũ dictauerint, uel alia acta, uel ſe ſubſcripſerit, poſſint, cogi eſſe pro Reo, niſi Actor, omnes, ſiue maiorem partem Aduocatorum, & Procuratorũ malitioſe conduxerit, de quibus conductis debeat unum retinere, & reliquos relaxare pro Reo, ſiue quem elegerit Reus, & competens merces intelligatur tertia pars, quæ in principio cauſæ ſolui debet ſecundum quantitatem, & qualitatem ipſius cauſæ, & ſecũdum modum infraſcriptum, uidelicet: ſi fuerit cauſa centum librarum denariorum, uel abinde infra, Aduocatus, & Procurator non poſſint petere pro eorũ mercede, pro tota cauſa, ultra ſexaginta ſolidos: abinde uero ſupra uſque ad trecẽtos Florenos, nõ poſſint habere, inter ambos, ultra quinq; Florenos pro quolibet centenario Florenorũ: ab inde uero ſupra, cuiuſcumque ſint quãtitatis, uel ualoris, inter ambos, non poſſint recipere ultra tres Florenos pro quolibet centenario Florenorum: & prędicta intelligantur in cauſis ordinarijs. In cauſis uero appellationũ, in cauſis ſũmarijs, & executione inſtrumẽtorum, uel etiam aliorum quorũcumque, quę, ſummarie cognoſci deberent, medietatem ſupraſcriptarum quantitatũ reci-

recipere poſſint, & ſi eſſent plures Aduocati, uel Procuratores ineadẽ cauſa pro una parte, diuidatur inter eos. Si autem eſſet cauſa criminalis, & eſſet cauſa pecuniaria, recipere poſſint medietatẽ, ultra ſupraſcriptas quantitates. Si autem eſſet pœna corporalis, uel mortis, recipere poſſint medietatem, ſi aliter partes uero concordauerint: uſque ad decem ducatos, ſi cauſam obtinerent: Sed ſi non obtinerent, medietatem. Secũda uero pars dictorum ſalariorum, ſoluatur in publicatione proceſſus, & reſiduum in calculo ferendæ ſententiæ.

De iuramento litis deciſiuo. Rub. VIII.

CVm maximum remedium diffiniendarum litium iuſiurandum introductum ſit, uolumus, quod ſi quis fecerit petitionem contra aliquem, de aliqua quantitate pecuniarum, uel alicuius rei, & fecerit citare aduerſarium ad partitum, uidelicet quod iuret aut referat iuramentum deferenti, ſi quidem citatus fuerit perſonaliter, & nõ comparuerit, & fuerit per Aduerſarium accuſata cõtumacia, citetur iterum cum cedula continente effectum petitionis, & partitum, quod intra terminum duorum dierum compareat ad iurandum, uel referendũ uel liti renunciet: & ſi pars denegauerit prædicta facere, uel citatus perſonaliter, & poſtea cum cedula perſonaliter, uel bis domi, cum cedula, habeatur pro cõfeſſo, & conuicto de omni eo quod continetur in partito, prout magis nocet, uel obeſt debenti reſpondere, & iuuat facienti partitum: & quando ipſum partitum eſſet in aliqua parte obſcurum, Iudex teneatur declarare, uel notificari, & declarari, & notificari facere per Partem petentem, & facientem partitum, ita, & taliter quod lis, & cauſa ſit finita, tam ſuper petitione, quam ſuper præsẽtatione, ad hoc ne aliqua Partium decipiatur, & lis ex lite oriatur: & ipſo iuramento delato, ut ſupra, uel habito pro confeſſo in contumacia, habeatur proindubitata ueritate, & pro legitima probatione in cauſa, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus: & Iudex ſtatuat terminum decem dierum ad ſoluendum, uel ad faciendum contenta, ſecundum formam dicti iuramenti: & ipſo termino elapſo, poſſit committi executio, & iuramentum non poſſit aliquo modo reprobari, nec contra talẽ iurantem procedi in aliqua Curia ciuiliter, uel criminaliter, niſi de cõſenſu Partium taliter fuiſſet datum ipſum iuramentum, cum ipſa conditione, & pacto reprobãdi, & talis iurans ſolum Deum habeat ultorem, & tali iuramento non poſſit uti contra habentes iuſtam cauſam ignorãtiæ, ſeu legitimam excuſationem de non habendo informationem ueritatis: & quando talis citatus ad partitum, ut ſupra, eſſet contumax, & iuſto im-

ſto impedimẽto eſſet impeditus, poſsit purgare moram ſuam infra terminum à Iudice ſtatuendum, ſecũdum qualitatem impedimenti, & qualitatem perſonę, omnibus bene conſideratis per ipſum Iudicem.

De contumacia Actoris, uel Rei. Rub. IX.

STatuimus, & ordinamus, quod in termino primæ citationis factę de Reo cum copia libelli, tam Actor, quam Reus teneatur per ſe, uel alium legitime comparere, & ſi Actor non comparuerit, & in dicto termino ſe non repręſentauerit, ſi pro parte Rei fuerit accuſata contumacia Actoris, ſit citatio circunducta, & de cætero non audiatur Actor contumax, niſi refectis expenſis ipſi Reo, uidelicet uiginti denariorum ſolidis, & maiori ſumma, ſi Iudex uiderit Reum citatum maiores expẽſas feciſſe, & totum reſideat in arbitrio, & cognitione Iudicis, iuramento Rei probandas: & ſi quidem Reus citatus perſonaliter non comparuerit in prędicto termino, pro parte Actoris fuerit contumacia accuſata non comparentis, habeatur pro legitimo contumace, & non citetur ulterius, ſed procedatur contra eum, tamquam contra uerum, & legitimum contumacem: Si vero non fuerit perſonaliter citatus, ſed domi ſolitę habitationis ipſius Rei, tunc ſi quidem habitationem habet in Ciuitate, in Ciuitate citetur iterum per baiulum dicti Communis, qui ſi perſonaliter fuerit citatus, & non comparuerit, habeatur pro contumace, & alia citatio non requiratur: Si vero non fuerit perſonaliter citatus, ſed domi eius ſolitę habitationis, citetur tertio cũ cedula ad domum habitationis dicti Rei, cum termino trium dierum proxime futurorum ad comparendum, & ad deliberate reſpondendum, & exceptiones ſuas proponendum, & dictum terminum etiam habeat in qualibet dictarum citationum, & ipſa cedula figatur ad hoſtium dicti citati, in præſentia trium proximorum uicinorum, quorum nomina ſcribantur in relatione Nuncij, qui ſi non comparuerit legitime, habeatur & ſit uerus contumax, & contra eum procedatur tamquam cõtra uerũ, & legitimum contumacem. Si uero citatus non habuerit habitationem in Ciuitate, ſed in Comitatu, & ad primam citationem de eo factã nõ comparuerit, citetur ſecundo cum tuba per Pręconem ad feneſtras Palatij Populi, ubi ius redditur, cum termino quinque dierum proxime futurorum ad comparendum legitime, & reſpondendum, & exceptiones proponendum contra libellum: & ſi non comparuerit, non citetur ulterius, ſed habeatur, & ſit contumax, & contra eum procedatur, tamquam contra contumacem. Si uero non habitauerit in Ciuitate, uel Comitatu

mitatu, ſed exſtra ubicũque habitauerit, & ad primã citationẽ non cõparuerit, legitimè citetur iterum cum tuba, per Pręconem Communis ad feneſtras Palatij Populi, cum termino octo dierum ad comparendũ, & legitimè deliberandum, uel reſpondendum, & exceptiones proponẽdum, & ſi non comparuerit, habeatur, & ſit contumax, & contra eum tã quam contra verum contumacem procedetur: & prædicta locũ habeãt in cauſis ordinarijs: In cauſis uero ſummarijs, ſeruentur ea quæ ſupra deſcripta ſunt in Statuto poſito ſub Rubrica de libelli oblatione, & citatione, circa finem: quibus ſeruatis, ſi non comparuerint, procedatur cõtra eos, tamquam contra ueros contumaces.

De tenuta danda ex primo Decreto. Rub. X.

SI Reus citatus reputatus contumax, ſecundum formam præſentium Statutorum, in dictis terminis non comparuerit, legitime accuſata eius contumacia, & iuramento calumnię præſtito, pro parte Actoris pronuncietur, & cõmittatur à Iudice tenuta cõtra eum ex primo decreto de bonis Rei, videlicet in actione perſonali pro quãtitate petita, & expenſis, primo bonorum mobilium, ſecundo immobilium, & tertio nominum debitorum, accipienda per baiulum dicti Communis, modo prædicto, & excuſſionem faciat: & ſuper excuſſione prædictorum ſufficiat relatio baiuli: in actione uero reali, committatur tenuta de re petita: Sed ſi Actor tenutam non elegerit, ſed uoluerit ad ſententiam diffinitiuam deuenire contra Reum cõtumacem, poſſit, & habita ipſius Rei contumacia pro lite contextata, procedatur in cauſa, etiam in eius abſentia, citato tamen Reo, ſi habitauerit in Ciuitate, ad omnes actus ſibi præiudiciales: Si vero habitauerit in Comitatu, perſonaliter, uel ad domum citetur: Si uero extra diſtrictum, ad feneſtras Palatij cum tuba vnica citatione pro omnibus, quod aſſiſtat, & compareat ad omnes actus incumbentes, vſque ad ſententiam diffinitiuam excluſiue, nec requiratur alia aliqua citatio, niſi ad audiendum ſententiam, & proceſſus taliter factus ualeat, ac ſi eſſet contra pręſentem factus: Hoc addito, quod in nulla parte iudicij de habitantibus in Ciuitate, uel in Comitatu, poſſit fieri aliqua citatio, niſi una die pro alia, & aliter citatio facta, nõ teneat. Si vero ageretur de iuribus incorporalibus, uel alijs cauſis, in quibus proprie non poſſet committi tenuta, tunc poſſit deueniri ad diffinitiuam ſententiam, cognito de cauſa, & factis probationibus, etiam lite non conteſtata, citato tamen Reo ſemel, uel pluries, ut ſupra proxime diſponitur, ſiue habitauerit in Ciuitate, ſiue extra Ciuitatem.

De Re-

De reuocatione tenutæ datæ ex primo Decreto: Rub. XI.

ET dictam tenutam ex primo Decreto datam, ſi fuerit res immobilis, Reus poſſit, refectis expenſis ſuæ contumaciȩ, & præſtita ſatis datione de ſtando iuri cum Actore, reuocari facere infra uiginti dies continuos, uel prima die iuridica immediate ſequenti poſt uiginti dies: Si uero fuerit mobilis, infra decem dies continuos, uel prima die iuridica poſt dictos decem dies, & dicti dies incipiant currere à die notificationis, & proteſtationis factȩ Reo, uel domi eius ſolitȩ habitationis, uel ad alia loca, ubi citationes fieri debent ſecundum formam præſentium Statutorum: Quæ notificatio, & proteſtatio fieri debeat per Baiulum dicti Communis, quatenus infra terminum prȩſentes Statuti debeat dictam tenutam recolligere: & prȩdicta locum habeant quando ageretur de debito, actione perſonali: In actione uero Reali ubi facta fuerit immiſſio in rem petitam, Reus contumax habeat terminũ ad reuocandum huiuſmodi tenutam acceptam de rebus mobilibus, infra uiginti dies continuos à die notificationis: De rebus uero immobilibus, habeat ad reuocandum huiuſmodi tenutam, terminum ſexaginta dierum continuorum à die notificationis ſuæ proteſtationis computandorum, primo, & ante omnia, & in omnibus dictis caſibus, refectis expenſis, & præſtita ſatisdatione de ſtando iuri, & iudicatum ſoluẽdo: hoc tamen addentes, ne Actor grauetur duplici termino, quod ſi Reus comparuerit, & confeſſus fuerit, poſt refectionem expenſarum, habeat terminum ſex dierum ad ſoluendum, & hoc intelligatur de contumacibus reficientibus expenſas: de comparentibus uero in primis citationibus, ſeruetur terminus decem dierum, & ultra, ſi de cõſenſu Partium proceſſerit. Et ſi Reus negauerit tenutam, committatur contra eũ executio Realis, & perſonalis, quæ executio reuocari poſſit, refectis expẽ ſis, ut ſupra.

De refectione expenſarum. Rub. XII.

POſſit Reus cõtra quem fuerit facta immiſſio ex primo Decreto, tenutam in infraſcriptis terminis reuocare, ſeruatis ſupradictis in proxime præcedenti capitulo deſcriptis, & illȩ tantum expenſȩ ueniãt reficiẽdæ, & illorũ actorũ, quas Pars cõparẽs nõ feciſſet, ſi altera Pars quȩ fuit cõtumax cõparuiſſet: & intelligatur in omni cauſa facta refectio expẽſarũ, ſi fuerint per Iudicẽ taxatȩ, & ꝑ cõtumacẽ ſolutȩ, uel ſi Pars noluerit recipere, fuerit facta depoſitio quãtitatis certȩ apud aliquam perſonã, ita quod Pars cui debẽt refici expenſȩ, poſſit ad omnes

eius uoluntatem ſine contradictione habere,& ſi deiuſſores intelligan-
tur,ſi præſtentur in iudicio Iudici ſtipulanti,& recipienti pro eo,cui de
bent pręſtari, & talis præſtatio ualeat, & ſortiatur effectum, ac ſi fuiſsét
præſtitę Parti pręſenti ſtipulanti, & recipienti: hoc addito, quod ſi il-
le,qui ſemel fuerit contumax, & refecerit expenſas, & monitus ut re-
ſpondeat,ſecundo fuerit contumax (quia creſcente contumacia creſce
re debet & pœna) non audiatur ſecunda uice, niſi ultra refectionem ex-
penſarum,duplicauerit expenſas Actori: & ſi tertia uice fuerit contu-
max,& refecerit expenſas,& monitus non reſpondiderit,habeatur pro
confeſſo, & non audiatur ulterius.

De ſecundo Decreto, & uenditione tenutæ ex primo Decreto datæ. Rub. XIII.

ELapſis dictis terminis datis ad reluendum tenutam ex primo De-
creto datam, ſi aliquis non comparuerit, ſed in ſua contumacia
perſeuerauerit,& Actor uelit uenire ad ſecundum Decretum, te
neatur debitum ſuum liquidare per legitimas probationes, dicto con-
tumace legitimè citato, modo,& forma, qua diſponitur in caſu, quo
Actor in contumaciam Rei voluerit deuenire ad ſententiam diffiniti-
uam, excepto quodà uigintiquinque libris infra, non requiratur li-
quidatio debiti per teſtes, ſed contumacia Rei cum iuramento Acto-
ris,Parte legitime citata,habeatur pro legitima probatione: quo debi-
to liquidato,Iudex habeat interloqui debitum eſſe liquidatum, & pro-
batum, & eſſe deueniendum ad diſtractionem talis tenutæ,& tunc dic-
ta tenuta iure creditoris poſsit,& ualeat vendi per ipsũ creditorẽ, pręⳍ
cedentibus tribus bãnimentis,diuersis diebus fiendis per Præconẽ dic
ti Communis, ex commiſsione Iudicis ad Logiam dicti Palatij, & plus
offerenti uendatur, cum clauſulis ſolitis, & conſuetis, & decreto
Iudicis. Quæ omnia deſcribantur, & annotentur per Notarium cau-
ſæ, & prædicta locum habeant, quando fuerit actum actione perſonali:
in tenuta uero cõceſſa in actione Reali,adiudicetur Actori decreto Iu-
dicis, & fiat refectio expenſarum,accipiendo tenutam debitoris,ut ſu-
pra diſponitur:poſsit tamen Reus,si non comparuerit in primo Decre
to, comparere in dicto proceſſu fiendo ex ſecũdo Decreto quandocũ
que ante diſtractionem,& uenditionem dictę acceptę tenutę,refectis ta
mẽ omnibus,& singulis expẽsis Aduocatorũ,& Procuratorũ inſtrumẽ
torũ, & omniũ quorũcũque Actorũ in cauſa factorũ,taxatione Iudicis
pręcedẽte,& iuramẽto Partis,& pręſtita ſatisdatione de iudicio ſiſti,&
iudicatũ ſoluẽdo, cũ iuramẽto, ꝙ aĩo calũnię,& malitioſe nõ fecit,quę
expen-

expenſæ, & fideiuſſores præſtentur modo, & forma, quibus ſupra diſpo nitur in primo decreto: Hoc tamen ſaluo, quod atteſtationes, ſi quæ factæ fuiſſent in cauſa, poſsit quęlibet Partium vti in aliquo quocumq; iudicio, ſequendo ſuper libello prædicto primitus producto contra talem cõtumacem, ſaluis Reo exceptionibus, tam contra perſonas, quam dicta teſtium opponendis: & ſi dicta tenuta accepta non eſſet ſufficiẽs pro debito quantitatis petitę, & expenſis, ponatur Actor in tenuta aliarum rerum vt ſupra, vſque ad ſatisfactionem debiti, & diſtrahantur, & vendantur omni iuris ordine prætermiſſo, & non teneatur Actor ſerua re vltra terminum primæ tenutę, alium terminum in alijs tenutis diſtra hendis, ſed poſsit immediate uendere, præmiſsis tamen dictis ſubhaſta tionibus: Si uero tenuta accepta venderetur plus debito, & expenſis, il lud plus reddatur, & reſtituatur ipſi Reo.

De Proceſſu fiendo Parte comparente in litis conteſtatione, & Iuramento calumniæ. Rub. XIIII.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi Reus conuentus legitimè comparuerit in terminis prædictis, ſeu in aliquo dictorum terminorum, & deliberauerit uelle contendere opponendo exceptiones ſuas, tunc Actor habeat terminum duorum dierum proxime ſequentium ad repli candum ſi uoluerit, & ſi Reus voluerit duplicare, habeat terminũ ad accipiendum copiam replicationum, & duplicandum, duorum dierum, & elapſis dictis terminis legitimentur mandata, & facta legitimatione mandatorum, de mandato Iudicis infra duos dies proxime ſequentes conteſtetur lis per partem, & elapſis dictis duobus diebus, ſi Partes noluerint litem conteſtari, uel fuerint negligentes, habeatur lis in dicta cauſa pro legitimè conteſtata: in conteſtatione uero litis facta per Partes, ſiue pro facta habita, ſecundum formam præſentis Statuti, intelligã tur, & ſint reſeruatę omnes, & ſingulę exceptiones, & defenſiones hinc inde oppoſitę competentes, & competiturę, cuiuſcumque generis ſint, etiam ſi de ſui natura haberent opponi, & cognoſci ante litem conteſtatam, & de eis poſsit in proceſſu cauſę opponi, diſcuti, & cognoſci, & in diffinitiua ſentẽtia iudicari, & terminari, niſi eſſent ex ceptiones litis finitæ impedientes litis ingreſſum, uidelicet ſolutionis, Rei iudicatæ, tranſactionis, acceptilationis, & iusiurandi, ſuper quibus non habentibus, neque requirentibus altiorem indaginem debeat cognoſci, & iudicari ante litem conteſtatam: ſi uero altiorem indaginem requirerent, reſeruentur poſt litem conteſtatam, & Partes cau-

ſantes præſtent, & cogantur præſtare legitime, perſonaliter,& realiter, iuramentum calumniæ per Iudicem,in qualibet cauſa, ſi fuerit petitum per aliquam Partium.

De termino ad probandum. Rub. XV.

FActa litis conteſtatione,ſiue pro facta habita,Partes hinc inde, habeant terminum triginta dierum continuorum à pręſenti Statuto,ad probandum incumbentiam utrique Parti, tam actiue, quam defenſiue,& ad faciẽdum iuraſſe, & depoſuiſſe teſtes quos induxerint, & iurare fecerint legitime in dicto termino : & dictus terminus intelligatur,& ſit peremptorius, & non posſit per Iudicem prorogari,ſiue augeri : & dictus terminus probatorius triginta dierum, non currat diebus feriatis,tempore mesſium, nundinarum, & uindemiarum,& diebus feriatis propter ferias repentinas, uel ſi ſteterit per Iudicem,qui nõ ſederit,uel ius non reddiderit.

De Poſitionibus, & Articulis,& reſponſione fienda per Partes. Rub. XVI.

IN ſupraſcripto termino triginta dierum,Partes, tam Actor,quã Reus teneãtur produxiſſe poſitiones,& articulos, totiens quotiens eis uidebitur,& placebit infra dictum terminum, & producens articulos, & poſitiones, ante quam reſpõdeatur per Partem,teneatur iurare de calumnia,quod poſita in dictis articulis, & poſitionibus credit uera eſſe, Iudex teneatur facere reſponderi per legitimam perſonam ſuper dictis poſitionibus,& articulis per verbum credit,uel non credit, infra terminum duorum dierum proxime ſequẽtium, poſt productionem dictorũ articulorum,& poſitionũ, iuris remedijs, ad petitionem cuiuslibet Partis,ad pœnam quinquaginta librarum denariorum,eidem Iudici negligẽti, auferendam:quibus posſit reſponderi per Procuratorem,uel aliũ quemlibet legitimum mandatarium,iurantem in animam ipſius conſtituentis, & hoc quando principalis eſſet minor,uel abſens, uel impeditus aliquo impedimento probabili,de quibus abſentia,& probabili impedimẽto, ſtetur iuramento dicti mandatarij,approbato per Iudicem, aliàs ſemper reſpondeatur per principalem medio iuramento, amoto Procuratore, & Aduocato reſpondentis:aliàs ſi in dicto termino Pars non reſponderit,habeãtur pro confeſſatis,uidelicet poſitiones illę,quibus non eſſet reſponſum, modo, & forma prędictis, uel habeantur pro negatis,ſecundum quod plus obeſſet illi,qui reſpondere deberet , hoc

ſaluo

ſaluo, quod poſſit talis debens reſpondere, purgare moram ſuam infra alios duos dies proxime ſequentes, poſtquam accuſata fuerit eius contumacia, & citetur cum cedula, continente quod ſi non purgauerit moram ſuam in reſpondēdo poſitionibus, & articulis productis per aduerſarium, amplius purgare nō poſſit: & dicta cedula pręſentetur perſonaliter debenti reſpondere, per baiulum Communis, uel domi in pręſētia duorum teſtium, quorum nomina ſcribātur in relatione Nuncij: & elapſis dictis terminis, & accuſata eius cōtumacia, non admittatur amplius reſpondere, niſi procederet de uoluntate producentis, uel eſſet impeditus aliquo iuſto impedimento, de quo ſtetur iudicio Iudicis: & debens reſpondere, teneatur reſpondere ſimpliciter, & clare: & ſi non purgauerit morā ſuam ut ſupra, etiam per integram reſtitutionem, uel per aliud auxilium, nō admittatur: & ſi contigerit reſponderi poſitionibus, & articulis impertinētibus, & ad cauſam non facientibus, implicitis, negatiuis, criminosis, & nō admittendis de iure, tales reſponſiones, confeſsiones, uel negationes, nō præiudicent reſpondenti, & habeatur ac si non foret reſponſum, & talis articulās non sit releuatus ab onere probandi tales poſitiones, & articulos.

De productione Interrogatorij, & teſtium examinatione. Rub. XVII.

PArs, quæ reſpondiderit articulis, teneatur, & debeat aſsignare interrogatorium, si ipſum facere uoluerit, & proteſtatum fuerit eodem die, uel ſequenti, facta tamen reſponſione, & habita copia ipſorum articulorum, si uoluerit, quod Iudex poſsit reſecare, prout ſibi videbitur: & elapſo dicto termino, si non fuerit productum, uel non fuerit proteſtatum, teſtes poſsint, & debeant examinari sine aliquo interrogatorio, & teneatur Iudex examinare teſtes, per tantum ſcire, & non per uera eſſe, & ipſos interrogare in cauſa ſcientiæ, loco, & tempore, & præſentibus: & si contingeret quod fieret aliqua commiſsio extra territorium de teſtibus examinandis, & teſtes non eſſent examinati, per tantum ſcire, ſed per uera eſſe, talis examinatio non debeat nocere Parti, & uigore præſentis Statuti, ualeat, & teneat.

De Teſtibus examinandis. Rub. XVIII.

INfra dictum terminum triginta dierum datum ad probandum, tam Actor, quam Reus poſsit, & ualeat producere, nominare, & iurari facere teſtes ſuos, quos in cauſa producere, & examinare uoluerit,

qui

qui teſtes per Partes nominati, teneantur ad primam citationem de eis factam comparere in iudicio, & iurare, aliàs cogantur remedijs iuris ad iurandum, & deponendum: Qui teſtes, ſi fuerint in Comitatu, uel laboratores, poſſint petere, & habere ſalarium à producente eos pro illo die, quem perdiderint: Si uero fuerint extra diſtrictum, uel egregię perſonæ, de quibus non eſſet honor in iudicio comparere, uel aliter impediti, poſſit, teneatur, & debeat Iudex ad petitionem petentis committere vni ex Notarijs Bācæ, uel alicui alio, de quo Partes fuerint concordes, quod dictos teſtes abſentes, egregios, uel aliter impeditos recipiat ad iuramenta, & dicta, monita, uel citata altera Parte, quod interſit iuramento, ſi adeſſe voluerit, & ſemper in iuramentis teſtium intelligantur, & ſint reſeruatę exceptiones aduerſæ Partis, tam contra perſonas dictorum teſtium, quam eorum dicta, & depoſitiones, ſiue fuerint proteſtatę, ſiue non: & non poſſit una Partium in una cauſa producere, & examinare plures, quam viginti teſtes, qui teſtes debeant per Iudicem examinari, niſi de voluntate Partium committeretur per Iudicem alio examinatori: poſſint tamē ſuper uno capitulo omnes teſtes producti examinari; quo termino triginta dierum elapſo, ſi omnes teſtes inducti non fuerint examinati per negligentiam, uel impedimentum examinatoris Notarij, ſiue teſtis, tunc Iudex poſſit ad petitionem petentis dare, ultra terminum prędictum, decem dies continuos, & peremptorie ad faciendum depoſuiſſe teſtes iuratos, de quibus impedimentis ſtetur iuramento talis impediti.

De publicatione Proceſſus. Rub. XIX.

ELapſo dicto termino ſtatuto ad probandum, teſtes producti, & examinati, & totus proceſſus habeantur, & ſint pro apertis, & publicatis, quæ publicatio, & apertura Parte citata ad petitionem alterius Partis petentis per Iudicem fiat, & habeant Partes ad accipiēdum copiam teſtium, & ipſorum depoſitionum, & totius proceſſus, & ad opponendum contra, decem dierum immediate ſequentium poſt dictam aperturam, & publicationem, & Notarius cauſæ teneatur dare copiam, recepta competēti mercede, infra quinque dies, & ſi Notarius eſſet negligens, poſſit mulctari in quadraginta ſolidos denariorum, & non ultra, quo caſu si ſteterit per Notarium: terminus non currat, ſed si Notarius fuerit impeditus, similiter terminus non currat, de quo impedimento ſtetur eius iuramento approbando per Iudicem, & non teneatur ad aliquam pœnam.

De pro-

De probatione exceptionum contra Teſtes, & Proceſſum. Rub. XX.

QVod ſi aliquid fuerit oppoſitum contra teſtes, & dicta, & depoſitiones teſtium, quod haberet infringere depoſitiones, & oppoſitiones, uellet probare per eum oppoſita, quæ in facto conſiſtant, tunc præſtito per eum iuramento calumniæ, uel malitiæ, habeat terminum decem dierum ad probandum, & probatũ habendum, à die productionis ipſarum exceptionum computandorũ, niſi eſſet exceptio falſitatis contra teſtes, quo caſu habeat terminum ad probandum triginta dierum, & pendente termino ad reprobandum teſtes, non currat inſtantia, & non probans talem exceptionem falſitatis, puniatur pœna ducentorum librarum denariorum, & maiori, ſi Iudici uidebitur, inſpecta quantitate cauſæ, & petitionis, & qualitate perſonarum teſtium, & Partium litigantium: Quo termino elapſo, habeantur teſtes inducti ad probationem dictarum exceptionum, & eorum dicta pro apertis, & publicatis, & aperiantur, & publicentur.

De productione Inſtrumentorum, & exceptionibus contra ipſos, & probatione ipſarum. Rub. XXI.

ET facta publicatione teſtium, & proceſſus, & exceptionibus oppoſitis, & probatis, immediate dictæ Partes habeant terminum ſex dierum proximè ſequentium ad inducendum, & producendum inſtrumenta, & iura ipſarum Partium, & cuiuſque ipſarum: & ſi aliqua dictarum Partium uelit aliquid opponere contra dicta inſtrumenta producta, habeant terminum trium dierum tunc proxime ſequentiũ à die productionis computandorum, ad accipiendum copiam, & opponendum: & ſi oppoſitæ fuerint exceptiones, quæ habeant infringere fidem, & probationem dictorum inſtrumentorum, & Pars uelit probare dictas exceptiones, tunc habeat terminum ad probandum, octo dierum continuorum, à die oppoſitionis factæ computandorum: Et elapſo dicto termino, teſtes inducti ad probationem dictarum exceptionũ contra inſtrumenta, & eorum dicta, habeantur pro apertis, & publicatis, & pro concluſo in cauſa: Quibus Partibus Iudex aſſignet terminũ octo dierum ad portandũ ſibi acta, & ad informandum eum de meritis cauſæ, & ad examinandum proceſſus: Quo facto, & termino elapſo, Iudex aſſignet terminum Partibus ad allegãdum, ſecundum quod ſibi videbitur quod ſuperſit de inſtantia cauſæ, & allegationes audiat tam in ſcriptis, quam in uerbo uſque ad ſententiam: & ſi allegationes fuerint

præ-

præſentatæ in ſcriptis, decernat Parti aduerſæ copiam, & ſi voluerit reſpondere voce, vel in ſcriptis, audiatur.

De tempore ferendæ ſententiæ. Rub. XXII

ELapſis uero dictis terminis ſupra ſtatutis, Iudex ſtudeat, & teneatur, & debeat ad pœnam ducentarum librarum denariorum cauſam diffinire, & terminare per ſententiam diffinitiuam, condemnando, uel abſoluendo ad petitionem cuiuſque Partis petentis, facta citatione, uel monitione Partium ad audiendum ſententiam perſonaliter, uel domi, & una citatio, uel monitio ſufficiat, & cenſeatur peremptoria.

De Conſilio ſapientis in cauſa dando. Rub. XXIII.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod quælibet Partium, ſuis tamen ſumptibus & expenſis, ſuper diffinitiua ſententia, & non ſuper aliis incidentibus (niſi eſſet talis interlocutoria, quæ haberet vim diffinitiuæ, & non expectaret poſt ſe diffinitiuam) poſſit petere conſilium ſapientis quandocumque ante finem inſtantiæ per octo dies, & infra terminum citationis de eo factæ ad audiendum ſententiam, quod poſt cõſilium redditum, Iudex habeat octo dies de inſtantia, & Iudex teneatur dare, & cõcedere conſilium ſapientis, habendum ſumptibus petentis, & Pars petẽs conſilium, teneatur poſt duos dies depoſuiſſe ſalariũ pro Conſulente, & Nuncio, declarãdum per Iudicem eo die quo fuerit petitum, & in dicto termino duorum dierum dictæ Partes debeant dare nomina Conſulentium ſuſpectorum, & fidatorum, & dictum Conſiliũ cõmitti debeat vni, ſiue pluribus Doctorib⁹, ſiue alicui Collegio Doctorum, Partibus non ſuſpectis: & ſi Partes nõ fuerint concordes de Cõſultore, eligatur ſorte, uel per Iudicem quem uoluerit de non nominatis, nec poſſint Partes nominare aliquos confidatos, cęteros ſuſpectos, ſed nominatim declarare ſuſpectos, & petens Conſilium infra ſex dies proxime tunc ſequentes, debeat dediſſe, & conſignaſſe acta totius cauſę quæ debeant transmitti conſulenti, ſiue conſulentibus, & si non produxerit ſibi imputetur: & poſt productionem omnium Actorum, ſiue poſt dictos ſex dies, infra duos dies Iudex teneatur mittere pro dicto Conſilio habendo, & expectatis duodecim diebus, uel pluribus, ſecũdum diſtantiam loci, habito Conſilio, uel non, Iudex teneatur ferre ſẽtentiam

tentiam prout ſibi melius de iure videbitur, infra terminum inſtantiæ, ad pœnam ducentarum librarum denariorum, quam ipſo facto incurrat, & nihilominus teneatur etiam cauſam expedire per ſententiam infra alios quatuor dies, ſemper nouam pœnam incurrēdo quoties negligens fuerit de quatuor diebus, in quatuor dies quouſque expediuerit, & Sindici ſi fuerit petitum, uel eis denunciatum per aliquam Partium poſſint, teneantur, & debeant in ipſa ſupradicta pœna ipſum Iudicem condemnare, aliàs dicti Sindici, & eorum Iudex intelligantur condēnati Communi in dicta pœna, & quãtitate, qua dictus Iudex Poteſtatis veniret condemnandus per formam præſentis Statuti.

De termino inſtantiæ cauſæ ordinariæ. Rub. XXIIII.

INſtantia cauſæ ordinarię duret quatuor menſibus continue à die cõteſtatę litis numerãdis, & elapſis dictis quatuor mẽſibus, ſi dicta cauſa non fuerit expedita, intelligatur inſtantia perempta, & Actor nihilominus teneatur Reo ad omnes expenſas Aduocatorum, & Procuratorum, & ſcripturarum in lite, & in iudicio factas, & Iudex ſi negligens fuerit teneatur ad pœnam ſupra in proximo capitulo limitatam, & ſtatutã modo, & forma, quibus in dicto capitulo diſponitur: Si uero facta fuerit diligentia, & proteſtatũ Iudici quod cauſam terminet, & diffiniat infra terminum inſtantiæ, & non fuerit terminata, Actori inſtantia non pereat, Sed Iudex teneatur ad pœnam prædictam, & expẽſas reficere Reo, & nihilominus cauſam expedire teneatur ſecundum quod ſupra ſtatutum eſt, & in termino dictæ inſtantiæ non computentur feriæ meſſium, vindemiarum, Paſcatis Reſurrectionis, & Natiuitatis Domini, cum diebus præcedentibus, & ſequentibus feriatis, & termini dati ad redarguendum teſtes de falſo, & omnes termini dati pro conſilio habendo: poſſit tamen Iudex terminos ſupra aſſignatos minuere, & minores terminos, & dilationes dare, quam ſupra fuerit limitatum, & ſtatutum de uoluntate Partium, & non aliter: prolongare autem, ſeu prorogare aliquem terminũ non poſſit, etiã ſi Partes fuerint in concordia, niſi terminum datum ad allegandum, qui poſſit prorogari quouſque durat inſtantia, quę ſi perierit, Actori, & Iudici imputetur ut ſupra, & termini ſupra aſſignati, ſtatuti, & limitati dentur immediate finita prima dilatione iam data ad vnum actum, Itaquod in unaquaque parte iudicij ſi fuerit commiſſa negligentia per Actorem ſibi imputetur, vel Iudici ſi ipſe negligens fuerit: & Iudex ſucceſſor qui inuenerit cauſam inceptam, & non dum finitam teneatur ſeruare terminos, & dilationes in cauſis, prout ſupra ſtatutum, & ordinatum

eſt, & ſimiliter cauſam expedire infra terminum inſtantiæ ſupradictæ. Hoc addito, & declarato quod ſi de inſtantia modicum ſupereſſet, Itaquod Iudex occupatus circa facta Officij nõ poſsit ſe informare de meritis cauſæ, ſuppleatur dictæ inſtantiæ unus menſis computandus à die introitus ſui officij, ſiue alij dies ſuppleantur ad inſtantiam, quod iudex ſucceſſor habeat ſaltem vnum menſem ad dicendum, ſententiandum, & terminandum cauſam à die introitus ſui Officij, & computatis diebus, qui ſupereſſent de inſtantia: Si uero de inſtantia ſupereſſet unus mẽſis, nihil addatur Iudici ſucceſſori, ſed teneatur infra illos dies ſuperſtantes de inſtantia cauſam expedire, ad pœnas prædictas.

De tertio Contradictore. Rub. XXV.

ET ſi aliquis veniret contradicturus ad aliquam cauſam, quę agere tur inter aliquos pro ſuo forſitan intereſſe, primo & ante omnia probato ſuo intereſſe ſaltem per iuramentum audiatur, & ſeruentur omnes termini præſentis ſtatuti: & ſimiliter ſi aliquis compareret ad aliquod edictum citatorium generale audiatur, ſuo intereſſe allegato legitime, & probato primitus ſaltem per iuramentum, & ſi voluerit ſe facere contradictorem detur ſibi libellus, & ſeruetur in cauſa uentilanda iudiciarius ordo ſupradictus, & Actor dicatur qui citationem fieri fecerit, tamen ſemper in cognitione cauſæ intereſſe contradicentis debeat plene, & legitime probari ſecũdum iura communia, & Statuta diſponentia ſuper hoc.

Quod Victus Victori condemnetur in expenſis. Rub. XXVI.

ET ſemper in omnibus cauſis fiat condemnatio expẽſarum, & victus victori cõdemnetur in expenſis, niſi habuerit iuſtam cauſam litigandi, & Iudex qui non condemnauerit in expensis, cogatur de facto in Sindicatu reſarcire expenſas de ſuo proprio Parti cui debebat fieri condemnatio, & ſufficiat contra eum oſtendere ſententiam ſuam ſine condemnatione expenſarum ad conuincẽdum eum, dummodo oſtendat expẽſas factas, quæ taxari poſsint, & debeãt per iudicem, & Notarium Sindicorum, & iurari per petentem.

Quod prædicta Statuta ſeruentur. *Rub. XXVII.*

IVdex, & Officialis teneantur, & debeant dicta Statuta, & ordinamẽta per ſingula membra, & capitula ſupra, & infra poſita obſeruare, & obſeruari facere, & ſequi ſub pœna, & ad pœnam in ipſis Statutis cõtentã, & ubi non eſſet pœna declarata ad pœnam vigintiquinque librarum denariorum pro quolibet, & qualibet uice qua contrafactum fuerit in prędictis, uel aliquo prędictorum tempore ſui ſindicatus, de facto auferẽdam ſine aliquo proceſſu, & ſine figura iudicij: & ſi dictus iudex uel alius Officialis tulerit aliquam malam ſentẽtiam, teneatur Parti aduerſæ ad intereſſe, & expenſas, nõ obſtante quod à ſententia fuerit appellatum, & appellatio penderet, uel eſſet deciſa, de quo intereſſe ſtetur declarationi Iudicis Sindicorum cum conſilio Collateralis D. Poteſtatis, qui ſucceſſerit in officio.

De cauſis ſummarie cognoſcendis. *Rub. XXVIII.*

STatuimus, & ordinamus quod omnes, & ſingulæ cauſæ, & quæſtiones ſint ordinarię præterquam cauſæ, & quæſtiones cõſiſtentes in quantitatibus, & rebus mobilibus à quinquaginta librarum denariorum infra incluſiue, quæ non dependerent à maiori ſumma, & omnes cauſæ alimẽtorum, & omnes cauſæ piæ uſque ad centum librarum, denariorum, uel de re ualente centum librarum denariorum, & ab inde infra: abinde uero ſupra cauſa pia ſit ordinaria, & omnes cauſæ ſalariorum, & mercedum quãtęcumque quantitatis eſſent, & omnes cauſę uertentes inter conſanguineos, & affines uſque in tertium gradum ſecundum ius canonicum computandum, quę non eſſent deciſæ per compromiſſum ſemel factum inter dictos conſanguineos, & omnes cauſæ cõfinium, & diuiſionum fiendarum inter habentes rem communem, & denunciationis noui operis, & dãni infecti, executionis ſentẽtiarum latarum per quoſcumque Officiales Eccleſiaſticos, uel ſeculares Ciuitatis Vrbeuetanæ, uel alibi, dummodo executio ſit fienda in Vrbeueteri, & executionis laudi, & ſimiliter omnes cauſæ in quibus apparet apodiſſa ſcripta manu propria conuenti, facta recognitione litterarum, uel cõparitione, ſimiliter ſit ſummaria quantęcumque ſit quantitatis, uel rei, & omnes cauſæ ſeruitutum, & ſtillicidiorum, & omnes cauſæ uertentes inter dominum, & colonum, uel fittuarium, uel penſionarium quacumque de cauſa, uel occaſione penſionis, præſtantiæ, ſeu fructuum, uel beſtiarum, & cauſæ uertentes inter ſocios occaſione ſocietatis initę in quacũq; cauſa, negotio, ſiue exercitio, ſiue animalibus, uel beſtijs quibuſcũque: Quę cauſę, & quęlibet ipſarum cognoſcãtur sũmarie, ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti ueritate

inſpecta: ita tamen, quod de debito legitimè conſtet, & defenſiones debitę, & legitimę conuenti non omittantur, præſtito tamen iuramen to calumnię, uel malitiæ, ſi fuerit petitum ab aliqua Partium: & dictæ cauſæ, & quęlibet ipſarum, debeant expediri per DD. Poteſtatem, uel Iudicem infra vnum menſem continuum à die factæ, ſeu porrectæ petitionis apud acta ciuilia connumerandum, ſub pœna centum librarum denariorum pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafecerint: & dictus menſis ſit terminus inſtantiæ cauſarum prædictarum, in quo tempore non computentur feriæ inductæ in honorem Dei, quæ eſſent quatuor dierum continuorum, & abinde ſupra, & tempus datum ad oppo uendum contra mandata, & legitimationem mandatorum: & prędicta intelligantur, & obſeruentur Partibus præſentibus, & in contradictorio iudicio: Reo uero citato ad primam citationem non comparente, fiant omnes alię citationes, quæ ſupra in præſenti ordinamento diſponuntur ad conſtituendum eum in contumacia, & ipſo contumace exiſtente, ſeruetur modus ſupra datus de tenuta, & in tenuta, & in reuo catione tenutæ, & purgatione contumaciæ, & termini in dictis capitulis ſuprapoſitis, & ordinatis.

De Cauſis pertinentibus ad Militem ſocium. Rub. XXIX.

SOcius miles Poteſtatis habeat arbitrium, iuriſdictionem, & baliam procedendi, cognoſcendi, & decidendi in ciuilibus cauſis, uſque in quãtitatem decem librarum denariorũ incluſiue, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti ueritate in ſpecta, iuris, & iudiciorum ordine nõ ſeruato, remotis exceptionibus, & cauillationibus friuolis, nõ obſtantibus ferijs quibuſcumque, ad vti litatem tamen Hominum introductis, & non obſtante quod comparens coram eo fuerit filiusfamiliæ, dum tamen Pater non contradicat: & infra uiginti dies à die petitionis qualis fiende numerandis, debeat, & teneatur terminaſſe, & expediuiſſe dictas cauſas ad pœnam decem librarum denariorum pro qualibet uice, & cauſa per eius defectũ, & culpam non terminata, ita tamen quod de debito legitime conſtet, & conuenti defenſiones non omittantur: & dicti uiginti dies ſint terminus inſtantiæ, in quibus nõ cõmputentur feriæ inductæ in honorem Dei, quæ eſſent quatuor dierum continuorum, uel ab inde ſupra: a ſententia vero Militis poſſit recurri, & appellari ad Poteſtatem, qui Poteſtas habeat arbitrium, & iuriſdictionem uidendi, cognoſcendi, & terminandi, prout ſupra habet in cauſis ſummarijs. Si uero quis fuerit cõ

tumax à citatione facta coram milite, fiant aliæ citationes, excepto quã cum tuba ad domum habitationis in Ciuitate: & alij termini obſeruentur, abbreuiatis tamen dilationibus prout dicto militi uidebitur, & placebit.

De cauſis ſindicatus officialium. Rub. XXX.

IN Sindicatu Poteſtatis, & aliorum Officialium forenſium dictæ Ciuitatis, ſuper quibuſcumque petitionibus, tã in ſcriptis, quam orete nus factis procedatur, cognoſcatur, & decidatur per Sindicos, & eorum Iudices ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſola facti ueritate inſpecta, etiam per præſumptiones, & coniecturas, & per publicam vocem, & famam, & quocũque modo, prout Iudici, & Sindicis in concordiam uidebitur, & placebit, iuris, & iudiciorum ordine non ſeruato, ferijs quibuſcumque non obſtantibus, etiã in honorem Dei introductis, & non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & ordinamentis poſitis, uel ponendis in contrarium, quibus per pręſens ſtatutum intelligatur, & ſit expreſſe derogatum.

De cauſis compromittendis, & compromiſſis. Rub. XXXI.

STatuimus, & ordinamus, quod omnes cauſæ, lites, ſeu quæſtiones motę per libelli oblationẽ, uel qualis qualis petitionis apud acta inter conſanguineos, & affines uſque in tertium gradũ, ſecundum ius Canonicum computandum, uel quæ iam inceptæ eſſent coram aliquo Officiali dictæ Ciuitatis, dum tamen non fuerit lis conteſtata, & ante litem cõteſtatam quælibet Partium poſſit petere compromiſſum de dicta cauſa, lite, ſeu quæſtione, & Iudex, & Poteſtas teneantur, & debeãt cogere Partes, & quorum intereſt dictas cauſas motas ad compromittendum, & compromiſſum faciendum de iure, uel de facto, in unũ, uel duos conſauguineos, uel amicos communiter eligendos per Partes, prout fuerint in cõcordia videlicet, pro qualibet Parte ſuum alteri veriſimiliter non ſuſpectum, & fiat compromiſſum, prout ſolitum eſt fieri in forma cõmuni, cum pactis, obligationibus, & pœna, renunciationibus, iuramento, & alijs ſolemnitatibus, quæ in dictis Inſtrumentis cõpromiſſi apponi conſueuerunt: & talis Arbitri, & Arbitratores electi à dictis

dictis Partibus teneantur, & debeant ſtatim quod requiſiti fuerint acceptare compromiſſum in eos factum, & comparere in iudicio ad acceptandum coram Iudice, & Notario cauſarum, & cognoſcent de contentis in cõpromiſſo diebus feriatis, & non feriatis, ſine ſcriptura, uel cum ſcriptura, prout in compromiſſo in eos facto continetur: In quo ſi de uoluntate Partium non fuerit tempus appoſitum, debeant diffinire, decidere, & terminare, laudare, ſententiare, arbitrari, & arbitramentũ dare, & proferre infra triginta dies cõtinuos à die acceptationis compromiſsi connumerandos, de concordia omnium arbitrorum, uel maioris Partis: Qui ſi non fuerint in concordia poſsint, teneantur, & debeãt in iudicio coram iudice comparere, & petere, quod eis detur tertius Arbitrer, & Arbitrator per Partes eligendus de communi concordia, uel per Iudicem eligatur ſorte, & per briſciulos de uno nominatorum per Partes, qui teneatur compromiſſum acceptare, & comparere ad acceptandum ſtatim cũ requiſitus fuerit, & à die petitionis dicti tertij Arbitri quouſq; acceptauerit nõ currat dictus terminus triginta dierum: Qui tertius Arbiter una cum dictis Arbitris primo nominatis, uel cum altero ipſorum, uel qui duo primi poſsint, teneantur, & debeant cauſam, & cauſas expedire, terminare, & diffinire in reſiduo dictorum triginta dierum, & nihilominus ad petitionem, & inſtantiã alterius Partis, infra dictum terminum compromiſsi poſsint, & debeanr per iudicẽ cogi, & conſtringi, detineri, & arreſtari in Palatio Populi dictæ Ciuitatis ſimul cum Partibus, & dictus ordo valeat, & præceteris alijs obſeruetur, nõ obſtãtibus quibuſcũque: & dicti Arbitri ſi uoluerint ſalarium à dictis Partibus poſsint, & debeant petere ante ſentẽtiam, & laudum, & habere ſex denarios pro libra ualoris rei, de qua fuerit factum compromiſſum pro quolibet Arbitro: & compromiſſo ſemel facto, nõ poſſit cogi alia Pars ad compromiſſum iterum faciendum, ſed debeat dicta cauſa dictorum cõſanguineorum per Iudicem terminari ut ſupra diſponitur, niſi eſſent ambæ Partes concordes de iterum compromittendo, uel dictum terminum mẽſis prorogare de cõmuni conſenſu, quod tunc poſsint: poſsit tamẽ à laudo dato per dictos Arbitros, & Arbitratores per quamlibet Partium, quæ ſentiret ſe læſam recurri, & petere reductionem dicti laudi ad arbitrium boni Viri infra decem dies à die notificationis ſibi factæ per Notarium rogatum de dicto laudo coram duobus teſtibus, de qua notificatione credatur ſcripturę dicti Notarij, & dictę cauſę recurſus debeãt per Iudicẽ, ſiue Poteſtatẽ cognoſci, terminari, & diffiniri prout alię cauſę sũmarie poſitæ, & nominatę per Rubricam de cauſis ſummariis cognoſcendis: & prædicta quæ dicta ſunt in compromiſsis huiuſmodi, ſeruẽtur in cõpromiſsis factis per alios nõ con-

conſanguineos in quibus terminus non fuerit appoſitus, & ſalariũ Arbitris non fuerit per Partes conuentum, & ſimiliter de petitione reductionis.

Quod ordo prædictus ſit ordo iudiciarius, & ſeruetur. Rub. XXXII.

FOrma ſuperius data in omnibus cauſis mouẽdis à die publicationis præſentis Statuti tantum, ſed in iam motis, & inceptis debeat obſeruari, & ſimiliter in omnibus cauſis, quæ contingeret commicti per aliquem D. Locumtenentem, uel Rectorem dictæ Ciuitatis alicui Officiali forenſi dictæ Ciuitatis, quæ deberent in ea Ciuitate cognoſci, & diffiniri, non obſtante quacumque alia expreſsione, uel modificatione facta in ſua commiſsione: Saluo quod Iudex Commiſſarius ſupradictos terminos ſupra aſsignatos abbreuiare poſsit pro expeditione cauſę, & diffinire debeat infra terminũ inſtãtię quatuor mẽſium ſupradictorum, & nullum ſalarium recipiat uigore dictæ commiſſionis ad pœnam prædictam: & declarãtes quod omnes ſupradicti termini intelligantur, & ſint peremptorij, præterquam terminus ad allegandum, & ſi vltima dies alicuius termini fuerit feriata, cadat in proximam ſequentem non feriatam in qua ius redditum fuerit, & omnes dicti termini, & dilationes dentur per iudicem, & miniſterio iudicantis ad petitionem Partis, & ſi Pars non petierit ſibi imputetur: iudex uero teneatur, & debeat Aduocatos, & Procuratores cauſarum audire in, & ſuper omni dubio, & maxime in calculo ferendæ ſententiæ.

De limitatione feriarum. Rub. XXXIII.

IN cauſis ciuilibus ordinarijs, & ſummarijs ſint, & eſſe intelligantur feriæ, & temporaferiata, excepto quod in cauſis mercedum, & in ſummarijs à uigintiquinque libris infra, in quibus non obſtent feriæ inductæ in honorem Dei, & vtilitatem hominis uidelicet, omnes dies Dominicales.

De menſe Ianuarij.

Dies Circumciſionis D. N. Ieſu Chriſti. 1
Epiphania Domini. 6
Antonij Abbatis. 17
Fabiani, & Sebaſtiani. 20
Agnetis Virginis. 21

Conuer-

Conuerſionis. s. Pauli. 25
Conſtantij. 29

De menſe Februarij.

Dies Purificationis B. Marię. 2
Blaſij Epiſcopi, & martyris. 3
Agathę Virginis, & martyris. 5
Cathedræ Petri Apoſtoli. 22
S. Matthęi Apoſtoli. 24

De menſe Martij.

Ingreſſus Magnificorum DD. Cõſeruatorum. 1
Thomę de Aquino. 6
Gregorij Papæ. 12
Ioſeph ſponſi Virginis Marię 19
Annunciationis B. Marię. 25
Omnes dies Veneris.

De menſe Aprilis.

5
Dies Vincentij Confeſſoris. 5
Marci Euangeliſtæ. 2
Petri Martyris. 29

De menſe Maij.

Dies Philippi, & Iacobi Apoſtolo rum. 1
Inuentionis. s. Crucis. 3
Apparitionis Diuę Mariæ S. Laurẽtij in Veneis. 5
Ioannis ante portam Latinam. 6
Apparitionis. s. Angeli. 8
Bernardini Confeſſoris. 20
Petri Martyris de Parentia. 21

De menſe Iunij.

Dies. s. Barnabæ Apoſtoli. 11
Antonij de Padoua. 13
sanctorum Martyrum. 22
Natiuitatis Ioannisbaptiſtæ. 24
Petri, & Pauli Apoſtolorum. 29

De menſe Iulij.

Dies ingreſſus Magnificorum DD. Conſeruatorum. 1
Viſitationis B. Mariæ. 2
Marię Magdalenæ. 22
Iacobi, & Chriſtophori Apoſtolorum. 25
Annę matris Mariæ. 26
Fuſtini. 29

De menſe Auguſti.

Dies Petri ad Vincula. 1
Niuis, & Dominici Confeſſoris. 5
s. Laurentij Martyris. 10
Aſſumptionis B. Marię cum uno die præcedenti, & uno ſequenti. 15
Bernardi Confeſſoris. 20
Bartholomęi Apoſtoli. 25
Auguſtini Confeſſoris. 28
Decollationis Ioannisbaptiſtę. 29

De menſe Septembris.

Dies Ægidij Abbatis. 1
Natiuitatis B. Mariæ. 8
Exaltationis. s. Crucis. 14
Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtę. 21
Michaelis Arcangeli. 29
Hieronymi Confeſſoris. 30

De men-

De menſe Octobris.

Dies S. Franciſci Confeſſoris.	4.
Lucę Euangeliſtæ.	18.
Vrſulæ Virginis.	21.
Simonis, & Iudæ.	28.

De menſe Nouembris.

Dies omnium Sanctorum.	1.
Commemorationis animarũ.	2.
Leonardi.	6.
Martini Epiſcopi.	11.
Britij cum duobus dieb⁹ pręcedẽtibus,& duob⁹ ſequentibus.	13.
Oblationis Mariæ.	21.
Catherinæ Virginis.	25.
Andreæ.	30.

De menſe Decembris.

Dies S. Nicolai Epiſcopi.	6.
Ambroſij Epiſcopi.	7.
Conceptionis B. Mariæ.	8.
Luciæ Virginis.	13.
Thomæ Apoſtoli.	21.

Vigilia Natiuitatis Domini, uſq; ad Circumciſionem Domini.

Mobilia.

Dies Iouis ante carnis priuiũ,uſq; ad diem Cineris incluſiue.

A die Lunæ Ebdomadæ. S. uſq; ad octauam Paſchatis incluſiue.

Dies Aſcenſionis Domini.

Dies Pentecoſtes cũ duab⁹ ſequẽ.

Rogationes generales ante Aſcen.

Dies Officij Corporis Chriſti cum duabus præcedẽ.& duab⁹ ſequẽ.

Incerta.

Quando eſt Conſilium generale.

Dies Aduentus Pōtificis, & quãdo eſt in Vrbeueteri.

Dies Sindicatus Officialium.

Rogationes repentinę.

Itẽ ferię meſsiũ incipiãt à die feſtiuitatis. S.Ioãnis de mẽſe Iunij,vſq; ad feſtũ.S.Mariæ de menſe Aug.

Itẽ feriæ Vindemiarũ à die feſtiuitatis. S.Crucis de mẽſe Septẽbris, vſq; ad feſtũ.S.Luciæ de mẽſe Octobris.

Itẽ dies in quib⁹ indicerentur feriæ repentinę ꝑ habentem poteſtatem.

Itẽ dies quibus contigerit ꝑ Iudicẽ ius non reddi ad banchum iuris.

Itẽ omnes dies Quatrageſimę de mane, ſed poſt prædicationem ſedeatur ad banchũ & ſint iuridici.

Et dictæ feriæ nõ poſsint per aliquã cõmiſsione relaxari, niſi de expreſſa uolũtate Partiũ,maxime ferię in vtilitatẽ hominũ ĩtroductę.

Et Notarius Bãcæ in principio regeſtri teneatur facere calẽdariũ de dieb⁹ feriatis,ut poſsit haberi certa notitia quãdo ius reddi debet.

De termino dando ad ſoluendum. Rub. XXXIIII.

SIquis per ſe uel Procuratorem ſuum uel alium quemcunque mandatariũ cõparuerit quãdocũq; ante ſentẽtiã,& cõfeſſus fuerit quantitatẽ uel rẽ petitã in parte, uel in totũ, Iudex ſtatuat terminũ dicto cõfitenti decẽ dierum proxime futurorũ ad ſoluendũ quantitatẽ ſeu rẽ tradendam & confeſſatã & expenſas, quo termino elapſo ſi tales confitens nõ ſatisfecerit effectualiter,teneatur Iudex ad inſtantiam Creditoris, ipſo confitente vlterius non citato, committere executionem realem & perſonalem, & ponatur ad baſtardellũ Militis: Si quis autem pro

duxerit ſententiã uel laudũ, quod uel quę tranſierit in rem iudicatã per defectionem appellationis per lapſum fatalium, vel per partis acceptationẽ tacitã uel expreſſam, & pars cõtra quã produceretur eſſet citata, & non opponeret aliquam exceptionem quæ non requireret altiorem indaginem, & in continẽti nõ poſsit probari ex inſpectione proceſſus, uel ſententiæ quę haberet impedire ſeu retardare executionem, ſimiliter committatur executio realis, & perſonalis contra illum cõtra quẽ eſſet lata ſententia, uel laudum pro quantitate & re in eis contentis, & ponatur ad baſtardellum ut ſupra: Si uero opponeret aliquam exceptionem quæ in continenti poſſet probari & haberet impedire executionem, audiatur ſecũdum formam iuris: Si autem petierit copiam ſententię uel laudi cum termino ad dicẽdum cauſam quare dicta executio cõmitti non deberet, habeat terminum duorum dierum ad accipiendum copiam, & opponendum, quo elapſo parte citata committatur executio ut ſupra diſponitur: Miles autem poſtquam fuerit miſſus ad baſtardellum teneatur infra duos dies facere executionem realem, uel perſonalem ad electam Creditoris ſi contingeret quod commode perſona haberi nõ poſſet, alias teneatur ſoluere de ſuo, & non requiratur alia proteſtatio Creditoris, & ſolum ſufficiat ad conſtituendum eum in mora & negligentia, quod per Creditorem probetur talem Debitorem fuiſſe in bonis ſoluendo, uel eius perſonam commode haberi potuiſſe: In executione uero reali ſeruetur infraſcriptus ordo uidelicet, quod primo faciat executionem in rebus mobilibus, & ſi non inueniret mobilia, ſecũdo faciat in rebus immobilibus, quas ſi nõ inuenerit faciat executionem in nominibus debitorum, & in qualibet executione fienda realiter ducat ſecũ Baiulum Communis, cuius relationi ſtetur circa obſeruantiam prędictorum, & de eo quod geſſerit Miles tã contra ſe, quã pro ſe: Si autem eſſet ſententia lata in actione reali, ponat actorem ſeu victorem in corporalem poſſeſsionem rei contentę in laudo uel ſententia, & tunc talis in poſſeſsionem poſitus faciat fructus ſuos, niſi eſſet ex tali cauſa uel actione in qua fructus deberent computari in ſortem: Pignora autem quæ auferentur in actione perſonali debeat immediate cõſignare Depoſitario deputato ſuper dictis pignoribus, & ipſa faciat notare per Notarium cauſæ, & ex tunc liceat Creditori ipſa pignora uẽdere & diſtrahere citato Debitore ad uidendum committi ſubhaſtationes, & pręmiſsis tribus ſubhaſtationibus facta uenditione iure Creditoris cum citatione partis, & Iudicis decreto: Qui ordo & forma ſeruetur in quibuſcunque executionibus fiẽdis per Militẽ, uel aliũ Officialẽ commiſsis per Iudicem, uel in Curia D. Gubernatoris, uel Conſulum Artium, uel in quacumque Curia, & pignora ſubhaſtentur ad Logiam

D. Po-

D. Poteſtatis, etiam ſi executio fuerit commiſſa per aliam Curiam, & Baiulus qui vadit cum milite non poſſit petere niſi duos ſolidos, in uẽditione autem pignorum debeat interuenire præcium, & Creditor iuret quod non cõmiſit aliquam fraudem, & cõtra tales venditiones Debitor non poſſit aliquid opponere.

Quod pro debito ciuili, uel criminali non mittatur in carcerem, ſi idonee ſatisdederit, uel ſatisdare voluerit de non diſcedendo de Palatio, & de requiſitione præſentiæ. Rub. XXXV.

SI quis pro aliquo debito ciuili, uel cauſa criminali, & pœna etiam in defectum pecuniariæ eſſet corporalis, & ex forma pręſentiũ Statutorum ſatisdederit, ſeu ſatisdare uoluerit in continenti idonee de non diſcedendo de Palatio, non poſſit mitti modo aliquo in carceribus, ſub pœna quingentarum librarum denariorum cuilibet Officiali contrafacienti: & ſi quis dederit dictos fideiuſſores de non diſcedẽdo, & poſtea diſceſſerit, & ad inſtantiam Creditoris, ſeu Camerarij Cõmunis, ſi eſſet cauſa criminalis, eſſet requiſita eius præſentia per Baiulum Communis ex commiſſione Iudicis, & non eſſet reperta, cogãtur tam principalis, quam fideiuſſores eiuſdem ad ſoluẽdum quatraginta ſolidos expendendos per Camerarium Communis in acconcimine ſtratarum, & murorum Portæ Viuarię, quæ requiſitio poſſit fieri bis in die, & ſi fuerit requiſita præſentia contra aliquem per tres dies continuos, & non fuerit reperta, vltra ſolutionem ſupraſcriptæ pœnę, cogãtur principalis, & fideiuſſores ad electam Creditoris, ſeu Camerarij in carceribus donec debitum, uel pœnam maleficij perſoluerint, & nõ poſſint amplius dictos fideiuſſores dare, niſi procederet de voluntate Creditoris, ſeu DD. Conſeruatorum ſi eſſet cauſa criminalis: & prædicta etiam vendicent ſibi locum contra illum, qui abſque commiſſione alicuius executionis obligaret ſe ſtare ad diſtrictam pro aliqua denariorum quantitate, vel alijs rebus.

De ſuſpecto, & fugitiuo capiendo: Rub. XXXVI.

SI quis aliquem iurauerit ſuſpectum, & fugitiuum, Iudex teneatur cõmittere executionem realem, & perſonalem, & ſi talis iuratus perſonaliter captus fideiuſſerit de iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluẽdo,

relaxetur, & executio ſoluatur per iurantem, reſeruato ſibi iure agendi; hoc tamen addito quod ſi ipſe iuratus ſuſpectus, & fugitiuus poſtea fuerit repertus Debitor, & contra ipſum fuerit pronunciatum, teneatur ſoluere dictam executionem, & alias expẽſas factas per iurantẽ, ſed ſi non fuerit repertus debitor, ſiue non fuerit probatum eſſe debitorem, & fuerit abſolutus à petitione iurãtis, ipſe iurans incidat in pœnam quinque librarum denariorum ipſo iure Cameræ Communis applicandorum, quam pœnam ipſe Poteſtas ſine aliqua condemnatione teneatur exigere ab ipſo iurante, ſaluo iure iurati pro ſuo intereſſe, expẽſis, & iniuria: & nullus noſter Ciuis, uel Comitatẽſis poſſit iurari ſuſpectus, & fugitiuus ſimplici iuramento, ſed requiratur probatio ſaltem per vnum teſtem omni exceptione maiorem, qui deponeret ipſum Ciuem, uel Comitatiuum eſſe ſuſpectum de fuga, & deterioraſſe conditionem ſuam poſt contractum debitum, & idem intelligatur de habitantibus continue cum eius familia in Ciuitate, uel Comitatu. Si quis autem noſter Ciuis effectus fuerit creditor alicuius forenſis, & cum eo contraxerit, & eidem aliquid crediderit ſub certo termino, uel dilatione, pendente termino non poſſit ipſum iurare ſuſpectum, & fugitiuum, niſi probauerit ipſum deterioraſſe conditionem ſuam: & nulla mulier, vel minor duodecim annorum poſſit iurari pro ſuſpecto, & fugitiuo pro debito ciuili, nec perſonaliter capi, & ſi iurans, formam dictorum Statutorum fuerit repertus non ſeruaſſe condemnetur in prædicta pœna, & expenſis, & talis executio non ualeat, nec teneat. Si quis autem viderit aliquem eius Debitorem diſcedere de Ciuitate, vel Comitatu, & nõ haberet copiam alicuius Officialis ut ipſum capi, & arreſtari faceret, poſſit propria authoritate pignorare, & arreſtare dictũ eius Debitorẽ, & ipſum in continenti aſſignare Curiæ Poteſtatis dictæ Ciuitatis; Si autem haberet copiam alicuius Officialis, teneatur ad inſtãtiam dicti Creditoris talem Debitorem capere, & arreſtare non obſtante quod fuerit commiſſa aliqua executio per Iudicem, & hoc locum habeat in debitoribus diſcedentibus non relicta familia, uel aliquibus bonis in dicta Ciuitate, & ſimiliter in omnibus uagabundis, qui huc illuc transmigrãdo, nullum ſibi conſtituunt proprium domicilium.

Quod pro debito Vniuerſitatis, quilibet de dicta Vniuerſitate poſſit capi. Rub. XXXVII.

SI Communitas, Pleberium, uel Vniuerſitas aliqua obligata eſt alicui noſtro Ciui, uel Comitatenſi, omnes, & ſingulæ perſonæ illius Communitatis, Pleberij, & Vniuerſitatis pignorari, & capi poſſint pro debita quantitate.

Quod

Quod boues, & Vaccæ, & beſtiæ ferentes graſciam, & abbreuiaturæ alicuius Notarij nõ accipiantur in tenutam pro aliquo debito. Rub. XXXVIII.

PRo debito, uel opere ciuili, datio, uel collecta, nulli auferantur boues, uel uaccæ, & eorum arneſes, zappę, uanghæ, ſecures, abbreuiaturæ alicuius Notarij, uel beſtiæ portantes graſciam ad Ciuitatem, & ipſa graſcia de doſſo, uel de lecto, ad pœnam centum ſolidorũ vicequalibet, & quod acceptum fuerit omni appellatione ceſſante Poteſtas reſtitui faciat: & ſi aliter pœnam ſoluere non poterit, mittatur in carceribus per quatuor dies, & ſtetur iuramento denunciantis: Et pręſens capitulum non habeat locum in Comitibus, Nobilibus, uel Baronibus, & fideiuſſoribus eorum, nec in alijs diſtrictualibus, qui non ſoluerint datia continue in Ciuitate, uel Comitatu.

De debito vnde apparet publicum inſtrumentum. Rub. XXXIX.

SI quis deberet aliquid recipere ab aliquo tam Ciue, quam Comitatenſe de quo liquidum, & publicum apparet inſtrumentum, & de ipſo querimoniam expoſuerit tam per ſe, quam per eius Procuratorem legitimum coram aliqua Curia in Ciuitate Vrbiſueteris, quod citetur, & ſi venerit cogatur, & cõſtringatur perſonaliter in Palatio, licet ſatisdet idonee de non diſcedendo de Palatio Communis, uel Populi, donec de illo debito ſatisfecerit Creditori; & ſi non uenerit, & fuerit ſemel perſonaliter citatus, uel domi eius ſolitæ habitationis bis cũ cedula cõtinente cauſam citationis affixa ad hoſtium dicti citati cum termino trium dierum ad comparendum, ſi non comparuerit perſonaliter, uel per Procuratorem, tunc uiſo inſtrumento publico debiti ſupradicti, cõmittatur executio realis, uel perſonalis contra dictum Debitorem, contraquę inſtrumenta nulla alia exceptio, vel defenſio audiatur, niſi præſcriptionis, rei iudicatę, ſeu deciſæ, ſolutionis, uel pacti de non petendo, uel temporis prorogationis, uel ſimulationis, uel falſitatis, aut exceptio defectus perſonę, quæ haberet inſtrumentum, uel cõtractum uitiare, aut nullum reddere; quas exceptiones, uel ipſarum alteram proponens probare debeat, & probatas habeat oſtendere infra decem dies, poſtquam ipſam uel ipſas produxerit; & ſi non probaret, in duobus ſolidis denariorum pro qualibet libra debiti, ſeu ęſtimationis rei de qua eſſet quæſtio, pro medietate expendenda in acconcimine aqueductus dictæ Ciuitatis, & pro alia medietate Parti, de facto

ſoluere compellatur, & debitum ſoluere ſit coactus: Et proponens exceptiones prædictas, uel alteram ipſarum, nihilominus ſit coactus donec probauerit, uel ſatisdederit de non diſcedendo de Palatio: Et ſi exierit, uel diſceſſerit de Palatio, & requiſita fuerit præſentia ſua ad inſtātiam Creditoris, incidat in pœnam quinquaginta librarum denariorum, expendendorum in acconcimine murorum parapetti Portæ Viuariæ, & iterum conſtringatur & teneatur, & non audiatur in aliqua re, niſi primum ſoluerit prædictam pœnam: & prædicta locum habeant in contractibus, & debitis factis, & faciendis, præteritis, præſentibus, & futuris.

De pœna petentis debitum iam ſolutum. Rub. XL.

SI quis per ſe, uel per Procuratorem ſuum, uel alium legitimum mādatarium petierit ab aliquo aliquod debitum, & Debitor oſtenderit per inſtrumentum refutationis debiti, uel aliter per teſtes, ſeu alium legitimum modū ſoluiſſe debitum petitum, liberetur Reus, & dictus petens condemnetur in quatruplum quantitatis petitæ, applicandū pro dimidia Parti, & pro alia dimidia Cōmuni pro acconcimine aqueductus: & prędicta locum habeant etiam in petente partem debiti ſoluti: & petens ſi ante ſententiam ceſſerit liti, & renunciauerit petitioni ſuę, non incurrat in pœnam, ſed ad expenſas, damna, & intereſſe Parti conuentę teneatur.

Qualiter reddatur ius Forenſi contra Ciuem. Rub. XLI.

ILlud ius reddatur Forenſi contra Ciuem noſtrum, quod redditur Ciui noſtro in loco, ſiue terra dicti Forenſis: & ſi non conſtaret, reddatur illud ius, quod redditur aliis Ciuibus, dummodo dictus Forenſis idonee ſatisdet de iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluendo.

Quod Debitor cogatur ſeruare promiſſionem, & pactum Creditori ſuo. Rub. XLII.

QVācumque promiſſionem, & pactum fecerit Debitor cum ſuo Creditore, dicta promiſſio, & pactum à Debitore obſeruetur, non obſtante aliquo capitulo poſito, uel ponendo, dummodo talia pacta, & promiſſiones legitima ſint.

Quod

Quod fideiuſſor à fideiuſſore conſeruetur indemnis. Rub. XLIII.

SI quis fideiuſſor uel alius qui bona ſua obligauerit ſeu pro alio ſe pagatorem conſtituerit, ſiue pro ſpeciali Perſona ſiue pro Vniuerſitate paſſus fuerit aliquod damnum occaſionibus ſupradictis, conſeruentur indemnes prædictæ perſonæ, & ſtetur ſacramento earum & cuiuslibet eorum hæredum, tam de damnis & expenſis, quam de ſorte principali, & omnium aliorum quę occaſione principalis contractus per ſe uel aliũ dixerit ſe feciſſe uel ſubſtinuiſſe, & hoc obtineat in præteritis & futuris: & Poteſtas & alij Officiales poſtquam fuerint requiſiti, infra triduum teneantur dictas perſonas indemnes cõſeruari facere ad ipſarum voluntatem procedendo contra eas, & exequẽdo realiter, uel perſonaliter per uiam ex bannimentorum & tenutarum: Et ſi prędictæ perſonæ uel aliqua earum tenutam aliquam acceperit contra Reos ſuos, Rei uel Reus, uel eorum hæredes teneantur ipſam tenutam disgombrare ad petionem prædictarum perſonarum quæ tenutam acceperint, & ab uſu dictæ tenutæ ceſſare: & ſi non ceſſarent pro qualibet die ſoluãt nomine pœnæ uiginti ſolidos applicãdos in acõcimine Palatij Poteſtatis, & fideiuſſor non cogatur reſpondere illi pro quo fideiuſſerit pro aliqua alia cauſa uel debito, niſi primo ab eo fideiuſſor conſeruetur indemnis: Quicumque autem fideiuſſerit mandato alicuius apud aliquem, & in fideiuſsione ſteterit duobus annis, talis fideiuſſor à fideiuſsione tali ab illo pro quo fideiuſſerit abſoluatur & liberetur, niſi ex conuentione contractuum, uel natura contractus obligatio eſſet in tempore longiori, etiam per hęredes & bonorum poſſeſſores ipſius principalis: & Poteſtas teneatur compellere talem pro quo fideiuſsio facta fuerit ad petitionem talis fideiuſſoris ad prędicta omnia obſeruandũ: & quę dicta ſunt de fideiuſſore habeant locum in pagatoribus, & omnibus alijs perſonis quæ pro alio obligatæ ſunt, & locum habeant tam contra minores, quam etiam contra omnes alias perſonas, & remaneat in prouiſione Poteſtatis & ſuę Curię de damno paſſo per fideiuſſorem & expenſis, inſpecta qualitate perſonæ: Et ſi in prędictis Poteſtas fuerit negligens uel remiſſus, in uigintiquinque libris condemnetur; & in omnem caſum & euentum conueniatur prius principalis quam fideiuſſor: & facta diſcuſsione de principali Debitore & non reperto idoneo ad ſoluendum, conueniatur fideiuſſor; Et ſi duo uel plures in aliquo cõtractu fuerint principaliter inſolidum obligati, & aliquis cognouerit debitum eſſe ſuum, cogatur prius ipſe ad ſoluendum, deinde facta diſcuſsione de eo deueniatur ad reliquos ſocios: & ſi fuerint

ſi fuerint plures debitores, uel fideiuſſores in ſolidum obligati apud aliquem, & omnes idoneę perſonæ ad ſoluendum, quilibet tantũ pro rata debeat conueniri, non obſtante quod in ſolidũ fuerint obligati.

De illo qui voluerit cedere bonis. Rub. XLIIII.

SI quis uoluerit cedere bonis ſuis, iuramẽto prius præſtito ante ceſſionem prædictam, teneatur dare in ſcriptis Iudici D. Poteſtatis ciuitatis omnibus ſuis Creditoribus, omnia & ſingula bona mobilia & immobilia: & ſi poſt dictã ceſsionem talis cedens fuerit inuẽtus aliquid aliud per ſe uel aliũ habere, tenere, uel poſsidere q̃ dediſſet in ſcriptis, uel ſi poſt dictã ceſsionem dictus cedens ſuo nomine uel alieno, per ſe uel alium teneret uel poſsideret aliquid ex dictis bonis, uel aliquibus ex ipſis bonis aſsignatis uel non aſsignatis uteretur, ex tunc dictus cedens ad petitionem ſui Creditoris uel ſuorum Creditorum perſonaliter capiatur, & in carceribus ſeu Palatio detineatur ad uoluntatem ipſius Creditoris donec fuerit ſatisfactum ſibi de debita quantitate, non obſtante ceſsione prędicta. Quibus omnibus ſic peractis, dictus cedens nudus & excalciatus cum ſerabulis tantum ueniat cum duobus ex pręconibus Communis, qui cum eo tubendo ueniant & exeant per portam Palatij Poteſtatis, & uadant ad columnam poſitam ante Eccleſiam S. Andreæ, & ad dictam columnã tribus vicibus nates percutiat dicens in qualibet percuſsione, cedo bonis, coram Notario & ſeptem teſtibus; & hoc faciat ab hora tertia vſque ad ueſperas, & clam hoc fieri non poſsit: & hæc omnia locum habeant tam in his qui hactenus ceſſerunt, quam in alijs qui cedere uoluerint in futurum: & quicunque ceſſerit bonis ſuis modo prædicto, pro tempore futuro non ſtet nec ſtare poſsit in Ciuitate poſtea per tempus decem annorum, & ſi uenerit & ſteterit capiatur, & conſtringatur in Palatio & in carceribus ad petitionẽ Creditorum, donec Creditoribus ſatisfecerit cum effectu: & Poteſtas & eius Iudex teneãtur prædicta obſeruare ad pœnã centum librarum denariorum qualibet uice.

Quod Ciues habitantes in Ciuitate, non poſsint conueniri in Comitatu. Rub. XLV.

NVllus noſter Ciuis habitans in Ciuitate teneatur reſpondere in aliqua Curia Comitatus, ſeu in Curia alicuius Baronis Comitatus pro aliquo damno dato, uel de lite pecuniaria: quicquid autem ſequeretur non teneat ipſo iure.

Quod

Quod nullus recipiat ab extraneo iura contra Ciuem. Rub. XLVI.

NVlla perſona noſtri Comitatus,uel diſtrictus emat,uel acquirat aliquod ius ab aliqua extranea perſona, contra aliquem noſtrũ Ciuem,uel Comitatenſem,niſi de voluntate debitoris, vel niſi acquireret à fratre, uel ſorore ſua extraneis, & qui contrafecerit in quinquaginta libris puniatur, & ceſſio facta non teneat, exceptis Mercatorib⁹ noſtrę Ciuitatis, qui à Mercatoribus extraneis,cõtra Mercatores huius Terræ iura acquirere poſſint, exceptis illis, qui occaſione alicuius noſtri Ciuis, uel Comitatenſis grauarentur ab aliquo extraneo, qui omnes acquirere poſſint iura prędicta. Et ſi qua perſona ceſſit, vel ceſſerit in futurũ aliquo titulo, alicui Clerico cõtra aliquem noſtrũ Ciuem, vel Comitatenſem,uel contra commune Vrbiſueteris, uel aliquam Vniuerſitatem noſtri Comitatus, in quinquaginta libris puniatur, & ceſſio non teneat: Et ſi quis ceſſerit aliquod ius alteri quocunque titulo, ille qui tale ius recipit teneatur cedenti ſuper actione, quæ competeret illi, contra quem eſt facta ceſſio,contra illum qui ceſſit defendere, & tam compenſatio, quam omnis alia exceptio, quę contra cedentem Debitori competeret, obijci poſſit contra illum, qui iuris ceſſionem recepit.

Quod alienatio facta, occaſione maleficij perpetrandi, non ualeat. Rub. XLVII.

NVlla uenditio, alienatio,emancipatio,ſeu permutatio facta,uel quę fieret ab aliquo in futurũ, occaſione alicuius maleficij perpetrandi ualeat, aut teneat, & ſit caſſa, niſi malefactor curaret curam de maleficio quod cõmiſerit de pœnis ſoluendis, & niſi in alijs ſuis bonis executio fieri poſſet: quod ſi malefactor non curauerit, uel executio in alijs ſuis bonis fieri non poterit, tunc, tam de dictis bonis alienatis, quam de alijs bonis dicti malefactoris ſoluatur pœna,& præſumatur dicta alienatio facta occaſione maleficij perpetrandi, ſi facta infra annum computandum à die alienationis prædictę; Et hoc locum habeat,dummodo malefactor fuerit odioſus ante alienationẽ prędictam.

De illo,qui fecerit male facta ſua. Rub. XLVIII.

SI quis male incoharet uti ſubſtantia ſua,Poteſtas teneatur inquirere ad petitionem cuiuſcũque eidem dixerit, & ſi probabitur per opinionem,uel famam, quod quis prædicta faciat, banniatur publice per Ciuitatem, quod nullus cum eo contrahat, & contractus poſtea factus cum eo non teneat: & ſi cui eſt bonis interdictum, uel fue-

rit, & poſtea authoritate Curię generalis fuerit bannitum quod poſsit contrahere, cōtractus poſtea facti ualeant. Et ſi banniretur quod nullus contrahat cum tale faciente malefacta ſua, nullus ducat ipſum ad bibendum, uel comedendum in domo ſua, exceptis Patre, fratre, ſocero, cognato, uel alijs coniunctis perſonis uſque in tertium gradum, ad pœnā uigintiquinq; librarū, & Poteſtas teneatur tales maleſaciētes facta ſua, legi facere in conſilio generali dictæ Communitatis.

Qualiter procedatur in quæſtionibus libellarijs, & emphiteoticis, & alijs præſtationibus. *Rub. XLVIIII.*

DE penſionibus libellarijs, emphiteoticis, & omnibus alijs præſtationibus ſeruitutum ſi fuerit quęſtio, iuretur de calumnia, & ueritate dicenda, & ſi Reus confeſſus fuerit, condemnetur, & ſi negauerit, deferatur in iuramentum ab utraque Parte, ſi ſuper hoc non eſt quæſtio, aliqua earum habeat publicum inſtrumentum, & ſi habet teneatur oſtendere Parti, & Curiæ, & ſpecialiter inſtrumentum emptionis rei, cui inſtrumento ſtetur, & ſecundum ipſum pronuncietur: ſi uero ueritas inueniri non poſſet, & Actor probauerit quod à triginta annis citra proxime præteritis, Reus, uel ille à quo cauſam habet, uel alius pro eo Actori, uel alij pro eo ſuis prædeceſſoribus pro re, cuius occaſione eſt quæſtio, quod petitur præſtiterit una uice tantum, tunc ad ſolutionem compellatur, & in eo compelletur: & idem ſeruetur in ſeruitutibus, ſuper fictibus autem hoc ſeruetur, quod quęcūque perſona conſueta eſt per ſe, vel alium reddere aliquod fictum, ſpacio quinque annorum cogatur præſtare, & reddere dictum fictum: ſuper tenimentis autem ſi quæſtio fuerit, ſi probauerit per duos teſtes, quod ſibi fuerit conceſſum, uel ipſum habuerit pro ſuo tenimēto à triginta annis citra continue, habeat dictum tenimentum; & prædicta omnia habeāt locum in omnibus rebus, ex quibus debetur penſio, uel liuellus à noſtris Ciuibus, uel Comitatenſibus alicui Eccleſiæ, uel Clerico. Et ſi dictę perſonæ Eccleſiaſticę nollēt ſtare pręſēti Statuto, ſeruetur pro eis, & contra eos ius commune. Laboratur autem tenimenti, ſi non laborauerit totum quod laborari poteſt, nō debeat metere, ſeu battere, ſeu bladam extrahere ad pœnam centum ſolidorū; Et ſi laborator requiſiuerit Dominum quod recipiat partem ſuam, & non receperit partem ſuam, poſtquam fuerit requiſitus liceat tali laboratori partem ſuam fructuū de campo extrahere.

Qualiter

Qualiter, & quando ad Poteſtatem appelletur. Rub. L.

AB omnibus, & ſingulis laudis, & ſentẽtijs ferendis per Arbitros, & Arbitratores, Viarios, uel Partitores, Vicarios, ſeu Vicecomites Comitatus, & à ſentẽtijs Conſulũ Artium infra decẽ dies à die latę ſententię, ſeu arbitramenti appellari, & recurri poſsit ad Poteſtatẽ, & ſi fuerit cauſa quinquaginta librarũ, uel abinde infra, ſufficiat appellatio oraculo uiue vocis facta: Si autẽ fuerit à quinquaginta libris ſupra, fiat appellatio in ſcriptis, in qua allegẽtur grauamina illata, uel aliqua pars ipſorum grauaminum. Et dictæ cauſæ, & quælibet ipſarum debeãt cognoſci, & terminari per Poteſtatem, & eius Collateralem infra triginta dies incipiendos immediate, finitis ſupraſcriptis decẽ diebus, & cognoſcantur ſummarie ſecundum modum, & formam latius, ut ſupra declaratur ſub Rubrica de cauſis ſummarie cognoſcendis. Et ſi dicta appellatio non fuerit proſecuta infra dictũ tempus, ſentẽtia, & laudũ mãdetur executioni, & ipſa appellatio, uel recurſus ſit pœnitus deſertus.

De Appellationibus, & quærelis interponendis ab Interlocutoria, & grauaminibus. Rub. LI.

STatuimus, & ordinamus quod quicunque ſentiret ſe grauatum ab aliqua interlocutoria, præcepto, uel grauamine, quod diceretur dicto, uel facto inferri, à tali grauamine, interlocutoria, & præcepto poſsit prouocare, & appellare, & de nullitate dicere, & quærelare infra quatuor dies à die ſententię numerandos, aliàs non audiatur, & teneatur ſuam appellationem in ſcriptis producere, & interponere, & infra quinque alios dies à die introductæ appellationis debeat docere de omni cauſa grauaminis, iniuſtitię, uel quęrelę, ex actis primo tamen factis in cauſa, & non ex actis de nouo fiendis; poſt quos terminos Pars appellans teneatur cauſam dictę ſuæ appellationis finiri feciſſe per ſententiã infra terminum uiginti dierũ utilium, qui terminus prorogari non poſsit etiam de Partium conſenſu, & appellans ſi ſuccubuerit, teneatur ad expenſas, & prædicta intelligãtur in cauſis aſcendẽtibus ad ſummã quinquaginta librarũ, ab inde uero infra, ab interlocutoria appellari non poſsit.

De Appellationibus interponendis à diffinitiuis. Rub. LII.

ATtẽdẽtes ꝙ illud iudiciũ recte dicitur ueritate fulciri, ꝙ plurimorũ ſentẽtia cõprobatur, ſtatuimus ꝙ quilibet qui sẽtiret ſe grauatũ, uel grauari poſſe ab aliqua diffinitiua sẽtẽtia, poſsit, & ſibi liceat uiua uoce, tẽpore latę sẽtẽtię appellare, poſtea uero debeat in

ſcriptis infra decem dierum terminum appellare à die latæ ſententię cō putandos, & appellans teneatur introducere appellationem corā Iudice appellationis, ſi fuerit appellatum ad Gubernatorem, uel eius Locum tenentem, & infra quinque dies inhiberi facere; & ſi fuerit appellatum ad Romanam Curiam, teneatur infra terminum uiginti dierū præſentaſſe, & inhiberi feciſſe: Et appellans ad Gubernatorem, uel eius Locum tenentem teneatur recolligere totum proceſſum ſuis expenſis, & ſic ipſum producere corā Iudice appellationis, & cauſam ipſam terminari feciſſe infra terminum triginta dierum vtilium, quod ſi nō fecerit, appellatio ipſa ſit deſerta, & in omnem euentum appellans, & ſuccumbēs teneatur reficere expenſas, & non uitietur appellatio, ſi apoſtoli nō fuerint petiti: Et ſi fuerit lata ſententia ſecunda conformis primæ, habeatur pro ultima, & ulterius appellari non poſſit.

Quod nullus inuadat, ſua authoritate, tenutam bonorum alicuius Defuncti. Rub. LIII.

NVlla perſona audeat inuadere tenutam bonorum alicuius defūcti ab inteſtato, uel ex teſtamento, niſi eſſet filius, uel filia, uel hæres inſtitutus, uel ſubſtitutus, quibus licitum ſit ſua authoritate ſine pœna capere; Et hoc quando prædicta bona eſſent uacantia, uel à nemine poſſeſſa, & qui contrafecerit in uigintiquinque libris denariorum puniatur, & de tenuta nullum commodū aſſequatur: Et quod nulla perſona poſſit capere poſſeſſionem propria authoritate, alicuius rei ab aliquo poſſeſſę, nisi mediante iuſto titulo habito à uero domino, & poſſeſſore, uel de licentia Iudicis data, ſeruato ordine iudiciario, Et qui contrafecerit, ſoluat nomine pœnæ centum libris denariorum, & talis poſſeſsio habeatur pro non poſſeſsione, & ex ea nulla poſſit cauſari præſcriptio.

De illo, qui rem aliquam poſſedit bona fide ſpatio decem annorum Rub. LIIII.

SI quis rem aliquam, non per dolum, ſed iuſto titulo acquisitam in tenutam authoritate propria, recepta bona fide, habuerit pacifice, & quiete tempore decem annorum, & plurium, iuſto titulo continuato tempore authorum, & anteceſſorum, uel authoritate Curiæ, ut dictum eſt, sibi, uel ſuis hæredibus nulla lis, uel controuerſia moueri poſ

sit

ſit ab aliqua perſona, uel ab aliquibus Curijs Ciuitatis, & quærimonia exinde nullatenus audiatur, nec recipiatur, ſaluis pactis inter emptorē, uel uenditorem, uel alios contrahentes factis, & ſpecialiter de uēditio ne fienda rei uenditę; quod pactum reuenditionis probari poſsit per publicum inſtrumentum, uel per teſtes qui interfuerunt uenditioni illius rei, nominatos & ſcriptos in inſtrumento uenditionis; ſaluo etiā quod ipſa præſcriptio non currat ipſo iure pupillis, & alijs perſonis, quę agere non potuerunt infra tempora dictæ præſcriptionis.

De ſucceſſione ab inteſtato. *Rub, LV.*

STatuimus, & ordinamus, quod ſi quis deceſſerit inteſtatus, relictis deſcendentibus maſculis, & fœminis, maſculi ſuccedant exclusis fœminis; qui maſculi teneantur ſufficienter dotare dictas fœminas ſecundum qualitatem patrimonij, & conditionem perſonarū, ſi prius dotatæ non extiterint. Si uero deceſſerit inteſtatus, relictis filiabus fœminis tantum, tunc dictę filiæ ſuccedant in totum, exclusis quibuſcunque cognatis, & agnatis. Si uero quis deceſſerit nullis deſcendentibus ſuperſtitibus, tunc proximiores agnati, uſque in tertium gradum, ſuccedant, ſecundum ius canonicum computandum, exclusis cognatis, & etiam matre, ita tamen quod maſculi fœminis pręferantur, quādo eſſent in pari gradu, ſaluo quod in tertia bonorū hæreditatis dicti defūcti, quam ipſa mater habere poſsit, & debeat, dummodo mater ſeruauerit ea, ad quæ de iure tenetur ſecundum authent. defuncto C. ad Tertullianum. Si uero quis deceſſerit nullis deſcendentibus ſuperſtitibus maſculis, uel fœminis, nec ſuperſtitibus agnatis infra dictum gradum, tunc proximiores conſanguinei ex parte Patris ſuccedant in patrimonio, & proximiores conſanguinei ex parte Matris in matrimonio. Et voluerunt nullam mulierem venire appellatione agnatorum, niſi ſororem utrinque coniunctam, & ſororem ex parte Patris. Item uoluerūt, quod ſi quis deceſſerit ſine deſcendentibus, & ſine fratribus utrinque coniunctis, ſuperſtitibus ſibi duobus, uel pluribus fratribus uterinis, & partim conſanguineis, quod in bonis prouenientibus à Patre dicti defuncti ſuccedat frater conſanguineus, & in bonis prouenientibus à Matre dicti defuncti ſuccedat frater uterinus, exclusis fratre cōſanguineo, & agnatis. Si uero deceſſerit quis nullis relictis fratribus utrinq; coniūctis, uel filijs fratrum, ſed ſolummodo ſororibus, partim conſanguineis, & partim uterinis, ſoror ex parte Patris ſuccedat in patrimonio, & ſoror ex parte Matris ſuccedat in matrimonio: Et quod dictum eſt de fratribus

tribus, & ſororibus, intelligatur etiam de filijs fratrum, & ſororum; in reliquis uero ſeruetur quod dictum eſt ſupra de cognatis.

Nulla mulier dotata, vel dotanda ſuccedat in bonis paternis, nec maternis, ſi ſuperſunt fratres carnales. Rub. LVI.

NVlla mulier dotata, uel dotanda ſuccedat in bonis Patris, nec matris, ſi ſuperſunt fratres carnales ex utroque Parente: Item quod nulla mulier dotata, uel dotanda ſuccedat in bonis Patris ſtantibus fratribus ex parte Patris: Et hoc locum habeat, quando talis mulier eſt dotata, uel dotanda de bonis dicti Patris: Si uero dotata eſſet ab extraneo, nõ contemplatione Patris, ſuccedat in legitima. Sed ſi qua mulier deceſſerit inteſtata, relictis filijs, uel filiabus ex diuerſis matrimonijs, dicti filij, & filiæ ſuccedant in capita pro equali portione, ſublata qualibet diferentia ſexus: Et quod dictum eſt de filijs, & filiabus, intelligatur de nepotibus, & deſcendentibus: Fratres autem teneātur dotare ſorores, uel ſororem cum ętatem exceſſerint tresdecim annorum, uel dent eis partem quouſque maritentur, & ſi nolent dare, poſſint petere partem: & ſi dictæ ſorores non fuerint maritatæ à dictis fratribus antequam ętatem perfecerint quindecim annorum, liceat proximioribus conſanguineis ex tũc, eam, uel eas maritare de dicta parte ei, uel eis contingente de bonis Patris ſui: Et quicquid dicti conſanguinei fecerint ſuper his, ratum ſit, & firmum, & nullatenus retractetur, non obſtāte aliquo capitulo in contrarium diſponente, & hoc locũ habeat in prę teritis, & futuris: Et omnia prædicta locum habeant, ſi prędeceſſerit inteſtatus, in filijs legitimis, & naturalibus ſi extant, & ſi non extant naturales, legitimi, in legitimis tantum, & etiam in ciuibus, & Comitatiuis Vrbeuetanis: & talis ſoror non poſsit cedere iura ſua quę habet in bonis Patris, & Matris, alicui, & ſi concederet non valeat ipſo iure. Si vero Pater quantitatem dotis declarauerit inſtrumẽto, hęres Patris dictam dotem declaratam, mulieri dare integre teneatur: & ſi hæredes eā non maritauerint cum ipſa dote, proximiores conſanguinei poſsint ipſam pro illa quantitate maritare, ut ſuperius dictum eſt.

Quod Mulier non poſſit renunciare in bonis Paternis, neque Maternis. Rub. LVII.

NVlla mulier per viam renunciationis, donationis, uel alium cõtractum lucratiuum poſsit renunciare paternę hæreditati, uel maternæ, & ſi renunciauerit, dicta renunciatio, uel contractus non

nõ ualeat ipſo iure, etiã ſi fuerit iurata: Si qua autẽ Mulier ſub promisſione alicuius quantitatis, quæ ſibi promitteretur pro dote, uel per aliam uiam renunciauerit paternæ, uel maternæ hæreditati, quę ad ſe pertineret, uel ad ſe pertinere ſperaret, ſi dictam hæreditatem donauerit, uel per aliam uiam conceſſerit, & in dicto contractu fuerit lęſa ultra dimidium iuſti præcij, talis contractus non ualeat, nec teneat ipſo iure, etiã ſi fuerit iurata. Item quod ſi quis habens filiam, uel nepotem, & maritauerit, & eidem conſtituendo dotem dixerit, quod dotat de bonis maternis, & paternis, intelligatur dotaſſe de ſuo, ſi dictus dotans eſt talis conditionis, quod ſibi conueniat de ſuo proprio dictam dotem conſtituere, cui ſtatuto nullo modo posſit renunciare, etiã per iuramentũ: Et quod Poteſtas integram dotem faciat adimpleri ab hæredibus ſupradictis: & ſi quis hæres, qui ſorores ſuas non maritauerit in tempore in proximo capitulo deſcripto, uendiderit de bonis communibus, talis uenditio non teneat pro parte ſororis in præiuditium ipſius ſororis, & nulla præſcriptio ei obſtet, niſi longisſima: Et ſi talis mulier non haberet vnde uiuere, cogãtur qui habuerint hæreditatem eidẽ mulieri, quouſque uixerit dare victum, & veſtitutum ſecundum qualitatem hæreditatis, & ei neceſſaria miniſtrare, & conſignare quouſque nupſerit: Si uero mulier dotata fuerit de bonis Patris, ſeu Matris, non posſit redire poſt mortem mariti, uel ante mortem ad bona paterna, nec expenſas petere, niſi de voluntate fratrum proceſſerit, uel niſi dotem reduceret ad eosdem quouſque ſe uellet iterum maritare. Itẽ ſi aliquis ſine filijs, uel filiabus ab inteſtato deceſſerit, frater uel filii fratris maſculi tãtum ſuccedant in totum, & præferantur ſororibus, ſed ſi prædicti poſtea deceſſerint ſine liberis, talis hæreditas deueniat ad ſorores defuncti. Et prædicta locum habeant in pręteritis, & futuris.

De muliere decedente. Rub. LVIII.

STatuimus, & ordinamus quod nulla Mulier, siue habuerit filios, uel filias ex diuersis maritis, ſiue non, nulli perſonæ relinquere poſsit, tam inter uiuos, quam per uiam ultimæ uoluntatis dotem ſuã, nec cætera eius bona, siue sint mobilia, siue immobilia, siue in iuribus, siue in actionibus, siue in pecunijs, siue in censibus, siue in alijs bonis cuiusuis generis consiſtant, nisi filijs, & filiabus pro equali portione, & ſecundum capita, & si contrafecerit non ualeat, nec teneat ipſo iure: si autem dicta mulier deceſſerit nullis deſcendentibus ſuperſtitibus

tibus, & fuerit dotata ab extraneo, dos prædicta deueniat ad illum qui dotem dedit, uel eius hæredes, dummodo talis extraneus dotem dans habuerit filios, uel filias, uel nepotes ex filio, uel fratrem carnalẽ; alias ſi filios, uel filias, uel nepotes, uel fratrem non habuerit ut ſupra dictum eſt, dicta perſona dotata pro anima, & corpore de tali dote poſſit diſpoſitionem facere, pro ut de ſua proceſſerit uoluntate, poſt mortem dicti dotantis, non eo viuente, & nisi appareret dictam dotem datam fuiſſe de bonis dictę Mulieris dotatę. Ac etiam volentes quod pręſens capitulum, ubi loquitur de Muliere decedente in principio ſui habeat locum, tam in Muliere decedente, quam inter uiuos, ita quod nullo modo poſſit, nec inter uiuos, neque decedẽs diſponere de rebus ſuis, nisi, vt ſupra dictum eſt; uolentes tamen, quod ſi qua Mulier habens filios, uel filias, & non habens unde ſe gubernare poſſit, nisi de bonis ſuis, & requiſiuerit coram Iudice ipſos filios, uel filias, ut eidem cõmode uictum, & ueſtitum pręſtent, alent, & gubernent, & tales filij, uel filię id effectualiter non fecerint, & adimpleuerint, tunc obtenta licentia à Poteſtate, uel Iudice, qui in tali caſu licentiã dare teneatur, quod poſſit diſtrahere de bonis ſuis pro ipsius ſubſtentatione, & Iudex à quo eſſet petita dicta licentia, ſeu Poteſtas teneatur infra decem dies à die petitę licentię ſuper dicta licẽtia, & omnibus oppoſitis contra ipſam, & emergentibus, & connexis pronunciare, cognoſcendo ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſola facti ueritate inſpecta, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ferijs quibuſcunque non obſtantibus, ſub pœna centum librarum denariorum.

Quod Tutela Tutricis nubentis concedatur proximiori, & digniori conſanguineo. Rub. L[illegible]IX

TVtrix si tradiderit ſe nuptui, tutela ipſa proximiori, & legitimo conſanguineo Pupilli, & digniori concedatur, & si aliter fieret non ualeat ipſo iure: Et quis fuerit dignior, remaneat in prouiſione Poteſtatis, uel eius Iudicis, ita quod nulla Mulier ſuppoſita noſtræ iurisdictioni poſſit dari per Tutorem alicui Pupillo, uel Pupillę, si bonos fideiuſſores non dederit, & idoneos, ſaltem quod ipſorum fideiuſſorum facultates ualeant medietatem omnium, & ſingulorum bonorum Pupillorum, & Pupillarum, quorum, uel quarũ aliquis eſſet Tutor, uel Tutrix, ad pœnam cẽtum librarum, & quilibet Tutor, & Tutrix quolibet anno teneatur, & debeat de adminiſtratione aſsignare, & reddere ra-

re rationem coram Iudice D. Poteſtatis, & coram duobus, & fide dignis hominibus Ciuibus Vrbeuetanis de regione Pupillorum, uel Pupillarum, ad pœnam centum librarũ denariorum pro quolibet contrafaciente: Et Poteſtas teneatur in principio ſui regiminis banniri facere, & diligenter inquirere contra ipſos Tutores, uel Tutrices, & repertos culpabiles cõdemnare in dictam pœnam, applicandam pro medietate in acconcimine ſtratarum Portæ Viuariæ, & pro alia medietate in accõcimine Palatij DD. Conſeruatorum.

Quod Tutor teneatur reddere rationem. Rub. LX.

SI quis Tutor, uel Tutrix, ſiue fuerit relictus in teſtamento, ſiue fuerit datus per Iudicem, teneatur reddere rationem, finita tutela, nõ obſtante quod in teſtamento contineretur nõ teneri ad reddendũ rationem.

De probatione conſanguinitatis, affinitatis, mortis, ætatis, & Notariatus. Rub. LXI.

AD probationem conſanguinitatis, affinitatis, ętatis, mortis alterius, uel quod aliquis noſter Ciuis, ſit, uel fuerit Notarius, vel Iudex ordinarius, ſufficiat probatio famę in qualibet cauſa, & teſtes ſuper hoc producti, nõ poſſint impugnari, uel reprobari, etiam ſi fuerint de domo: & qui contra prædicta fecerit, uel negauerit, in decem libris puniatur, niſi forte contrarium probaretur: & dicta pœna locum non habeat contra illos, qui non crederent, uel negarent ætatem.

Quod in vltimis voluntatibus non requiratur numerus teſtium à lege introductus. Rub. LXII.

IN teſtamentis nõ requiratur numerus teſtium à legibus introductus, ſed probetur voluntas teſtatoris per quinque teſtes maſculos, puberes, & liberos: in codicillis vero, & in alijs ultimis voluntatibus ſufficiant tres teſtes.

De Hærede, quando quis ſe Hæredem facit. Rub. LXIII.

SI quis ſe Hæredem dixerit, & oſtenderet inſtrumentum manu alterius Notarij, tale inſtrumentum non poſſit impugnari, uel reprobari, niſi contrarium appareret, & quandocumque teſtamentum, uel vltimam voluntatem fecerit Pater, uel fecerit di-

ſpoſitionem inter Filios, uel Filias, uel Neptes, uel Nepotes, ratum, & firmum ſit, & à nemine retractetur, ſaluo quod ſi habuerit Filios ex di uerſis Vxoribus, nõ poſsit plus relinquere uni, quam alteri, nec plus Fi lijs ſecundi matrimonij, quam primi.

Quod decedens viuente Filio, Vxori aliquid legare, vel donare non poſsit. Rub. LXIIII.

SIquis deceſſerit viuente Filio, uel Filia, uel pluribus Filijs, Vxori ſuæ, uel alij per ea, uel ſuo nomine aliquid, tam in morte, quam inter uiuos dare, legare, donare, relinquere, uel alio modo aliquid dare non poſsit ultra dotem ſuam, niſi uictum, & veſtitum, & uitę ſuæ neceſſaria, ſecundum facultatem poteris, & hoc locum habeat in præteritis, & futuris.

De uſufructu relicto Vxori à Viro. Rub. LXV.

SI alicui Mulieri à Viro ſuo relictus ſit uſuſfructus aliquarum rerum ſu arum, ſiue habitatio domus, dotem eius petere non poſsit, & ſi habitationẽ, & uſumfructum prædictum habuerit: & ſi peteret co ram Iudice, ſuper hoc Libellum, uel petitionem offerendo, ex tunc ab uſufructu, habitatione, & legatis ipſo iure cadat, & ipſa non habeat.

Quod Filia, paterna bona occupare poſsit, donec de relicto fuerit ſatisfacta. Rub. LXVI.

SI quis deceſſerit Filia, uel Filiabus relictis, & aliquid ipſi Filiæ, uel Filiabus reliquerit, & alia ſua bona alicui alij legauerit, uel relique rit, ipſa Filia, uel Filiæ uel earũ Tutor, ſiue Curator poſsint eorũ au thoritate recipere, & poſsidere omnia bona, tã legata, quã alia, non ob ſtãte quocũque alio legato, quouſque fuerit ei, uel eis plenarie ſatisfac tũ: & ſi legatarius, uel alter hæres inſtitutus extraneus, antequã eis ſatiſfecerit de relicto, eã, uel eas moleſtauerit, in cẽtũ ſolidis, uice qualibet puniatꝰ: & hoc locũ habeat in pręteritis, & futuris: & prędicta etiã locum habeant

habeāt etiam in Sorore cui Frater reliquit legatum, & deceſsit, Filia, vel Filiabus, una, uel pluribus relictis.

Quod Filij pro uitæ neceſſarijs, de bonis hæreditatis, fideicommiſſo nõ obſtante, uendere poſſint, & etiam de donatione. Rub. LXVII.

SI quis deceſſerit Filiis, uel Filiabus, uel Filia, Nepotibus, uel Neptibus relictis, decedens ſine Filijs ex eis, uel alijs deſcendentibus, & bona ſua deueniant, vel deuenire debeant ad alium, ſi ipſi Filij uel Neptes non poſſint de bonis eorum ducere vitam ſuam, poſſint de bonis prædictis uendere, & alienare non obſtante ſubſtitutione, uel legato; idem intelligatur ſi quis donauerit bona ſua, ſiue retento uſufructu, ſiue non, & de fructibus uiuere non poſſit, quod uendere, & alienare poſſit de rebus donatis pro vita, & uitę ſuæ neceſſarijs, & talis alienatio ualeat, & teneat, & reuocari non poſſit: & hoc obtineat in præteritis, & futuris.

Quod institutus, & ſubſtitutus, integram habeat hæreditatem. Rub. LXVIII.

SI quis fecerit teſtamentum, & inſtituerit aliquem hæredem, uel ſubſtituerit in ſua hæreditate, inſtitutus, uel ſubſtitutus integrā habeat hæreditatem, ſine diminutione quartæ Trebellianicæ: & hoc obtineat in pręteritis, & futuris, aliquo capitulo non obſtante, poſito, uel ponendo.

Quod nulla perſona audeat maritare Pupillam. Rub. LXVIIII.

NVlla perſona audeat maritare Pupillam, uel Pupillas, niſi Tutor, uel Tutrix cum earum voluntate, & ipſa Tutela durāte: ſed poſtquam exceſſerit ætatem duodecim annorum, accedente uoluntate ipſius Pupillæ, vel Pupillarum, habeatur conſenſus à quatuor proximioribus conſanguineis, quorum duo ſint ex parte Patris, & duo ex parte Matris, & ſi ſupereſſet Auus maternus, poſſit maritari ſine conſenſu ſuorū conſanguineorū; eodē modo procedatur ad Puellā copulādā matrimonio, cum decimū annū exceſſerit; & ſi ſuper hoc cōſāguinei eſsent diſcordes, Mater Mulieris, ſeu Puellę, & Auus maternus, ſi ſupererit,

rit, ipſam puellam matrimonio coniungat, ut ei uidebitur; & ſi contra prædicta factum fuerit, liceat Fratri, uel Tutori dotem retinere, & cõtrafaciens in centum libris condemnetur; ſed ſi à Patre puellæ aliter fuerit ſtabilitum, robur obtineat firmitatis, & prædicta locũ habeat in præteritis & futuris.

Quod Auus, & Patrui teneantur dotare Neptes. **Rub. LXX.**

AVus, uel Patruus, ſeu Patrui teneantur maritare, & dotare Neptes eorum ſecundum conditionem perſonæ, & facultatẽ eorum bonorum, cum erit in ætate quindecim annorum, & ſi eam non maritarent, & non dotarent, ut dictum eſt, proximiores conſanguinei ex parte Matris dictæ filiæ, maritare poſſint, & habeat dicta filia pro dote ſua, integram tertiã ſibi debitam iure naturæ in bonis Aui ſui paterni, non obſtante aliquo teſtamento, uel aliqua alia vltima voluntate facto, uel facta ab Auo, & non obſtante aliquo ſtatuto Vrbiſueteris.

Quod Maritus bona Vxoris noſtræ iuriſdictionis alienare non poſſit. **Rub. LXXI.**

SI quis alterius iuriſdictionis Vxorem acceperit, iuriſdictionis noſtræ bona dictæ ſuę Vxoris, uel filiorum, uel filiarum ſuarum uendere, uel alienare non poſſit, quod ſi contrafactum fuerit, alienatio non teneat, & bona alienata ad Commune Vrbeuetanum deueniant.

Quod Mulier alterius Iuriſdictionis, poſſit relinquere dotem ſuam cui uoluerit. **Rub. LXXII.**

SI Mulier alterius iuriſdictionis quæ hominem noſtrę iuriſdictionis habuerit, uel habet in Virũ, deceſſerit Filijs non relictis, liceat ei relinquere dotem ſuam, & omnia bona ſua cui uoluerit.

De terminanda re dotali cum aliqua re coniuncta. Rub. LXXIII.

SI quis rem aliquam pro dote acceperit immobilem, uel confeſſus fuerit recepiſſe ab aliqua perſona, & contingat quod iuxta rem do talem fuerit facta aliqua emptio, uel aliquo alio titulo acquiſitum aliquid à Viro, uel ab alio pro eo, & taliter continuatum ſit, ſeu coniũc tum ſit rei dotali, ut diſtingui non poſſit, Vir & eius hæredes qui talem uenditionem, ſeu titulum lucratiuum allegarent, probare habeant, & ſi non probabitur, tota illa res pro dotali habeatur.

De dote reſtituenda Matrimonio ſoluto. Rub. LXXIIII.

SI dos in pecunia, uel alijs rebus æſtimatis, uel non æſtimatis data fuerit, uel erit, & matrimonium ſit ſolutum morte Viri, Mulier, ſiue ſuperſint Filij ex Viro defuncto, ſiue non, recipiat integram dotem quã dedit: & ſi dos fuerit quinquaginta Florenorũ, ſeu abinde infra habeat de bonis Viri defuncti Florenos quatuor; & ſi fuerit à quinquagin ta ſupra uſque ad centum, habeat Florenos quinque; & à centum ſupra pro rata ad rationem quinque Florenorum pro quolibet centenario, & nihil plus de bonis Viri petere poſſit, ſeu occaſione donationis propter nuptias, ſeu quacunque alia ex cauſa matrimonium reſpicien te: & prædictas pecunias teneatur omnino ipſa Mulier exponere in ueſtibus lugubribus in memoriam, & honorem Mariti defuncti. Decedẽte uero Vxore ſine Filijs legitimis, & naturalibus ex ſuo legitimo matrimonio natis, ſuperſtite Viro, Vir lucretur & habeat, ac habere debeat tertiã partẽ dotis dictæ dominę eius Vxoris, quam recepit ipſe, vel alius pro eo, uel promiſſa fuerit à memorata domina, uel alio promittẽ te, ſeu dante pro ea: & hoc quod de Viro dicitur, locum non habeat, ſi de dicta Muliere ſupererit aliquis Filius, uel filia ex quocũq; alio pri mo matrimonio: augumentum autem prædictum neutra pars lucretur, niſi poſtquam Vir, & Vxor cohabitauerint ſimul, & conſumatum fuerit matrimonium carnali copula; & intelligatur conſumatum fuiſſe matrimonium, ſi ita reputetur in conuicinio abſque alia probatione, Mulier autem defuncto Viro habeat alimenta de bonis Viri ſecundum facultatem poteris, ubicũque ſteterit, donec ei de dote & augumento prędic to fuerit plenarie ſatisfactum: & hoc locum habeat in pręteritis, & futuris. Et ſi aliquis noſter Ciuis, uel Comitatenſis receperit, uel habuerit

rit Vxorem de aliena Iuriſdictione, & Matrimonium ſolutum fuerit inter eos morte Mulieris, Filio, uel Filia non extantibus de tali Matrimonio, & talis Maritus pecuniã nõ haberet, uel aliquid mobile vnde dictã dotem reſtituere poſſet, dictus Maritus de bonis ſuis immobilibus, illis quibus talis reſtitutio dotis deberetur, pro reſtitutione dotis inſolutũ dare teneatur: Et hoc locum habeat in prẹteritis, & futuris.

De dote reſtituenda Mulieri, propter maleficium à Viro commiſsũ. Rub. LXXV.

SI quis fuerit pro maleficio condemnatus, Vxor, ſeu Mater, uel hæredes eius recipiant de bonis, & rebus dicti malefactoris quod ſufficiant ad dotem, & ad ẹſtimationem dotis, & aliarum rerũ, de quibus eſſet creditrix Vxor, ad ẹſtimationem duorum Virorum legalium, qui ponantur per Poteſtatem.

De Vxore volente agere contra Virum vergentem ad inopiam. Rub. LXXVI.

SI qua Mulier contra Virum uergentem ad inopiam agere uoluerit, & petere dotem ſuam, non poſſit agere in Ciuitate Vrbeuetana niſi coram Iudice Poteſtatis; in Comitatu vero coram Vicarijs, & Poteſtatibus, & banniatur publice ad feneſtram Palatij Communis, uel ad Logiã, quod dos prẹdicta petitur: & ſi Mulier bona Viri propter inopiã eius, eo viuente, vel poſt mortem ſuam, pro dote inuenta fuerit detinere de bonis iam dictis, uel eius hæredes, ſecundum æſtimationem duorum Virorum, quorum vnus ſit ex parte Vxoris, & hẹredum (ſi ipſa deceſſerit) & alter ex parte creditorum, & hẹredum Mariti (quando Maritus deceſſerit) qui rei notitiam habeant, & Mulier, & eius hẹredes tãtum recipiant, quantum dos fuerit cum augumento, quãdo viueret Maritus, & ſi mortuus eſſet non extantibus filijs, reliqua bona Creditoribus Mariti dentur, & aſsignentur: Et ſi hẹredes Mariti, ſeu Creditores vellent ſoluere dictam dotem, Mulier, uel eius hẹredes bona prẹdicta dimittant, & iura quẹ habent pro dicta dote in dictis bonis, & promittant quod iura eorum alteri non ceſſerint, & habeatur ſemper ratio meliorationis factæ in bonis prædictis per Vxorem, uel ſuos hæredes, quã Creditores, & hæredes Viri reſtituere teneantur. Et Mulier repetẽs dotem teneatur, & debeat coram Iudice Poteſtatis eius medio iuramẽto dicere

dicere,& aſsignare omnia bona,& res mariti,quę,& quas ſcit, habet,& habuit penes ſe, uel alius pro ea dotem dedit: & ſi prędicta Mulier,poſt Sactamentum factum, reperta fuerit deieraſſe,ſoluat pro pœna uiginti-quinque libras denariorum pro dote ſua,& nihilominus res reſtituat,& aſsignare teneatur, & hoc locum habeat in præteritis, & futuris.

Quod Ciues non vendant poſſeſsiones alicui extraneo Rub. LXXVII.

STatuimus,& ordinamus, quod nullus noſter Ciuis, ſeu diſtrictualis vẽdere posſit alicui extraneo, aliquam poſſeſsionem poſitam in tenimento noſtro Vrbeuetano, ad pœnam ducentorũ ducatorũ, & perditionis rei uenditæ,pro medietate applicandorum pro acconcimine Portæ Viuarię, & ſtratarum, & pro alia medietate Fabricæ . S. Mariæ Maioris: & talis venditio ſit irrita ipſo iure, & ipſa poſſeſsio Communi Vrbeuetano applicetur; & ſi quis extraneus in præteritum emiſſet aliquam poſſeſsionem, quæ eſſet prope confinia noſtri tenimẽti per medium miliare intus tenimentum, teneatur ipſam uẽdere infra trienniũ Ciui noſtro pro conuenienti præcio, ad æſtimationem duorum declarando; quod ſi non fecerit, de dicta eius poſſeſsione totaliter ſit priuatus, & Communi Vrbeuetano applicetur.

Quod ſi Paterfamilias maior quatuordecim annis contraxerit coram Iudice, contractus teneat. Rub. LXXVIII.

SI quis Pater familias maior quatuordecim annis, & minor uigintiquinque, contractum aliquem fecerit coram Iudice Communis Vrbiſueteris, & cum eius authoritate & decreto, talis contractus valeat, & teneat ac ſi Curatorem habuerit, & eius authoritas interuenirét: & hoc locum habeat, ſiue Curatorem habuerit, ſiue non, & geſta per eos non posſint irritari occaſione minoris ętatis, & nec de geſtis per eos, vt prętmittitur, posſint petere reſtitutionem in integrum ex dicta cauſa.

Quod contractus Filij familias non teneat, niſi publice negociaretur. Rub. LXXVIIII.

SI Filius familias contractum fecerit, talis contractus non teneat, niſi publice negociaretur, uel niſi fecerit de uoluntate, & mandato Patris; & ſi Filius familias maior uigintiquatuor annis, fuerit condemnatus

demnatus in aliqua cauſa criminali, talis condemnatio ualeat, & teneat.

De Famulis certa mercede conductis. Rub. LXXX.

SI quis, uel ſi qua, certa mercede conductus, aut conducta, infra tempus locationis diſcederet, & nõ rediret ad Dominum, ad petitionem ipſius, perdat ſalarium ſuum totum, & nulla perſona contra voluntatem talis Domini, poſſit ipſum, uel ipſam tenere infra tẽpus ſuæ locationis; & Poteſtas, & Curia obſeruet, & obſeruari faciat omnia pacta, & conuentiones legitimas, inter dictos Dominos, & Famulos.

Contra illos, quibus eſt bonis interdictum. Rub. LXXXI.

POteſtas teneatur vinculo iuramẽti, infra menſem, in principio ſui regiminis, publice banniri facere per Ciuitatẽ in locis cõſuetis, quod omnes illi, quibus eſt bonis interdictum, ueniant coram domino Poteſtate, & ſcribantur nomina talium per Notarium reformationum; & ſi quis non reperiretur ſcriptus, infra terminum aſſignatum, manu dicti Notarij, tale interdictum non obſit Creditoribus, nec illis, qui pro eo eſſent obligati.

Quod qui laborauerit in maeſe, laboret in culte. Rub. LXXXII.

LAborator qui laborauerit, & ſeminauerit terram alicuius in maeſe, teneatur eam ſeminare in culte, ſi fuerit de uoluntate Domini terræ, ſub pœna centum ſolidorum, & damnum emendet Domino terrę, ad æſtimationem duorum hominum de contrata: & quicunq; laborauerit partem terrę conductę, & malitioſe partem aliquam dimiſerit, & non laborauerit, emendet damnum Domino campi de illa parte, quam non laboraret, ad ęſtimationem duorum hominum contratę, & ſoluat quatraginta ſolidos pro pœna, & pars Laboratoris, fructuum terræ laboratæ, remaneat in ſequeſtro. Item ſi Laborator alicuius, uel aliquis de ſua familia extraxerit, uel extrahi fecerit bladum de terra quam habet ad laboritium, ſine licentia, & requiſitione Domini terrę quam labora-

laborauerit, uel illius, à quo habet ad laboritium, puniatur pœna decem librarũ denariorum, & damnum emendet illi, à quo habet dictam terram, uel ſuis hæredibus ſuo ſacramento, & ſufficiat Domino probare bladum non eſſe in dicta poſſeſsione, & fuiſſe extractum.

De illis qui conduxerint ſiluas ad ſtirpandum. Rub. LXXXIII.

SI quis ſiluas ad ſtirpãdum, ſeú diroiandum conduxerit, & non ſtirpauerit eam per totum menſem Auguſti, amittat totum ſtirpatum, & diroiatum, niſi fuerit infirmitate, vel legitimo impedimento impeditus, ſaluis tamen pactis factis inter Dominum, & conductorem.

Quod Paſtinarius perdat poſtitium, ſi non laborauerit congruo tempore. Rub. LXXXIIII.

SI Paſtinarius non laborauerit congruo tempore poſtitium bona fide, non potando, non ligando, uel non palando, uel non zappando, uel non occando congruo tempore, perdat poſtitium, ſed defectu trium, uel quatuor operarum tantum, teneatur ad emendationem damni, & non perdat poſtitium, & teneatur Paſtinarius aduineare totam vineam, quam habet ad Poſtitium, infra annum, poſt denunciationem ſibi factam à Domino, alioquin totum perdat poſtitiũ; & ſi aliquis Paſtinarius habuerit rem ſuam propriam cum poſtitio, & ſupraprehenderit de terra poſtitij, perdat poſtitiũ, & tenimentũ totũ, & ſupraprehẽſam reſtituat, & in decem libris puniatur, & Paſtinarij uinearum colligant oliuas, & alias arbores, & reddant de fructibus medietatem Domino, & quando Paſtinarius uoluerit colligere prædicta, teneatur dicere Domino ut eat, uel mittat ad uidendum, & ſi non iuerit, uel miſerit, liceat ei colligere, & Paſtinarius incidat in pœnam uiginti ſolidorum qualibet uice qua contrafecerit, & emendet damnum ſacramento Domini prædicti; & Paſtinarij teneantur deferre medietatem muſti puri, quando Domino placuerit in Ciuitate: Et ſi Paſtinarius inciſerit arbores, niſi pro palis faciẽdis, Domino inrequiſito, emendet Domino duplũ valoris arboris inciſę, Et ſine uolũtate Domini nõ ſeminet in poſtitio ꝑ ſe, uel aliũ aliquod bladũ, linũ, uel canapim, uel aliquid quod noceat poſtitio, ad pœnã uiginti ſolidorũ, & perdat ꝙ ſeminauerit; de eo autẽ ꝙ ſeminatũ eſt cõtra uolũtatẽ Domini in poſtitio, teneatur reddere medietatẽ. Et idem intelligatur de laborãtibus hortos, videlicet,

qui aliquid ſeminant in ipſis. Et omnia prędicta quæ in paſtinarijs dicta ſunt, locum habeant in laboratoribus vinearum alienarum, ſaluis tamen in prædictis, pactis, & conuentionibus factis inter Partes. Quicũque laborauerit, ſeu ad penſionem habuerit aliquam uineam, poſtitiũ hortum, ſeu terram, teneatur ibidem plantare quolibet anno tres arbores domeſticas, ad inſtantiam, & requiſitionem Domini, ad pœnam decem ſolidorum pro qualibet arbore deficiente, & ſtetur ſacramẽto Domini rei, & paſtinarij, & laboratores teneãtur potare uineas, & zappare per totum menſem Martij, & palare, & occare per totum menſem Aprilis, & Maij: Quod ſi non fecerit paſtinarius perdat poſtitium, & laborator laboritium, & teneantur vineas bene claudere, ad pœnam viginti ſolidorum.

Quod Poteſtas ſeruet, & ſeruari faciat pacta, & conuentiones inter Dominos, & manentes. *Rub. LXXXV.*

POteſtas & Curia obſeruent, & obſeruari faciant omnia pacta, & conuentiones factas, & fiendas legitimas inter Dominos, & manentes, & nihilominus qui non obſeruauerit, in centum ſolidis puniatur, & damnum paſſo emendet. Et Famulus qui per certum tempus promiſerit ſtare cum aliquo, teneatur ipſum tempus perficere, & in licentiatus diſcedens, perdat ſalarium ſuum totum, & durante dicto tẽpore nõ poſſit ſe cum alio conducere, nec alicui liceat ipſum in Famulum acceptare.

De permutatione facta cum aliquo extraneo, ab homine noſtræ Iuriſdictioni ſubiecto. *Rub. LXXXVI.*

SI quis fecerit uel faciet permutationem aliquarum rerum cum aliqua Eccleſia, uel Prælato eius, & ille qui permutationẽ fecit, uel eius hæres vendiderit res, quas ab Eccleſia recepit, alicui noſtro Ciui, vel Comitatenſi, emptor habeat poſſesſiones illas, & poſſideat liberas, & expeditas, & abſolutas, & de ipſis ab Eccleſia illa non debeat moleſtari; Ita quod ſi quis noſtræ iuriſdictionis permutauit, ſeu permutabit cum aliquo extraneo aliquam rem mobilem, & res dicto noſtro Ciui in cambium data, fuerit moleſtata, ille Comitatẽſis rem quam dedit recuperare poſſit propria authoritate ſine pœna, & iuris ordine prætermiſſo, & ſi quis in re prędicta prætenderet aliquod ius habere, ſeruetur idem.

De ſoc-

De ſoccita facta cum Ruſtico. *Rub. LXXXVII.*

QVicunque habuit, vel habuerit ſoccitam cum aliquo ruſtico, vel manente, & Dominus ruſtici, uel aliquis alius, beſtiam, ſeu beſtias, quæ datæ erunt in ſoccitam, aliqua ex cauſa abſtulerit, & probatum fuerit quod habuerit dictam ſoccitam cum dicto ruſtico, uel manente, declaratione facta, partem dictarum beſtiarum, quæ declarata ſic fuerit, qui beſtias abſtulerit, reſtituere teneatur, ad pœnã decem librarũ, medietas cuius pœnæ ſit Communis, & alia Socij, & nihilominus partem dictarum beſtiarum reſtituere teneatur.

Quando Contractus præſumuntur ſimulati. *Rub. LXXXVIII.*

OMnis contractus, & alienatio rei alicuius factæ, uel quæ fieret in futurũ, ſimulatus, uel ſimulata præſumatur, & habeatur, ſi alienator poſt contractum, uel alienationem per ſe, uel aliũ pro eo, rem alienatam inuentus fuerit poſſidere, ſeu fructus ex ea percipere; & talis contractus, & alienationes pro caſſis, & irritis habeantur, & non ualeãt ipſo iure, & pro ipſa re alienata teneatur, tamquam poſſeſſor, omnibus reſpondere, non obſtante ſi in contractu venditionis, uel alienationis, talis poſſeſſor ſe nomine emptoris conſtituerit poſſidere, uel aliquo contractu locationis cum emptore.

De Iure congrui. *Rub. LXXXIX.*

STatuimus, & ordinamus, quod in poſterum nemini liceat modo aliquo uendere aliqua bona ſtabilia ubicunque poſita, & exiſtentia, niſi primo requiſito proximiore conuicino ſi bona prędicta emere uellet, & hoc non ſeruato, ſi bona prędicta per aliquem, ſeu aliquos uendita forent, uẽditiones prædictę nullæ ſint, & nullum poſſint ſortiri effectum. Et ſi aliquis vendiderit rem ſtabilem, proximiore conuicino in requiſito, quod ſtatim facta venditione, proximior conuicinus poſſit cogere uenditorem, & emptorem ad retrouendendum dictam rẽ uẽditã pro eodem pręcio, & eidem proximiori conuicino, facto actuali depoſito de præcio rei venditæ, liceat accipere poſſeſſionem. Et in euentũ in quẽ fraudolẽter aliquis uẽdiderit rẽ ſuã ſtabilẽ, vltra iuſtũ, & cõuenies pręciũ, uidelicet, ſi ĩ inſtrumẽto diceret uẽdidiſſe pluris quã in ueritate habuerit, uel uẽdiderit, ꝙ tũc uẽditor, & emptor incidãt in pœnã quinquaginta ſcutorũ pro quolibet, Fabricę Palatij Cõſeruatoralis applicãdorũ pro dimidia, pro quarta Executori, & pro reſiduo Accuſatori

& nihilominus uenditio ſit ipſo iure nulla. Et ſi uenditor requiſiuerit conuicinum, teneatur ipſe conuicinus declarare mẽtem ſuam infra octo dies, an uelit emere, nec ne, & ſi non declarauerit, elapſo dicto termino, poſſit cui placuerit vendere: Notificatio autem, & requiſitio facienda vicinis debeat fieri in iudicio, & continere rem certam, quę ſit vendenda, & præcium certum, & quod venditio non facta dicta notificatione, uel facta, alio ſtatuto, & conuento pręcio, quam fuerit in requiſitione expreſſum, non valeat, nec teneat, & à die notificationis factæ in iudicio, debeant currere octo dies, ut ſupra. Volumus autẽ quod uenditor omnino teneatur, & debeat requirere, & interpellare in iudicio conuicinos iuxta modum, & formam deſuper traditam; & proximiori conuicino emere volenti, ordine ſucceſsiuo, res uendenda debita ſit, & concedatur, ita ut ſi intra decem annorum ſpacium, à die factę venditionis computãdum, de dicta requiſitione, & interpellatione nõ doceatur, poſsit, & ei licitum ſit, intra dicti temporis ſpacium, conuicinus proximior dictam rem uenditam à quocunque, vt ſupra, retrahere, nulla admiſſa allegatione, & diſcusſione ſcientiæ pręſumptæ, ſeu expreſſæ. Et vt uicinus cui retrahendi ius eſt quæſitum, & cõpetit, certior reddi poſsit de facta venditione rei uenditæ, ac de illius præcio, & pactis appoſitis, poſsit, & ei licitum ſit in iudicio (infra tamen dicti decẽnij tempora) interrogare dictæ rei uenditæ, & alienatæ poſſeſſorem, & detentorem quo titulo teneat, & poſsideat, qui poſſeſſor, & detẽtor teneatur, & debeat ſtatim, antequam iudicij locum, uel Iudicis præſentiam exeat, medio iuramento, pure, & ſimpliciter reſpondere, & de titulo docere, inſtrumento, & nomine Notarij, & ipſo reſpondere recuſante, uel contumace exiſtente, habeatur ac ſi de uenditione liquido conſtaret, & facta obligatione, & oblatione de ſoluendo præcium æſtimandum per homines communiter eligẽdos, poſſit uicinus, ſuis loco, & tempore retrahere, facto demum actuali depoſito de præcio poſtmodum æſtimato; ipſis uero eligere recuſantibus, uel in caſu diſcordiæ, poſsit, & debeat Iudex ex officio eligere homines, qui debeãt ęſtimare: Verumtamen ſi in futurum detegeretur pręciũ conuentum inter primos uenditorem, & emptorem minus eſſe, quam fuerit æſtimatum, Iudex tunc ſummarię, & de plano, & ſola facti ueritate inſpecta poſsit, & debeat compellere poſſeſſorem, & detentorem ad reſtituendum portionem excedentem pręcium conuentum, & nihilominus teneantur emptor, & uenditor ad pœnam ſupradictam, applicandam, ut ſupra. Elapſo autem decennio, à die factæ uenditionis, & alienationis computando ut ſupra, ſtatuimus, & declaramus, quod quiſpiam uicinorum, qui intra tale tempus non retraxerit, ulterius non admittatur ad

retra-

retrahendum, ſiue fuerit requiſitus, ſiue non, ſiue ſciuerit, ſiue ignorauerit, ſed intelligatur pręſcriptum, & ſit omne ius retrahēdi extinctum, aliqua notificationis, & interpellationis omisſione non obſtante.

Et quoniam frequēter cōtingit præmiſsis diſpoſitionibus uim, fraudes, & deluſiones multipliciter fieri, pręſertim per uiam permutationis, & donationis, cum inde ad modicum temporis ſpacium, poſt initā permutationem, & factam donationem, eedem res in permutationem datæ, & donatæ ad dantem, & donantem redeant, & reuertantur ſub uario, & quęſito colore, Occurrentes hominum malicijs dicimus, & declaramus, qud si huiuſmodi res ſtabiles, quæ permutationis titulo dantur, uel donantur ex quocumque titulo, & cauſa, (excepta tamen cauſa ultimæ uoluntatis) ante quatriennij lapſum, reperiantur reuerſæ ad manus, & in dominium illius, qui in permutationem dederat, uel donauerat, uel eorum hæredum, talis permutatio, & donatio, sit, & eſſe intelligatur ſimulate facta, & nulla, & in fraudem præſentis ordinationis, & quod proximior conuicinus, in ſuo caſu, poſsit rem sic reuerſam retrahere pro præcio æſtimando, si non conſtet de præcio conuēto, ut ſupra, Volentes in tali caſu per huiusmodi breuem reditum ad dātem, & permutantem, fraudem pręſumi, cenſerique detectam, & probatam.

De exceptione præſcriptionis perſonalium actionum. Rub. LXXXX.

AD obuiandum fraudibus, & ne bis idem creditum exigatur, ſtatuimus, & ordinamus, quod si quis, ceſſante legitimo impedimento, ſteterit per annos decem, quod non petierit creditum ſuum, quod habere, & probrare intendit per teſtes, ſeu priuatam ſcripturam, etiam per libros Mercatorum, quod talis ſcriptura pręſumatur fictitia, & ſimulata, & in omnem euentum debitum præſumatur ſolutum, & agens non audiatur.

De Molendinis. Rub. LXXXXI.

QVoniam publice intereſt conſtructiones Molendinorum nō impediri, ſtatuimus, & ordinamus, licitum eſſe, & vnicuique permiſſum, Molendinum ędificare uolenti, pro aqua ad Molendinū ducenda, per poſſeſsiones, & terras alterius formas facere, & per eas aquam

aquam ducere per loca tamen arbitrio Peritorum minus damnoſa, ita tamẽ quod Dominus poſſeſſionis cõſeruetur indemnis, & ſtet in eius arbitrio an uelit uendere ædificanti, & aquam ducenti, partes per formam occupatas, aut totam poſſeſſionem, & hoc æſtimatione præcedẽte per duos homines communiter eligendos.

De Arredio, & Dotis interuſurio. Rub. LXXXXII.

STatuimus, & ordinamus, quod ubi arredium promiſſum appareret tam per dotale inſtrumentum, quam per quamlibet aliam ſcripturã & conuentionem, & diffinitum non eſſet, promiſſum, & taxatum ſit, & eſſe intelligatur ad rationem quinque pro centenario dotis promiſſę, ita ut ſi arredium promiſſum eſſe non appareat, ullo pacto pręten di, & peti non poſſit; eſtendentes etiam taxationem præmiſſam ad rationem quinque pro centenario, pro interuſurio dotium, infra debitos & conuentos terminos, non ſolutarum matrimonio conſtante, ad inte ruſuriũ dotiũ, reſpectu retardatę reſtitutionis, ſoluto matrimonio, Mulieri ſuperſtiti, alias tamẽ de iure debitum, nec aliter interuſuria prędicta, & arrediũ, quã ut ſupra præmiſſa, & taxata prętendi, & exigi poſſint.

De Parietibus communicandis. Rub. LXXXXIII.

STatuimus, & ordinamus, quod ſi quis uoluerit ædificare, in, uel ſuper aliquo ſuo terreno, & uoluerit muro uicini adherere, uel trabes, & tigna immittere, & alia facere, quæ fieri poſſunt in muro communi, & offerat expenſas pro dimidia dicti muri, ſi murus non eſſet ſufficiẽs ad onera, arbitrio Peritorum, non audiatur talis ędificare uolẽs, nec tali muro ualeat adherere, nisi ultra dimidium ualoris totius muri, (quod ante omnia ſoluere, & exburſare debeat) roboret etiam ſuis ſũtibus murum prædictum murellis, cruſtis, & alijs ædificijs, arbitrio Peritorum, ita quod reddatur ſufficiens ad onera ſubſtinenda, & ultra æſtimationẽ dicti muri, ſeu partis in ſuo caſu teneatur adherere volẽs, & trabes immittere, ut ſupra, ſupplere ad rationẽ decem ſcutorum pro cẽtenario: & si non toti muro conuicini, ſed parti adherere uellet, non cogatur ſoluere reſtaurum, & expenſas, cum illo pluri de decem pro centenario, nisi pro illa parte, quàm de dicto muro cõprehẽderet, & pro illa tantum parte reficere, & munire teneatur dictum murum, quatenus, ut ſupra, arbitrio Peritorũ, opus eſſet: Et hoc dũmodo luminibus Domini muri non officiatur, si lumina aliunde commode haberi nõ poſſint: & prædicta locum habeãt in futuris, non autem in pręteritis, aut in pendentijs litium.

LIBER

STATVTORVM VRBISVETERIS

LIBER TERTIVS MALEFICIORVM.

De officio Iudicis. Rub. prima.

QVoniam procliuis eſt hominum curſus ad uoIuptates,& Natura imitatrix vitiorum, quæ niſi per Iudices pœnis debitis compeſcãtur, pullulãt,& Ciuitates deducunt ſæpiſsime in ruuinam: Ideo hac ſaluberrima lege ſancimus,quod Iudex maleficiorũ habeat iurisdictionem , & merũ imperium in omnibus & ſingulis maleficijs,& delictis, ac etiam de omnibus & ſingulis maleficijs criminalibus , & delictis commiſsis , & quæ in futurum committerentur in Ciuitate,Comitatu,& diſtrictu Vrbeuetano,tam ex ſuo officio,quam etiam per denunciationem cuiuslibet denunciãtis, dummodo pœna eſſet imponenda decem librarum denariorum , & abinde ſupra per inquiſitionem procedere, exceptis dumtaxat delictis infraſcriptis , & in infraſcriptis caſibus , uidelicet; Quod de maleficijs & delictis commiſsis,& quæ committerẽtur per aliquem Popularem, vel Artificem dictę Ciuitatis,& de dicto delicto,ſeu maleficio veniret pœna imponenda decem librarum,uel abinde infra, non poſsit per inquiſitionẽ procedi, ſed per accuſam tantum;Et exceptis adulterio,inceſtu, ſtupro cum Mulieribus; etiam exceptis maleficijs commiſsis per annum ante principium ſui regiminis ; poſtea uero excepto crimine proditionis cõtra Commune noſtrum, de quo poſsit perpetuo procedi ſecundum iuris diſpoſitionem, procedi non poſsit per inquiſitionem; & exceptis delictis commiſsis per minorem tredecim annorum,& delictis cõmiſsis inter Virum , & Vxorem,& inter cõſanguineos , & attinentes quoſcunque,& affines uſque in tertium gradum incluſiue, ſecũdum Ius Canonicum computandum:In quibus omnibus procedi poſsit per accuſationem tantum productam per iniuriã paſsum, exceptis homicidio,oſsium fractura, membri debilitatione , & uulnere cum enormi cicatrice in facie , in quibus poſsit per inquiſitionem procedere contra quoſcunque committentes , ac etiam poſsit & debeat de omnibus & ſingulis criminibus & delictis per inquiſitionẽ procedere,& si fuerit negligens in prędictis,uel aliquo prędictorũ, ipſo facto incurrat pœnam centum librarum: & teneatur dictus Iudex

copiam

copiam totius inquiſitionis formatæ,& totius accuſationis productæ, inter duos dies à die incohationis, uel productionis, mittere copiã ad Cameram DD. Conſeruatorum dictæ Ciuitatis apud Cancellariũ qui pro tempore fuerit, ſub pœna medietatis eius quantitatis quę ueniret pro delicto, ſeu delictis in accuſatione,uel inquiſitione deductis impo nenda,ſi ueniret pœna perſonalis imponenda,incurrat pœnam quingẽ tarum librarũ,& teneatur Iudex expedireproceſſum contra contumaces infra menſem,à die inchoati proceſſus per ſentẽtiam diffinitiuam; in comparentes uero infra quatraginta dies, à die reſponſionis factę ſu per accuſam, uel inquiſitionẽ, niſi in proceſſu opponatur quæſtio falſitatis teſtium, uel inſtrumentorum, quæ ſi fuerit incidenter oppoſita, debeat expediri infra menſem à die dictę oppoſitionis incidenter factæ.

Qualiter procedatur in delictis contra contumaces. Rub II.

QVia omne iudicium incipit à citatione, Ideo ſtatuimus, & ordinamus quod ſi contra aliquem formata inquiſitio,uel accuſatio producta,& accuſatus, uel inquiſitus fuerit Ciuis, uel alius habitator noſtræ Ciuitatis,quod debeat citari cum cedula continente totum maleficium, uel delictum cum omnibus qualitatibus de quibus procederetur contra eum, cum termino trium dierum à die citationis de eo factæ, quæ ſemel tantum fieri ſufficiat si perſonaliter fuerit inuẽ tus, ſin autem citetur domi bis ſemper cum cedula ſupradicti tenoris, & cum ſupradictis terminis; & elapſo dicto unico termino quando fue rit perſonaliter inuẽtus, uel elapſis dictis duobus terminis, quando nõ fueritt perſonaliter inuentus,& non comparuerit legitime,ponatur in banno per publicum Prçconem communis Vrbiſueteris ad Logiam Palatij reſidentię Officialis prçcedentis,in quo banno exprimatur nomẽ, prænomen,ſeu cognomen accuſati,ſeu inquiſiti, & totum delictum, & pœna imponenda pro delicto, cum termino trium dierum ad comparendum: ſi autem fuerit Comitatiuus, diſtrictualis, uel alius habitãs in Comitatu,uel diſtrictu Vrbiſueteris, ſemel tantum perſonaliter, vel ad domum habitationis citati,uel ad ianuam Caſtri in quo habitauerit cum cedula ſupradictæ continentiæ,cum termino quinque dierum, & ſi contumax fuerit, ponatur in banno ut ſupra dictum eſt cum proximo termino ſupradicto: Si vero fuerit Ciuis forenſis,uel alius non habitãs in Ciui-

in Ciuitate, Comitatu, vel Diſtrictu citetur ſemel cum cedula ſupradicti tenoris affixa in porta Palatij reſidentiæ prædicti Officialis, & terminus asſignetur ſecundum loci diſtantiam arbitrio Iudicis, & ſimiliter ponatur in banno, vt ſupra dictum eſt, cum termino arbitrio Iudicis ſtatuendo. Et in omnibus ſupradictis citationibus, Nuncius debeat cedulam relaxare citato, ſi perſonaliter inuentus fuerit, uel domi ipſius Rei, uel in porta Caſtri, uel Palatij affixam, quando Reus non habitauerit, cum præſentia duorum teſtium Ciuium Vrbeuetanorum, quorum teſtium nomina, ſeu cognomina in relatione Nuncij ſcribantur: Et elapſo termino banni, Reus qui non comparuerit habeatur pro confeſſo omnia & ſingula in accuſatione, ſeu inquiſitione contenta, & feratur diffinitiua ſententia contra eum, posſit tamen Reus poſt terminum banni elapſum, ante ſententiam comparere, dummodo ſoluerit Camerario Communis, ante ſuam reſponſionem, quatraginta ſolidos, & aliter non audiatur.

Qualiter procedatur in delictis contra Reum comparentem. Rub. III.

STatuerunt, & ordinauerunt quod ſi Reus accuſatus, uel inquiſitus ad mandata Iudicis comparuerit, & reſpondere accuſationi, uel inquiſitioni voluerit, dato eidem prius corporali iuramento per Iudicem de veritate dicenda, reſpondere teneatur accuſationi, uel inquiſitioni ſimpliciter confitendo, uel negando, & omnes exceptiones tam dilatorię, quam peremptorię intelligantur & ſint, taliter reſpondenti, omnimodo reſeruatæ: Et poſt dictam reſponſionem, Reus teneatur incontinenti ſatisdare de iudicio ſiſti cum idoneis fideiusſionibus, vno uel pluribus, approbato uel approbatis per Cameram Communis, ſi poterit fideiuſſores pręſtare, uel depoſitum facere pœnes Camerarium de tota pœna imponenda, & pœna imponenda eſſet pecuniaria, & præſtita ſatisdatione prædicta, uel facto depoſito prædicto, nõ posſit detineri occaſione dicti proceſſus, niſi poſt publicationem proceſſus contra Reum qui negauit, appareant legitima indicia, quibus posſit torqueri ſecundum formam Statutorũ: Et quãdo appareret legitima indicia, citetur cũ cedula dictus accuſatus, uel inquiſitus, in qua appareat quod cũ appareant legitima indi-

tia contra eum de proceſſu per eum negato, quod compareat ad conſi tēdū ipſum delictum, ſeu delicta, in quo uel quibus appareant legitima inditia, uel ad ſubiciendum ſe torturę, quod ſi non fecerit infra terminum quinque dierum, & fuerit perſonaliter citatus, uel ſi fuerit domi citatus, citetur iterū cum cedula continēte dictum effectum, & ſi in dictis terminis non comparuerit, habeatur pro confeſſo & conuicto; Si uero comparuerit, & uoluerit ſe ſubicere torturæ, ſecundum iuris diſpoſitionem, & ſecundum indicia procedatur, & in omnem caſum per quem ueniret pœna corporalis imponenda in defectum pecuniariæ, præſtita ſatisdatione, uel dato depoſito, accuſatus, uel inquiſitus non poſſit detineri, niſi modo ſupraſcripto: Et Iudex poſt dictam reſponſionem, & ſatisdationem aſſignet Partibus terminum decem dierum, uel plurium arbitrio Iudicis, ad probandum, & probatum habendum incumbentia, per omnem ſpeciem probationis, quo termino elapſo ſi nihil fuerit oppoſitum, feratur ſententia; & ſi non potuerit dictam ſatisdationem pręſtare, quia fideiuſſores non inuenerit, uel depoſitum non fecerit, ut ſupra dictum eſt, uel quia pœna imponenda eſſet corporalis ſimpliciter, uel ſub conditione, reuertatur ad carceres Communis, & inde nō debeat relaxari donec fuerit integraliter abſolutus, aut condemnatus, & ſententia integraliter executioni mandata; Et Notarius maleficiorum teneatur facere copiam, deſcribendo omnia acta cuicunque petenti, ad pœnam quinquanginta librarū denariorū pro qualibet uice qua contrafecerit, ſoluendam omnimodo; Et quod dictum eſt in fideiuſſore pręſtando per Reum, eadem ratio ſit & eſſe intelligatur in Accuſatore, & Reo cōparēte ſequatur proceſſus in forma cū publicatione proceſſus, & alijs quę requiruntur, quę pectori Iudicantis relinquātur, dummodo cauſa, & proceſſus expediatur, pro ut ſupra extitit declaratum in primo maleficiorum Statuto: Si in prędictis, uel aliquo prædictorum, dicti Officiales fuerint negligentes, & remiſſi, de tali negligentia syndicentur, & reperti culpabiles, pœnas imponendas delinquentibus incurrant, & ſoluere teneantur, non obſtante quod aliqua dictarum ſolemnitatum fuerit omiſſa, uel aliqua non obſeruata.

De pœna

De pœna imponenda Anterionibus, & Syndicis Communitatis, non deferentibus maleficia. Rub. IIII.

NE maleficia occultentur, & ne remaneant impunita ſtatuimus, & ordinamus quod ſi quod delictum commiſſum fuerit in Ciuitate Vrbeuetana, burgis, & ſub burgis eiusdem per aliquos cuiuſcunque gradus, conditionis, & ſtatus exiſtāt, contra aliquem in perſona, uel rebus, quod tunc Anteriones regionis in qua maleficiū cō miſſum fuerit, infra octo dies à die commiſsi maleficij teneantur, & debeant uinculo iuramenti, & pœna decem librarū, & maiori pœna arbitrio Officialis auferenda, inſpecta qualitate delicti, oretenus tantum denunciare, & reuelare ſupradictis Officialibus, & eorum Curijs dicta maleficia, ſeu delicta commiſſa, cum teſtibus qui interfuerunt delicto: Si autem dictis Anterionibus fuerit proteſtatum, à die proteſtationis factę, infra tres dies teneantur, & debeāt ſub pœna uigintiquinque librarū pro quolibet delicto referre, apportare, & denunciare, ut ſupra dictum eſt, ſupradictis Officialibus, & eorum Curijs; & quod ſic teneā tur facere Anteriones, banniri facere teneantur Officiales Vrbeuetani in primo menſe regiminis eorum, poſt quod bannimentum teneantur, & obligentur ad prædicta Anteriones prædicti, & non ante: Et quia qui ſentit onus, ſentire debet & commodum, decreuerunt quod ſupradicti Anteriones ſint & eſſe intelligantur exempti, & immunes ab omni onere perſonali, uidelicet à cuſtodijs Portæ, caualcata, & his ſimilibus, in quibus, uel ad quæ onera nullo aliquo quęſito colore, uel ingenio facienda cogantur per aliquos Officiales, Et ſi quis Officialis in prędictis cōtrafecerit, decem librarū pœna uice qualibet puniatur: Si autem delictum aliquod commiſſum fuerit, uel perpetratum in Comitatu Vrbeuetano, vel diſtrictu, quod Syndici pleberiorum Comitatus, & diſtrictus Ciuitatis prædictæ teneantur, & debeant uinculo iuramenti, & pœna decem librarū pro quolibet Syndico, maleficia, & delicta in eorum Pleberio, Caſtro, Villa, uel Vniuerſitate infra octo dies denunciare, & referre in ſcriptis, prædictis Officialibus à die maleficij commiſſi computandos, cum loco, tempore, & teſtibus qui interfuerunt delicto, & alijs comitanſijs: Si autem dictis Syndicis denunciatum, & proteſtatum fuerit tale delictum fore commiſſum, & nō reportauerint, & denunciauerint, ut ſupra dictum eſt, dic

tis Officialibus infra quatuor dies à die proteſtationis factæ, quod tũc in pœnam uigintiquinque librarũ ipsi Syndici incurrant ipſo facto, & nihilominus denunciare teneantur ſub dicta pœna.

De mitigatione pœnarum. Rub. V.

SI quis accuſatus, denunciatus, uel inquisitus in ſua prima excuſatione pure, & simpliciter delictum commiſſum, fuerit confeſſus, quarta pars pœnæ pecuniarię imponendę ei remittatur; & si pacem habuerit ab offenſo, uel eius hæredibus, & pacem ipſam in publicã formam ante ſententiam produxerit coram Iudice, siue Officialibus de maleficio, & delicto cognoſcentibus, alia quarta pars pœnæ originalis tollatur, & remittatur eidem: & si quis condemnatus, ſuam condẽnationem pecuniariam ſoluerit Camerario Communis infra decẽ dies à die latę ſententię condemnationis, si à tali ſententia non fuerit appellatum, & si fuerit appellatum infra decem dies, à die ſententiæ latæ per Iudicem appellationum primam confirmantẽ, remittatur quarta pars condemnationis eidem; & si infra dictos decem dies ſuam cõdemnationem non ſoluerit, ſoluat, & ſoluere teneatur & debeat duos ſolidos pro qualibet libra, ultra condemnationem de eo factam.

In quibus caſibus pœnæ duplicentur. Rub. VI.

DElinquentibus, & delicta committentibus in infraſcriptis locis, & temporibus, pœnæ ſtatutæ pro ipsis duplicentur, & duplicari debeant: Si commiſſa fuerint in noſtra uenerabili Eccleſia Cathedrali, iuxta, & prope per triginta pedes, & in tota platea dictę Eccleſiæ, & in quacunque alia Eccleſia, in Palatio alicuius Officialis, tam Officialis Ciuis, quam forenſis, in platea maiori, & Populi, in Conſilio ſeu parlamẽto, exercitu, hoſte, ſeu caualcata, nuptijs, ſeu ſponſalitijs, in luctu ſeu funere alicuius defuncti, uel quando iretur ad Conſilium ſeu parlamentum, vel quando iretur, ſeu rediretur pro ambaſciata Communis, uel quãdo Aduocati, & Procuratores accederent ad Palatia Officialium, uel cum redirẽt domum habitationis, uel in Apotheca propria offenſi, vel conducta, iuxta & prope per quatraginta pedes, & in alia quacunque poſſe offenſi, de nocte poſt ſonum cãpanę quæ pulſatur de ſero pro pœnis duplicandis, & ante ſonum campanæ quę pulſatur

ſatur pro die in aurora diei, in feſtiuitatibus, & indulgentijs noſtris, videlicet Corporis Chriſti, & Sancti Britij de menſe Nouembris, & in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, videlicet in vigilia cum tribus diebus ſequentibus, in die Palmarum cum tota integra hebdomada ſancta, In feſto aſſumptionis B. Mariæ Virginis de menſe Auguſti cũ duobus diebus præcedentibus, & duobus ſequentibus, & in diebus in quibus Nundinę ſeruarentur, in feſto carnis priuij; & pœna ſemel duplicata ex vna dictarum cauſarum, nõ poſsit per aliquam aliam cauſam ulterius augeri, ſiue duplicari.

De pœna non probantis accuſam. Rub. VII.

QVicunque accuſauerit aliquem de aliquo crimine, ex quo pœna mortis principaliter, uel in defectum alicuius conditionis ueniret imponẽda, & ipsã non probauerit, in quinquaginta libris denariorum Cortonenſium accuſans condemnetur: Si autem accuſam porrexerit de aliquo delicto, vel crimine ex quo ſequi deberet principaliter, uel in defectum alicuius conditionis, aliqua pœna corporalis, & non pœna mortis, tunc accuſans condemnetur & puniatur in uigintiquinque libris denariorum: accuſans uero aliquem de priuato carcere, & non probans dictam accuſam, tunc quinquaginta librarum pœna condemnetur & puniatur. In cæteris autem delictis Accuſator non probans, ſi pœna ueniret imponenda pro tali delicto à quinquaginta libris ſupra incluſiue, tunc in quinque libris puniatur; ſi autem imponeretur pœna à quinquaginta libris infra, uſque ad uigintiquinque libras incluſiue, in quatraginta ſolidis puniatur; Si vero pœna ueniret imponenda à uigintiquinque libris infra, in uiginti ſolidis puniatur. Addentes quod ſi Accuſator inuentus fuerit tergiuerſari, & doloſe, & malitioſe non probare, uel non probari facere accuſam porrectam, quod tunc per dictos Officiales dictus Accuſator condemnetur pœnis, & bãno, quibus puniti eſſent accuſati, ſi fuiſſent culpabiles reperti.

De Abolitione concedenda, vel non. Rub. VIII.

QVia primi motus non ſunt in poteſtate hominis, ſtatuimus, & ordinamus quod qui per errorem, iracundiam, uel furorẽ, aliquam accuſam produxerit contra aliquem de aliquo delicto, in quacunque Curia, coram quocunque Officiale Ciuitatis Vrbiſueteris,

quod

quod talis Accuſator poſsit & ei liceat ante ſententiam, primo præſtito corporali iuramento, quod cauſa iracundiæ fecerit, furoris, uel terroris, ſuæ accuſæ renunciare, & eam detrahere: Et hoc locum habeat & obſeruetur in maleficijs, & delictis tantum, in quibus per Statutum imponeretur pœna decē librarū, & abinde infra, primo & ante omnia pro qualibet accuſatione viginti ſolidis ſolutis Camerario dicti Communis: in damnis autem datis, & accuſis damnorum datorum in re propria, uel conducta, & in accuſationibus de turbata poſſeſsione, quātęcunque quantitatis pœna imponeretur, renunciare liceat, & poſsit ſine prædicti iuramenti pręſtatione, & talis renunciatio admittatur, & recipiatur per dictos Officiales quandocunque ante ſententiam, ſolutis primo quindecim ſolidis denariorum pro quolibet accuſato, Camerario ſupraſcripto: In maleficijs uero pro quibus imponitur pœna à decem libris ſupra, renunciatio, ſeu abolitio nullatenus admittatur.

In quibus caſibus quis poſsit poni ad torturam. *Rub. VIIII.*

QVia ſępe Iudices gloriam immoderatæ ſeueritatis affectant, etiā & in leuibus, & iuris ordine non ſeruato ad tormenta prorumpunt, ideo ſtatuerunt quod nullus poſsit poni ad torturam, niſi in delictis, & criminibus infraſcriptis, videlicet in crimine leſę maieſtatis, proditionis, homicidij, furti, rapinę, robariæ, incendij, fracturę oſsis, in debilitatione membri, in uulneribus in facie cum cicatrice, in uitio ſodomitico, in violatione Monialium, in ſacrilegijs, in omnibus delictis commiſsis de nocte, in nocturnis depopulatoribus & uaſtatoribus bonorum, in falſitatibus, in deſtructoribus retractoribus bonorum, in plagiarijs, in aſſaſsinis, & fieri faciētibus aſſaſsinariam, in crimine priuati carceris, ſeu priuatæ detentionis: Et in prædictis delictis ſeu criminibus, nullus poſsit poni ad torturam, niſi præcedentibus legitimis indiciis, quorum inditiorum teneatur dare copiam cuilibet poſtulanti, & terminum competentem quinque dierum, & plus arbitrio Iudicis, ad reprobandum indicia, & ſuper ipſis indicijs allegationes audire teneatur antequam ad torturam deueniat: Et ſi Officialis contrafecerit, puniatur in quingentis libris denariorum in quolibet dictorū caſuum, & credatur de tortura, iuramento tormentati cū quatuor teſtibus de publica uoce & fama, uel per unum idoneum teſtem de uiſu.

De ſen-

De Sententijs ferendis, & modo in ipſis retinendo. Rub. X.

SEntentiæ ſiue corporales, ſiue pecuniariæ ſint, ferantur per Officiales Poteſtatem, uel Capitaneum, in cuius Curia de delicto proceſſum extitit in eorum Palatijs ad ſolitum bancum iuris maleficiorum, hoc ordine, quia per unum diem antea ad Logiam dicti eorum Palatij per Præconem Communis publice banniri faciant, quod quicũque aliquid facere haberet in eorũ Curia pro delictis aliquibus, quod compareat & comparere debeat die ſequenti poſt bannum, hora conſueta ad audiendum ſententias, quæ ſuper ipſis delictis ferri debent, & hoc bannum ſufficiat ad ſententiam audiendum, & die qua ſententiæ ferri debent, de mane per Præconem banniatur Conſilium generale, quod ueniãt hora ſententiarum ferendarum ad ſonum campanæ, quæ campana pulſari debeat ante ſententias ferendas tribus uicibus, ordine, & more cõſuetis: In quo quidem Conſilio, per dictos Officiales sẽtentię ferantur cum præſentia Notarij, Camerarij, & teſtiũ fide dignorum, qui Notarius habeat, & habere debeat à dictis Officialibus in cartis pecudinis, de verbo ad uerbum, in publica forma, copiam dictarũ ſententiarum, quam copiam ad Cameram Communis portet, & dimittat: Et alię ſententię principaliter per Notarium maleficiorum ſcriptæ in carta bombacina, publicatę in publicam formam remaneant, & remanere debeant pœnes dictos Officiales.

De executionibus Sententiarum, per Officiales ferendarum. Rub. XI.

CVm parum eſſet ſententias ferre, niſi debitæ executioni mandarentur, ideo ſancitum eſt, & ordinatum fuit quod Officiales teneantur & debeant omnes ſententias, eorum tempore latas, & etiam præceſſorum, debitę executioni mandare, & ipſas exequi infra viginti dies, poſt decem dies qui in ſententijs apponũtur, numerãdos & computandos, ſi prædicti condemnati pręſtiterint fideiuſſores, uel aliquid haberent de quo dicta executio fieri poſsit, de quibus condemnatis diligens inquiſitio, & diſcuſsio fieri debeat ſi aliquid habent uere: Et in prædictis, uel aliquo prædictorum, ſi Officiales fuerint negligentes, condemnentur in ſimili pœna quam condemnatus ſoluere teneretur; declarantes quod ſupradicti Officiales, ſi infra dictos uiginti dies executionẽ in aliquo caſu, vel cauſa non fecerint, quod teneãtur

ſaltem

ſaltem facere tempore eorum Officij, quam ſi fecerint; media pœna quam incurriſſent propter executionem non factã, dictis Officialibus diminuatur.

De pœna blaſphemantium, & coniurantium Deum, Virginem Mariam, & alios Sanctos. Rub. XII.

QVia per blaſphemias ſubuerſiones terrarum, terræmotus, & pericula humano generi oriuntur, ſtatuerunt, & ordinauerũt quod quicunque blaſphemauerit Deum, aut Glorioſam Virginẽ Mariam, ſeu turpiter maledixerit, pœna uigintiquinque librarũ denariorũ, ſine aliqua diminutione pœnę, uice qualibet puniatur qua blaſphemauerit; Et ſi prædictam pœnam non ſoluerit infra quindecim dies, fuſtigetur per totam terram, & amputetur ei lingua: Si uero alios Sãctos uel Sãctas blaſphemauerit, ſeu maledixerit, puniatur pœna decẽ librarum pro qualibet uice, ſine aliqua diminutione, & ſtetur ſacramento denunciatoris cũ uno teſte bonę famæ in caſibus ſupradictis, & Accuſatori, ſeu Denunciatori teneatur credentia, niſi petens declarari, ſeu nominari teſtem uel teſtes, uelit teſtem uel teſtes reprobare; Et Officiales prædicti ex eorum officio poſsint inuenire prędicta, & teneantur, uinculo iuramenti, inquiſitionem facere ad petitionem cuiuslibet poſtulãtis: ſi uero iurauerit per Corpus, ſeu Sanguinem Chriſti, aut Virginis Mariæ in modum uoti, uel aliter loquendo, ſoluat pro qualibet uice de facto ſolidos uiginti: ſi uero iurauerit per uuluam, & aliud mẽbrum diſpectuoſum Dei, uel Virginis Mariæ, ſoluat pœnam decem librarum de facto pro qualibet uice ſine aliqua diminutione, & credatur & ſtetur iuramento Accuſatoris honeſti, tamen bonę famæ, & teneatur in credentia: ſi uero iurauerit per Sanguinem, ſeu Corpus aliorum Sanctorum, & Sãctarum ſoluat decem ſolidos pro qualibet uice de facto ut ſupra: & prædicti Officiales teneantur & debeant in principio ſui officij banniri facere publice in locis conſuetis dictæ Ciuitatis, & inquiſitionem facere de prædictis, quolibet menſe.

De pœna homicidij, & ueneficij. Rub. XIII.

CVm facies Hominis creata ſit ad ſimilitudinem cœleſtis Maieſtatis, quã extinguere nefas eſt, & ſcelus nefandiſsimum, ſtatuerũt quod ſi quis, uel ſi qua, hominẽ occiderit, uel occidi fecerit, pœna ca-

na capitis puniatur, & omnia bona dicti occiſoris mobilia, & immobilia Communi Vrbeuetano cõfiſcentur, & applicentur, niſi extarent deſcendentes per lineam directam, qui ſi de occiſore fieret iuſtitia, & pœnam capitis ſubſtineret, tunc bona ſupradicta non applicentur Communi, ſed ſolummodo medietas bonorum occiſoris hæredibus occiſi detur & applicetur, alia medietas deſcendentibus relinquatur; Et in omnem caſum detrahantur dotes Mulierum, & alia debita quæ de iure detrahi debent; Addentes & declarantes quod dictus homicida ab omnibus in Ciuitate, Burgis, Comitatu, & Diſtrictu poſsit capi, impediri, arreſtari, detineri, & offendi uſque ad mortem incluſiue, ſine aliqua pœna, & dictum homicidam viuum, ſeu mortuum Curiæ prædictorum Officialium præsẽtare, ſeu notificare trium dierum ſpacio, à die captionis, ſeu mortis de dicto homicida factæ, teneantur: Si autem præſentare, ſeu notificare neglexerint capientes homicidam, uel mortem, ſeu percuſsiones in eum inferentes, tunc & eo caſu dicti tales pœnã centum librarũ pro quolibet, ipſo facto incurrant: Si autem quis auſu temerario diabolico præſumpſerit aliquem veneno occidere, & extinguere, pœna capitis puniatur, & bona ut ſupra applicentur & confiſcentur: Si autem attentauerit ueneno extinguere, & ad actum proximum deuenerit & nõ perfecerit, pœnam quingentarũ librarũ incurrat, quam ſi infra terminum Statutorũ nõ ſoluerit, oculis ambobus excecetur, & priuetur.

De offenſionibus, & percuſsionibus factis cum armis, & lapidibus, & quod liceat percuſſo repercutere percuſſorem ſuum. Rub. XIIII.

VT omnis malitia delinquere uolentibus totaliter auferatur, ſtatuerunt & ordinauerunt, quod ſi quis, vel ſiqua, aliquem percuſſerit ſtudioſe cum cultello, ſpada, falcione, lancea, ſpedo, tripherio, claua ferrata, uel ferrea, manaiola, accepta, beccacenere, bracciaiola, mazza ferrata, zappa ferrea, bidẽte, aliquo ligno malicioſo, vel ferro, uel quibuſcunque alijs generibus armorum malitioſis, ſi in facie & sãguis exierit, ducẽtorũ librarũ pœna puniatur pro qualibet percuſsione & uulnere, & ſi ſignũ uituberabile, & enorme, uel cicatrix remãſerit perpetuo, uel remanſura fuerit in facie dicti percuſsi, quod tunc & in eo caſu pœna duplicetur, de quo ſigno, uel cicatrice ſtetur, & credatur iudicio Officialium, uel Medici Communis eligendi: quam quidẽ pœnã ſi ſoluere nõ poterit in tẽpus ſtatutũ, eidem manus pœnitus amputetur: ſi autem ſanguis non exierit, percutiens cum dictis armis in faciẽ, in centũ libris denariorũ puniatur, & ſi dictã pœnam ſoluere non

X poterit

poterit in tempus limitatum, fuſtigetur per totam Ciuitatem in locis publicis & conſuetis, & ſic fuſtigatus relaxetur ſine pœnę prædictæ ſolutione: Si quis autem percuſſerit in capite, ſeu vulnerauit cum dictis armis cum ſanguine, in centum quinquaginta libris puniatur pro quolibet uulnere & percuſsione; Et ſi oſsis fractura interuenerit, pœna duplicetur, de quo, uerbo Medici ſtetur ut ſupra: Si autem ſine ſãguine in capite cum dictis armis percuſſerit, in ſeptuaginta quinque libris puniatur pro qualibet percuſsione: Addentes quod in omnibus caſibus ſupradictis, fideiuſſores de ſoluendo dari, & præſtari posſint, & acceptati per Officiales, debeãt approbari, ut ſtatutum eſt, per Camerariũ, ita ut Communi perfecte, & effectualiter cautum ſit: si uero oculum, naſum, manum, pedem, maxillam, uel aliud membrum percuſſus amiſerit, percutiens ſeu uulnerans in quadringentis libris denariorum puniatur: Si vero percuſſus digitum, manum, uel pedem, uel aliud offenſum membrum amiſerit, in totum, uel in parte de ipſis debilitatus fuerit, pro quolibet prædictorum in ducentis libris condemnetur: Si uero dentem quis cadere fecerit cum armis prædictis, puniatur in centum libris pro quolibet dente: Si quis autem percuſſerit in alia parte corporis cum prædictis armis, ſi cum ſanguinis effuſione, in centum libris pro qualibet percuſsione puniatur: Si autem cum lapide, baſtone, non ferrato, uel alijs armis percuſſerit in facie cum ſanguine, in libris quinquaginta, ſi ſine ſanguine in libris vigintiquinque: In alijs partibus corporis, Si cum ſanguine in libris vigintiquinque, ſi ſanguis non exierit in libris decem puniatur pro qualibet percuſsione: Si uero liuor ſanguinis interuenerit in ſupradictis caſibus, ſeu quocunque ipſorum, pro ſanguinis effuſione habeatur & reputetur: Volentes & ſtatuentes quod ſi quis proiecerit iniurioſe contra aliquem aliqua arma malitioſa, & apta ad mortem, ſeu percuſsiones graues, & non percuſſerit, quod tunc & eo caſu centum libras nomine pœnæ ſoluere teneatur, & sic ſit & intelligatur de ſagittatione, & baliſtatione cum ſagitta: Si uero baculus, uel lapis proiecti fuerint, tunc proijcientes Iudicis arbitrio puniantur, cõſideratis ſupradictis armis, & perſona delinquente, & iniuriata: Si qua autem perſona cum armis aliquem percuſſerit, & ſtatim fuerit repercuſſa quibuſcunque armis à percuſſo qui poſt rem percuſsit, non ſoluat pœnam: Addentes quod percutientes cum dictis armis, & uulnerantes cũ ſanguinis effuſione, cogantur, teneantur, & debeant omnes expenſas, & medicamenta dicto percuſſo reficere, & reſarcire: Si autem aliquis admenauerit contra aliquem cum dictis armis, puniatur in decem libris.

De pœna

De pœna percutientium ſine armis, & ſpuentium in facie, uel alia parte corporis, & quod liceat percuſſo repercutere percuſſorem. Rub. XV.

VT delicta non remaneant impunita, & pœna cōdigna ſequatur, ſtatuerunt & ordinauerunt quod ſi quis uel ſi qua, manu uacua percuſſerit aliquem in facie, pugno, uel alapa, uel aliter, & ſanguis exierit, pro qualibet percusſione, & ſanguinis tumefactione in uigintiquinqne libris denariorum puniatur; Si uero quis aliquem in facie, ſeu gula percuſſerit manu uacua cum ſanguine, pro qualibet percuſsione pœnam quindecim librarū incurrat, & ſi sāguis non exierit de facie, uel gula, prædictā pœnam decem librarū ſoluere teneatur: in capite uero ſine sāguine, pœna quinque librarū puniatur; Si vero quis percuſſerit in alijs partibus corporis manu uacua, pro qualibet percuſsione, & calce cū sāguinis effuſione, decem librarū pœnam ſoluere teneatur; Si uero ſine ſanguine, librarū quinque pœnam incurrat; Si autē aliquis alterius barbę pilos traxerit, ſeu tirauerit, pœna vigintiquinque librarū puniatur, & ſi in terram cadere fecerit, & ſanguis exierit, libras uigintiquinque pœnæ nomine ſoluere teneatur; ſi ſine ſanguine, in decē libris puniatur; ſi ſpinſerit & fecerit cadere in terram, nomine pœnæ centum ſolidos ſoluat; Si quis autem aliquem per pannos cœperit, & laceratio aliqua interuenerit, quod tunc & eo caſu in quinque libris puniatur, & damnum emēdet; Si uero admenatio interuenerit manu uacua, centum ſolidorū pœnā incurrat pro qualibet admenatione, dummodo dicta admenatio fiat de propinquo inter iniuriantem, & iniuriatum per unum paſſum; Si quis autem aliquem per capillos cœperit, ſeu diſcapellauerit, aut caputeum de capite extraxerit manu uacua, tunc & eo caſu qualibet uice in omni caſu pœnā decem librarum incurrat; Addentes quod repercutientes in continenti equali percuſsione percuſſorem ſuum, non teneantur ad pœnam; Addentes ſi quis ſpuerit in faciem contra aliquem, puniatur pœna decem librarū; Si autem in alia parte corporis, puniarur pœna quadraginta ſolidorum.

De Aſſaſino, & fieri faciente aſſaſinariam, & delicta. Rub. XVI.

STatuerūt & ordinauerunt quod quicūque aliquē præcio, pręce, uel aliqua re data, recepta, ſeu promiſſa offenderit, & ex tali offenſione quis moriretur, dictus aſſaſsinus ſtraſcinetur per totam Ciuitatē in locis publicis & conſuetis ad caudam aſini, quo traſcinato ducatur ad locū iuſtitiæ conſuetū, & ibidē caput à ſpatulis eidē amputetur

ita quod pœnitus moriatur, & bona ſua publicentur,& applicentur hæredibus occiſi ut ſupra ſtatutum eſt in homicidio : si autem contumax fuerit, in ſupradictis pœnis condemnetur, & puniatur: fieri autem faciens, ſupradictas pœnas incurrat: si autem dictus aſſaſsinus,& delictũ committens per aſſaſsinariam aliquem offenderit, & ex tali offensione mors non ſequatur, tunc talis offenſor pœnam duplicatam incurrat, attentis ſtatutis de talibus delictis loquentibus: fieri autem faciens, uel mandans talem aſſaſsinariam,& delictum, ſubſtineat, & habeat pœnas duplicatas, penſatis & attentis ſtatutis de tali delicto loquentibus: si in ſupradictis casibus, fieri facientes,& dicti aſſaſsini cõtumaces fuerint, & inobedientes noſtris Officialibus, quod tunc, ultra ſupradictas pœnas, prædicti Officiales habeant arbitrium, poteſtatem, & baliam cõtra pręfatos contumaces,& inobedientes condemnandi, pro ut eis conuenire uidebitur ſecundum qualitatem perſonarum,& delicti: Et si prædicti Officiales in prædictis fuerint negligentes, pro quolibet, & qualibet vice, pœnam quingentarum librarum incurrant; Addentes quod ſi ſupradicti aſſaſsini,& fieri facientes aſſaſsinariam, pœnas pecuniarias ſupradictas, infra tempus ſtatutum & limitatum, cum effectu non ſoluerint, quod tunc & eo caſu manus dextera talibus perpetrantibus incidatur, ita quod à brachio ſeparetur.

De pœna inſultantis aliquem cum armis,& ſine armis, & de pœna prohibentis alicui ne tranſeat ante domum ſuam. Rub. XVII.

VT pax & requies in noſtra Ciuitate conſeruetur, & maleficijs in quantum poſſumus obuietur, ſtatuerunt, & ordinauerunt quod ſi quis aliquem inſultauerit cum aliquo genere armorũ ad domum, apothecam, campum, uineam, aream, hortum, proprias vel conductas, uel ad Eccleſias, uel quando iret ad Palatium aliquorum Officialium, Ciuium, uel forenſium, ad nuptias, uel funus, uel dum mortuus ſociaretur, uel ſociaretur aliqua Mulier bonæ famæ, quod tunc inſultãs cum dictis armis, vigintiquinque libras pœnę nomine ſoluere teneatur: In alijs autem locis,& caſibus quam ſupradictis, dictus inſultãs medietatem pœnæ incurrat: Si autem quis aliquem inſultauerit ſine armis in locis, & caſibus ſupra ſpecificatis, inſultans decem librarũ pœnã ſoluere cogatur: ſi in alijs locis ſine armis, quinque libras denariorum perſoluat: ſi quis uero inſultans aſſociauerit quemlibet, aſſocians pœnas

nas prædictas ſoluere teneatur, quæ & ipſe inſultans; Addentes quod à prædictis inſultibus, inſultatus poſsit ſe defendere cum moderamine inculpate tutelæ; Additum quod nullus poſsit alicui prohibere ne tranſeat ante domum ſuam, niſi eſſet retus uicinalis, in quo domum nō haberet tranſiens, ad pœnam decem librarum.

De pœna dicentis alicui verba iniurioſa. Rub. XVIII.

QVia per uerba iniurioſa rixę, & ſcandala oriuntur, ſtatuerunt, & ordinauerūt quod quicunque pertulerit, ſeu dixerit verba iniurioſa cōtra aliquē, videlicet traditore, falſario, aſſaſsino, ladro, cornuto, uel alia ſimilia uerba, ſi in Conſilio dictæ Ciuitatis, uel corā aliqua Curia, uel Officiali, in decē libris pœnæ nomine mulctetur; ſi autem in alijs locis, ſolidos centum ſoluere teneatur: ſi autem dicta fuerint alia uerba iniurioſa quam ſupradicta, in ſupradictis locis ſpecificatis, ſoluat & ſoluere teneatur ſolidos quatraginta; ſi autem in alijs locis, ſolidos uiginti ſoluere teneatur: Et prædicta intelligantur pro qualibet uice, & quolibet uerbo: Si autem aliqua uerba iniurioſa dicta fuerint contra aliquos Officiales, Ciues, vel forenſes, tunc pœnæ prædictæ in omni eorum caſu duplicentur; additum quod ſi quis uerba iniurioſa dixerit contra DD. Conſeruatores, uel aliquē ipſorū Dominorū uel Poteſtatē, uel Capitaneum, ſeu ficos fecerit, tunc quinquaginta librarum pœnam incurrat; ſi autem quis remproperauit alicui mortem alicuius attinētis uſque ad tertium gradum incluſiue, uel aliquam iniuriam, ſeu uituperiū quod uerū fuerit uel ſit, & de tali morte, ſeu iniuria pax facta fuerit, vigintiquinq; libras ſoluere teneatur ſine aliqua diminutione: ſi autem pax facta non fuerit, in medietatem dictæ pœnæ condēnetur ſine diminutione: ſi vero aliquid, uel aliqua uerba fuerint prolata iniurioſa, & dicta fuerint in feſto carnis priuij, ſeu ad domum alicuius facientis nuptias, & in ipſis nuptijs contra aliquos, uel aliquas de die, ſeu de nocte, uel aliquod turpe dictum, ſeu factum fuerit, quod tūc & eo caſu pro quolibet verbo, & qualibet uice, pœna decem librarum mulctetur ſine aliqua diminutione de facto, in quo caſu Officialis procedere, & punire poſsit iuris ordine non ſeruato: quod autem turpe ſit vel non, arbitrio iudicantis relinquatur.

De pœna Inceptoris rixæ. Rub. XIX.

QVicunque fuerit Inceptor rixę de qua bellum oriatur, in cētum libris condemnetur, & ultra dictam pœnam puniatur de offenſa illata ſecundum formam Statutorum: & ſi quis extraneus in

auxilium

auxilium talis Inceptoris rixæ armatus uenerit, arma quæ habuerit perdat, & ſi ille ad quē uenerit nō licentiauerit, & remiſerit eum ſtatim, inducentis libris puniatur; Addatur quod ſi aliquis forenſis ad noſtram Ciuitatem cauſa turbationis, & diſſenſionis ipſius uenerit, perdat manum & pedem, & ſit de Ciuitate noſtra perpetuo exbannitus, & qui talē receptauerit, quingētas libras nomine pœnæ ſoluat, & ſi pœnam ſoluere non poterit, amputetur ei pes, & prædicta omnia & ſingula locum habeant in comitatenſibus ſibi & alijs forenſibus: Si autem rumor ſeu tumultus occaſione rixæ in Ciuitate ortus fuerit, in ſupradictis pœnis puniatur, & plus arbitrio Iudicis, habita conſideratione facti, & perſonæ.

De pœna ponentis, ſeu mittentis aliquid turpe in os ad collum alicuius, vel aliter in perſonam. Rub. XX.

SI quis aliquam turpitudinem, uel aliquid turpe in os alicuius immiſerit ad collum, ſeu in perſonam iniurioſe, ſi in platea Communis, in Palatio, uel Eccleſia, in ducentis libris uice qualibet puniatur; Si autem in alijs locis dicta turpitudo facta & perpetrata fuerit, tunc centum libras denariorum ſoluat; Si prædictas tales turpitudines inferentes, pœnam ſoluere non poterunt infra tempus limitatum, talia perpetrans fuſtigetur per totam Ciuitatem: Si autem proiecerit de remoto loco aliquid turpe, uel turpitudinis contra aliquē, in vigintiquinque libris pœnæ nomine mulctetur: quod autem ſit turpe, & iniurioſe factū, iudicantis arbitrio relinquatur, & quod iudicatum fuerit obſeruetur: ſi autem aliquis ad domum, habitationem, uel apothecam alicuius, aliquid turpe in iniuriam habitantis poſuerit, pœna centum ſolidorum puniatur.

De pœna derobantis, & furtis, & de fractoribus domorum, & de acceptatoribus furtuum. Rub. XXI.

STatuerunt & ordinauerunt quod ſi quis animo & intentione derobandi, & robariam committēdi, aliquem uel robauerit per uim in ſtratis publicis, in Ciuitate, Comitatu, uel Diſtrictu Ciuitatis Vrbiſueteris, uel alibi quocunque loco, ſi à centum ſolidis ſupra uſq; ad decem libras, in libris quingentis puniatur, ſi à quinque libris infra, in libris

libris ducentis puniatur, quas pœnas ſi non ſoluerit infra decem dies, amputetur ſibi pes; à decē uero libris ſupra Fur laqueo ſuſpendatur ita quod moriatur: Et ſi aliquem de dictis ſtratis extraxerit, ſeu contra aliquem aſſalimētum fecerit cauſa eum derobandi, pro prima uice in ducentis libris condemnetur, & ſi infra decem dies non ſoluerit amputetur ei manus; & quod in prædictis, Officiales poſsint procedere, punire, & cognoſcere tormentando, & omni alio modo quo eis melius uiſum fuerit; volentes quod ſi qua res ablata duceretur in Ciuitate, uel alijs locis, quod ſi qua iuſta cauſa ſubeſt, pœna imponenda uel non imnenda pro dicta ablatione pectori iudicantis remaneat, inſpectis perſonis, locis, & cauſis ſupradictis: prædicti autem noſtri Officiales in furtis, & pro furtis, infraſcripto modo pœnas imponant, videlicet, quod ſi aliquis furtum fecerit alicui perſonæ, & talis res ſit ualoris centum librarum & abinde ſupra, quod talis furans laqueo ſuſpendatur, ita quod omnino moriatur: Si autem fuerit publicus, & famoſus Latro, ſeu Fur, & furta ſua aſcenderint ad quātitatem vigintiquinque librarū, quod pœna ſuperiori, proxime dicta, puniatur; & in prædictis caſibus poſsint torquere, cognoſcere, & punire vt eis Officialibus uidebitur & placebit: ſi uero quis furatus fuerit à cētum libris infra, uſq; ad quinquaginta, pœnæ nomine ſoluere teneatur quingentas libras, quam pœnam ſi ſoluere non poterit infra tempus ſtatutum, manus eius dextera incidatur, ita quod à brachio ſeparetur: Si autem furtum commiſſum fuerit à quinquaginta libris infra, uſque ad vigintiquinque libras, pœnam ducentarum librarum incurrat, quam ſi non ſoluerit infra tempus limitatū, per totam Ciuitatem fuſtigetur, & in carcerem remittatur donec dictā pœnā perſoluat: Si quis autē furtum cōmiſerit in vigintiquinque libris uel abinde infra, uſque in decem, centum librarum pœna puniatur, quam ſi non ſoluerit infra tempus limitatum, per tres dies continuos poni debeat in catena, & ibidem coram omnibus ſtare debeat, ita quod ab omnibus publice uideri poſsit, & nihilominus reponatur, & retineatur in carceribus, donec ſupradictam pœnam ſoluerit cum effectu: Si autem à decem libris infra, uſque in quinque, vigintiquinque librarū pœnam incurrat, quam pœnam ſi non ſoluerit infra tempus, duplicetur: Si furtum fuerit commiſſum à quinque libris infra, tunc pœna arbitrio Officialis imponatur, dummodo nō excedat pœnam proxime declaratam: & ſi furta facta & commiſſa fuerint de nocte, in omni, & quolibet caſu pœna ſit, & eſſe intelligatur duplicata: Addentes ultra pœnas ſupradictas, quod ſi quis domum fregerit, molendinum, uel palumbariam intrauerit, præter & contra uoluntatem domini, poſſeſſoris, uel conductoris, quod tunc quinquaginta libras denariorum ſoluere teneatur; Si caſcinam,

ſcinam, criptam, ſeu capannam ſerratas, & clauſas intrauerit, in libris decem pœnæ nomine uice qualibet puniatur; Si de nocte, in libris cẽtum: in quo delicto nocturno licitum ſit dominis dictorum locorum, & conuicinis, ingredientes capere, detinere, & arreſtare per unum diẽ naturalẽ, & in manibus Curię aſsignare ſine pœna: Receptores autem ſu pradictorum furantium, ſimilibus pœnis conſtringantur, & obligentur pro ut, & ſicut Fures puniantur, & in omni & quolibet caſu, ſupradicti Fures cogantur & compellantur ad emendationem rerum furatarum, & ablatarum, & ad earum æſtimationem dominis, dicta furta & damna paſsis, in quibus, ut & ſicut in dictis pœnis, condemnari debeant.

De facientibus alicui priuatum carcerem. Rub. XXII.

DEtinens aliquem in priuatum carcerem ultra diem naturalem, pœna capitis puniatur, minus uero detinens ſi fuerit Comes, Baro, Miles, uel aliter nobilis habẽs Caſtrum, uel partẽ Caſtri per vnum diem artificialem, uel infra, in mille libris puniatur; Si autem fuerit alia perſona, præter prædictas, quæ detinuerit aliquem per diem artificialem, in pœna quingẽtarum librarũ cõdemnetur & puniatur, quas pœnas ſi non ſoluerint ſupradicti, in quocunque dictorum caſuum, infra terminum ſtatutum & ordinatum, poſt cõdemnationem de eis factam, amputetur eis pes; & ſi propter metum carceris aliquid ab his carceratis fuerit extortum, uel ablatum, ultra prædictas pœnas, puniantur priuatum carcerem facientes, ac ſi uiolenter derobaſſent; Et ſi præfatum carceratum, ad aliquid quietandũ, remittendum, uel ſe obligandũ coegerint terrore, & metu dicti carceris, ſit etiã ac ſi derobaſſẽt, & quod factum uel promiſſum fuerit nõ ualeat nec teneat ipſo iure, ſed ſemper ſit uanum, irritũ, & nullius momenti, ſicque intelligatur & ſit ſi aliquod fecerint teſtamentum, inſtrumentum, ſcripturam publicam, uel priuatã, uel aliquid aliud illicitum, de quibus omnibus, prędictum priuatum carcerem facientes puniantur, & puniri debeant ſecundum formam ſtatu torum, & de prædictis factis, uel dictis per tales carceratos, nunquam, uel aliquo tempore per Officiales poſsit cognoſci nec procedi, ſed cõtra tales talia perpetrantes, debeant & poſsint cognoſcere, procedere, & punire, condemnare ut ipſis Officialibus melius & iuſtius uidebitur & placebit; Addentes quod de carceratione, & detentatione prędictis, & detentore, à quo quis dicitur fuiſſe carceratus, ſeu detentus,

ſtetur

ſtetur & credatur iuramento ipſius carcerati, ſeu detenti cum duobus teſtibus de publica voce & fama, & hoc quãtum ad annullationẽ actus celebrati in carceribus, & reſtitutionem ablatorum.

De pœna committentis falſitatem in ſcripturis, monetis, vel alijs rebus quibuſcunque. Rub. XXIII.

HAc lege in perpetuum valitura ſtatuerunt & ordinauerũt, quod ſiquis ſcienter & doloſe fecerit, ſeu fieri mandauerit aliquã ſcripturam, aliquod inſtrumentum, vel teſtamentum in publicã formam, falſum uel falſam in totum, uel in aliqua parte prædictarum, quod tunc facientes, & fieri mandantes reperti culpabiles de prædictis, pro qualibet ſcriptura, teſtamento, ſeu inſtrumento falſo, ſeu ipſarum & ipſorum particula & membro, puniantur & puniri debeant pœna quingẽtarum librarũ & mitrientur, quas pœnas ſi cõdemnatus non ſoluerit infra tempus ſtatutum & limitatum, manus dextera eidem abſcindatur ita quod à brachio ſeparetur; Et ſi in aliquo iudicio producta fuerint ſcienter coram quocunque Officiale forenſe, uel Ciue, & falſa appareant, quod tunc prædicta pœna duplicetur, & ſic duplicata pro pœna originali intelligatur, & in defectũ ſolutionis nõ factæ, loco pœnæ manus, & mitria ſuccedat, & in omnem euentum vtens, & producens cauſam perdat: Sicque intelligatur & ſit de faciente, ſeu fieri mandante falſam monetam in omnibus & per omnia, ut ſupradictum eſt de faciente, ſeu fieri mandante falſum inſtrumentum: Si quis autem falſo modo, & cauſa falſitatem committendi in damnum & detrimentum alicuius, aliquod teſtamentum, inſtrumentum, ſcripturas, uel cartas librorum lacerauerit, furatus fuerit, abraſerit, cancellauerit, ſeu celauerit, tunc pœnã mitriæ, & quingentarum librarum pro qualibet ſcriptura, ſeu membro ipſius, & qualibet uice incurrat, quam pœnam ſi non ſoluerit, manus ut ſupra abſcindatur, & in omnibus caſibus ſupradictis, ſi damnum aliquod per falſitatem cõmittentem alicui eueniret, quod ad emendam, & æſtimam prædicti damni teneatur, in quibus omnibus per Officiales condemnetur: Si quis vero aliquam monetam auream, argenteam, ſeu æreã tõderit, uel aliter falſificauerit, repertus culpabilis per ſupradictos Officiales cõdemnetur, & condemnari debeat in libris ducentũ quinquaginta, cũ miſsione & impoſitione mitriæ, quam pœnã ſi nõ ſoluerit infra tẽpus ſtatutũ & limitatũ, ſic mitriatus per totã Ciuitatẽ fuſtigetur, & nihilominus poſitus in carceribus, ad pœnã pędictã ſoluendã cogatur:

Si quis falſam monetam ſcienter & doloſe expendiderit, ſeu expendi fecerit, prędicto caſu, prædictus expendens, & expendi faciens pro qua libet moneta, & qualibet uice, ſi aurea fuerit, in libris ducentum denariorum, ſi in argentea in centum, ſi in ęrea in quinquaginta puniatur: Vbi autē aliqua falſitas per aliquem Artificem in arte ſua commiſſa fuerit & reperiatur, quod tunc & eo caſu pœna imponatur & poni debeat iudicantis arbitrio, perſona falſitatem committentis, & re in qua ipſa falſitas committitur, conſideratis, dummodo pœna centum libras non excedat; Volentes quod ſiquis introduxerit, ſeu induxerit aliquam priuatam ſcripturam falſam in aliqua Curia, coram quocunque Officiale Ciue, uel forenſe, inducens & producens quingentarum librarum pœnam ſoluere compellatur, quam ſi non ſoluerit mitrietur, & ſic mitriatus ad locum iuſtitiæ conſuetum per totam Ciuitatem ducatur, & ibi manus dextera à brachio incidatur, ita quod à brachio ſeparetur, & in omnem euentum cauſam perdat: Si uero quis falſum teſtimonium perhibuerit, ſeu dici mandauerit in quacunque Curia, coram quocunque Officiale Ciue, uel forenſe, propter quod, damnum, ſeu uerecundia alicui eueniat, quod tunc dicens & dici faciens, ſi quęſtio & cauſa fuerit à cētum libris ſupra, tunc in lingua, & quingentis libris denariorum puniatur; Si autem fuerit à centum libris infra, pœna ſit ducentarum librarum, & mitriatus per loca publica Ciuitatis ducatur; Addētes quod ſiquis in ſupradictis caſibus repertus fuerit condemnatus, licet pœnam ſoluerit, ſeu ſententia fuerit contra eum executioni mandata, nullo tēpore in noſtra Ciuitate aliquod Officium habere poſsit in communi, vel arte aliqua, & ſit & eſſe intelligatur ipſo iure infamis, ita quod ab omnibus honoribus, & officijs totaliter repellatur; Et Officiales noſtri in omnibus ſupradictis poſsint procedere per accuſam, denunciationem, & inquiſitionem; qui Officiales ſi negligentes fuerint in prædictis in cognoſcendo, & puniendo, pro qualibet uice, & quolibet caſu pœnam mille librarum incurrant.

De pœna Proditorum Communis Vrbiſueteris. Rub. XXIIII.

CVm Andreas Rainerij Manentis, quondam Comitis Sartiani, tāquam proditor Cōmunis, cōtra Ciuitatē Vrbeuetanā temere calcaneū rebellionis erexerit, ſe protectioni Senēſiū inimicorū noſtrorū prodigaliter ſubponendo, & cōtra Cōmune Vrbeuetanū eiuſq; terras, & homines cū prędictis Senēſibus guerrā diutius, & dāna pro uirib⁹ inſolētius ſimulādo; Nec nō Rimbottus Bernardini Rimbotti, & Rainerius Ramōdi quōdā Comitis Sertiani, nefādiſsimi proditores, ini-

quitatis

quitatis alumni, præfatum Caſtrum Sertiani, ad cuius gubernationem ac cuſtodiam & tutelam Commune Vrbeuetanum proprijs ſtipendijs fiducialiter deputauit, cum quibusdam eorum ſequacibus Caſtrum illud Sertiani in contemptum & obrobrium Communis noſtri Vrbeuetani, fidem permiſſam & fiduciam, in perfidiam commutantes, Communi Senarum proditorie, ac doloſe ſubmiſerint, Ordinamus, ac ſtabili ordinatione firmamus (ad hoc vt iuxta magnitudinem perpetrati ſcœleris prodeat iudicium vltionis, & pœnam perpetrati habeant proditores præfati horrendæ proditionis nephandiſsimi) vt tãquam Communis Vrbiſueteris rebelles publici proditores ſint, & habeantur de Ciuitate Vrbeuetana, & eius diſtrictu perpetuo exbanniti, in perſona, & rebus à quolibet impediri, ita quod nullo unquam tempore in Ciuitate & Diſtrictu Vrbeuetano aliquatenus ſtare poſsint, ſed quilibet eorum impediri: & ſi quo tempore in fortiam Communis peruenerint capite puniantur, & ſententia, & ſententiæ, lata, & latæ, & ferendæ contra eos, & quemlibet eorum per Poteſtatem, & Capitaneum, robur obtineant perpetuo firmitatis, nec poſsint modo aliquo retractari; & ne minus vindicta, quam memoria proſequãtur, conſtituerunt quod prædicti Andreas Rimbottus, Rainerius, eorumque nati & naſcituri (vt & eorum progeniæ vltio imponatur) omni iure, & iurisdictione qualibet, quod, & quam ipſi, & ſui anteceſſores in Caſtro Sertiani, eiuſque Curia haberent vel viderentur habere, perpetuo ſint priuati, & quod ius prædictum, & iurisdictio redeat ad Commune Vrbeuetanum, & ipſum Caſtrum ibi, & alibi (niſi de mandato Communis Vrbiſueteris conſtrui contigerit) ſit & eſſe debeat terra Communantiæ, ita quod ipſa Terra, & omnes habitantes in ea, nulli alij quam Communi Vrbeuetano ſint ſubiecti, ſed ab omnibus & ſingulis, præterquam à Communi Vrbeuetano, ſint liberi & immunes, tam in perſonis, quã in rebus: ad hæc etiã Rimbottus, Cugnettus de Clanzano, Philipputius Rainerij Cõteſſæ de Sertiano, prædictorum inherẽtes prodigijs in ipſa proditione fuerunt ſocij, participes, & cõſortes, hoc ſpeciali ordine firmamus quod prædicti Rimbottus, & Philipputius, Cugnettus de Ciuitate, & Diſtrictu perpetuo ſint exbanniti, & bona ipſorum omnia & ſingula, ſiqua in Sertiano & diſtrictu habẽt, Cõmuni Vrbeuetano cõfiſcẽtur, & ſiquo tẽpore in fortiã Cõmunis peruenerint capite puniãtur, formãtes ꝙ null' ĩ Cõſilio, uel arrẽga dicere audeat ꝙ aliquis proditorũ ab exbãnimẽtis & ſẽtẽtijs huiuſmodi relaxetur, & ꝙ ad Cõmunis Vrbiſueteris gratiã recipiatur, aut in Sertiano, uel eius Diſtrictu aliquod ius haberent, uel quod Caſtrũ Sertiani non ſit Terra Cõmunantiæ eo ꝙ omnes habitãtes in eo poſtquã iurisdictioni Cõmunis Vrbiſueteris ſu-

 biecti

bieđi fuerint non ſint liberi & immunes, ut ſuperius eſt expreſſum, & qui contrafecerit in centum marchis argenti ſimiliter puniatur: Statuẽtes etiam quod omnes & ſinguli qui contra Commune Vrbeuetanũ in Sertiano ſe incaſtellarent, ſeu incaſtellauerint, pœnis ſimilibus debeant ſubiacere; & hæc omnia & ſingula ſupradicta ſolummodo vendicent ſibi locum contra illos filios Rainerij Manentis, Monacum, Andream Monaci, Contonem Alberti Contonis, & Cechinũ quondam camporſeldi, & ſic ſupradicti Comites & filij ſupradicti ab omni iure, & iuriſdictione ſiquam haberent, uel uiderentur habere in aliquo loco, vel terra Vrbeuetanæ iurisdictioni ſubiectis: quicunque autem de Ciuitate, uel Diſtrictu Vrbeuetano præſtitit auxilium, uel fauorem, ſiue ducẽdo, ſiue ſcortam faciendo Senenſibus quondam inimicis, uel alijs guerram faciẽtibus noſtro Communi, & terris noſtræ iurisdictionis, uel in cæterum præſtabit, in omnibus, & per omnia pœnis ſubiaceat prædictis; quicunque autem ex dictis Comitibus, & Monacum ſupradictũ in fortiam Communis conduxerit, habeat à Cõmuni quinquaginta libras cortonenſium: Verum quia legaliſsimi uiri domini Peſo Bungarellus, & Rimbottus Domini Tãcredi à fide & deuotione Communis Vrbiſueteris nullatenus deuiarunt, ſed fuerunt vigiles & conſtantes, uolumus omnia & ſingula & in iuribus eorum & cuiuſq; ipſorum dicti Caſtri, eiuſque diſtrictus nullum prẹiudicium generari, ſaluo quod ſi emiſ-ſẽt, uel acquiſiuiſſent aliqua à prẹdictis, qui eorum iuribus ſunt priuati, talis emptio, uel acquiſitio nõ prosit, nec ualeat, ſed pœnitus ſit inanis: Hoc autẽ capitulũ per ſingula membra de anno in annum in conſtitutionibus ponatur, & ipſum Poteſtas & cæteri Officiales Communis Vrbiſueteris ſeruare teneantur uinculo iuramenti: Addẽtes quod ſiquis ſpiritu diabolico inſtigatus, fecerit aliquam proditionem noſtro Communi Vrbeuetano, ſeu facere attẽtauerit vel præſumpſerit, uidelicet in rebellãdo Ciuitatem ipſam alicui Domino Tiranno, uel Communitati ſubmittendo, uel aliquod Caſtrum, uel Terras iurisdictioni dicti Communis noſtri ſubiectas, quod tunc crimen leſæ maieſtatis cõmiſiſſe dicatur & intelligatur, ac ſi contra Romanum Principem cõmiſiſſet, & ſecũdum diſpoſitionem iuris communis, cõmittentes dictam proditionem, puniantur & puniri debeãt, loquentis de dicto crimine leſæ maieſtatis, & ſic facientes, fieri mandantes, & conſenſientes, danteſque cõſilium, auxilium, uel fauorẽ, ſupradicta pœna pariter puniantur: Siquis autem ſpecialiter, & in ſpeciali perſona aliquam proditionem cõmiſerit, ipſis perſonis, & proditionibus penſatis, & cõſideratis prædictis, Officialium æquitati & diſcretioni cõmiſerunt ut poſsint & ualeant pœnas imponere, condemnare, & punire, uti facti exigentia expoſcit & requirit

quirit, & prędicta ſunt in cōmittentibus, ita etiam hic intelligantur & condemnentur mandantes, de quibus omnibus ſupradictis cognoſci, procedi, & inquiri Officialibus perpetuo permittatur, & licitum ſit.

De exbannitis, & eorum receptatoribus. Rub. XXV.

STatuerunt & ordinauerunt quod ſi quis per aliquos Officiales Ciuitatis Vrbiſueteris, iurisdictionem habentes, fuerit exbannitus, & in banno poſitus pro tradimento noſtræ Ciuitatis, & Terrarum, & Caſtrorum ipſius, homicidio alicuius, robaria, falſitate, furto à centum libris ſupra, & incēdio, quod nullus audeat uel præſumat in Ciuitate prædicta, Comitatu, & Diſtrictu ipsius ſtare uel morari, ad pœnam dupli quod quis fuerit exbannitus, ſi pœna pecuniaria fuerit, si autem perſonalis eſſet imposita ipsis exbannitis, augumētetur & alteretur arbitrio Officialium, si prædicti exbanniti contra prædicta fecerint: receptatores autem ſcienter ſupradictorum exbannitorum in perſona, uel in mille libris, uel abinde ſupra puniantur pœna quingentarum librarum: receptatores autem exbannitorum & condemnatorum à mille libris, uſque ad quinquaginta libras, condemnētur pœna tricentarum librarum, & à quingētis uſque ad cētum, in quinquaginta libris cōdēnentur, à cētum infra, condemnatum receptantes in decem libris puniantur: receptantes autem exbannitos intelligatur si comedunt, bibunt, uel dormiūt in domibus, uel receptaculis receptātium proprijs, uel conductis: Et de prædictis dicti Officiales teneantur uinculo iuramenti, & pœna centum librarum pro quolibet & qualibet uice, ipsis Officialibus auferenda, inquirere in Ciuitate, Comitatu, & Diſtrictu, ſecrete, & occulte cum Anterionibus, & Syndicis, & alijs bonis hominibus, quibus dictis Officialibus videbitur, & teneantur in credentiam: Et si prædicti exbanniti haberi poterunt, teneantur dicti Officiales eos punire, & executionem facere ſecundum formam Statutorum, uolentes quod exbannitis, uel aliquibus pro eis interuenientibus, nullum ius reddatur in ciuili, uel criminali; Decernentes & declarantes quod exbanniti in perſona, uel in quingentis libris, & abinde ſupra pro delicto, poſsint ab omnibus capi, detineri, arreſtari, & offendi in ære, & perſona, uſq; ad mortem incluſiue, ita quod offendentes sint impunes, & ad pœnam aliquā non teneantur; quem exbannitum uiuum, aut mortuum præſentare, aut notificare debeant coram Officialibus, infra duos dies, ad pœnā cētum librarum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice; Et si in prędictis

dictis Officiales fuerint tardi, remiſsi, & negligentes, pœnam quingentarum librarum ipſo facto incurrant; Et teneantur dicti Officiales rimari pro exbannitis, & ſi quis exbannitum defenderet, aut rimari pro exbannito non permitteret, ſeu quoquo modo familiam, vel aliam perſonam capere uolentem impediret in capiendo dictum exbannitum, puniatur ea pœna qua exbannitus puniri deberet; Et ſi quis ſcienter dederit auxilium, conſilium, uel fauorem verbo, facto, uel ſociando, comedendo, ſeu bibendo, ſupradictis exbannitis, uel alicui ipſorum exbannitorum, tamquam receptator puniatur; Addentes quod Magnates & alij nobiles Comitatus & Districtus Ciuitatis Vrbiſueteris, & Comunantiæ eiusdem Ciuitatis, ſi paſsi & paſſæ fuerint talem, & tales exbānitos receptari in eorum Terris, locis, ſeu Communantijs, puniantur & puniri debeāt pœna dupli prædictarū pœnarū, ſupra receptātibus impoſitarum; Additum quod ſiquis exbannitum cœperit, & ſcienter relaxauerit, tamquam receptator puniatur.

De pœna committentis adulterium, ſtuprum, aut inceſtum. Rub. XXVI.

QVicunque commiſerit adulterium, ſtuprum, aut inceſtum cum Muliere honeſtæ vitæ uiolenter, pœna capitis puniatur; Si autē cum Muliere turpe, aut quęſtum ſui corporis faciente, puniatur pœna quingentarum librarum; Si autem ſine uiolentia prædicta commiſerit, ſi cum Muliere honeſtæ vitæ, & bonæ famæ, puniatur pœna cētum librarum; Et in omnibus ſupradictis caſibus, in quibus ſupradicta delicta ſine uiolentia cōmiſſa fuerint, Mulier puniatur in dimidia pœna qua punirentur Vir; Additū q̃ ſi quis carnaliter cognouerit aliquā Monialē, cuiuſcunque Monaſterij, cum uiolentia, uel ſine, qualitercūque, uel quomodocunque, pœna capitis puniatur; Et quod de prædictis Officiales non poſsint procedere per inquiſitionē, excepto quam de Monialibus, ſed per accuſam dumtaxat, & ad accuſandum hi ſolummodo admittantur, uidelicet Pater, Maritus, Frater carnalis, & filius ipſius Mulieris.

De pœna committentis ſcœlus ſodomiticum. Rub. XXVII.

OFficiales, & eorum Curia teneantur & debeant uinculo iuramēti procedere ex eorum officio, & inquiſitionem facere contra ſodomitas qui tempore ſui Officij, uel per annum antedictū

ſcelus

ſcelus committerent, aut dicerentur commiſiſſe agendo, uel patiendo, & quos culpabiles inuenerint uiuis flammis igneis comburentur, exceptis pueris à quatuordecim annis infra, qui non teneantur ad pœnam prædictam, ſed puniantur uſque ad uigintiquinque libras denariorum arbitrio Officialium ſi ſint doli capaces, aliter non puniantur.

De pœna Lenonum, ſiue Lenarum Mulierum. Rub. XXVIII.

SI quis, uel ſiqua commiſſerit lenocinium ad uitium ſodomiæ committendum, ſiue attentauerit, uel perfecerit, puniatur & puniri debeat pœna ducentarũ librarum, & nihilominus nudis carnibus fuſtigetur per totam Ciuitatem, & de Ciuitate expellatur, ad quam perpetuo redire non poſsit; Si autem fuerit leno, uel lena in adulterio, inceſtu, aut ſtupro cum Mulieribus honeſtis bonæ uitæ & famæ, in centum libris puniatur, & ſimiliter fuſtigetur, & expellatur de Ciuitate, adeo quod numquam poſsit redire; Et ſi propter dicta lenocinia aliquid datum fuerit, & receptum à dictis lenonibus, de facto per officialẽ auferatur & nostro Communi applicetur; Et ſiquis accuſauerit aliquam, ſeu aliquem de lenocino honeſtarum dominarum, & ipſam non probauerit, pœna talionis puniatur.

Quod nulla Mulier teneat filiam, vel aliam in poſtribulo. Rub. XXIX.

SI qua Mulier ſuam filiam, uel conſanguineam uſque ad tertium gradum incluſiue tenuerit in poſtribulo, ſeu lupanari, uel alio modo proſtituerit, ita quod quæſtum ſui corporis fecerit, fuſtigetur per totam Ciuitatem, & exbanniatur perpetuo de Ciuitate, & Comitatu Vrbiſueteris.

De Maleficis, & Mathematicis. Rub. XXX.

SIquis, uel ſiqua, maleficus, uel malefica, mathematicus, uel mathematica maleficium, aut ſcelus mathematicum quandocunque, aut qualitercunque commiſſerit, aut committere tentauerit, pœna capitis

pitis puniatur; Si autem crimina prædicta doloſe committere ſimulauerit, puniatur pœna quingentarum librarũ, & in prædictis caſibus Officiales teneantur quolibet menſe inquirere, & repertos culpabiles de prædictis punire, & condemnare, ſub pœna quingentarum librarum de ſuo ſalario auferendarum tempore ſui Syndicatus.

De Hæreticis & receptatoribus eorundem. Rub. XXXI.

QVamuis contra Hæreticos, ac Hæreticorum fautores, receptatores, & defenſores quoſcunque certę ſint à iure Cõmuni, & particularibus Conſtitutionibus ſummorum Pontificum, & Imperatorum pœnæ ſtatutę, quibus eorum malitia coerceri ualeat, quia tamen nũquam ſatis uidentur odio haberi, aut profligari poſſe tam ſceleſtes, & peſtilentes Viri, & ut animoſius contra eos omnes inſurgant quos nouis etiam pœnis nouerint eſſe perſequendos, Ideo ſaluis pœnis prędictis, ſtatuimus ut ſi quis inuenerit aliquem maleficum, & capere poterit & non cœperit doloſe, in uigintiquinque libris puniatur: & ſi quis ſcienter Paterenis, & alijs Hæreticis, quocunque nomine nuncupẽtur, domum ſuam locauerit uel alias conceſſerit, domus funditus deſtruatur, & ſoluat quinquaginta libras pœnæ nomine, & teneatur Poteſtas, & Capitaneus contra Hæreticos obſeruare quicquid contra eos ordinatum eſt per Dominum Gregorium Papam nonum, & nullus Paterenus, ſeu alius Hæreticus cuiuſcunque ſettæ, ad honorem aliquem, Officium, uel teſtimonium admittatur, nec ad aliquam ſocietatem, uel artem pro diſcipulo, uel Magiſtro ſit receptus, ſed exinde expellatur, & puniatur in decem libris: omnium etiam Hæreticorum prædictorũ detinentium, & receptatorum, fautorum, & defẽſorum, per dominũ Epiſcopum, & alios inquiſitores Eccleſiæ damnatorum iura, & actiones, infra octo dies, poſtquam condemnati fuerint, publicentur, ita quod vnam partem recipiant qui eos reuelauerint, & Poteſtas, ſiue Capitaneus altera pro Communi, altera Rectoribus Pontium, uiarum, & Hoſpitalium deputetur: Hæreticis etiam credentes, receptatores, & defenſores eorum à Poteſtate, ſeu Capitaneo in principio ſui regiminis exbanniãtur de Ciuitate, & Diſtrictu, domus autem illorum in qua aliqui Hæretici receptati fuerint ſcienter, uel in qua manus impoſitio facta eſſet, nullo reficienda tempore, funditus deſtruatur: receptatores ſcienter, & defenſores Hæreticorum, in tertia parte bonorum mulctentur; Et prædictæ perſonæ non audiantur de aliquo conquerentes, nec ipſis Aduocati, nec Tabelliones, ſub Officij pœna, impendãt auxilium,

nec prædictę perſonæ ad Conſilium eſſe permittantur, qui autem ipſorum aliquem ad Officium, uel Cõſilium elegerit, in quinquaginta libris puniatur, tamquam fautor Hæreticorum: Quicumque autem ſciuerit Hæreticos in Ciuitate morari, & non reuelauerit Domino Epiſcopo pro tempore exiſtenti, centum libras ſoluere compellatur, & ſi pœnam ſoluere non poterit exbanniatur: Poteſtas, & Capitaneus prædicta omnia ſi non obſeruauerint, in ducentis marchis argenti condemnentur per Syndicum, & quod Poteſtas, uel Iudex non obediantur, & nullus eos ſequi teneatur, etiam ſi de exequendo præſtiterit iuramentum, & quæ contrafierent nullam habeant firmitatem, & hoc capitulum de anno in annum in Conſtitutionibus ponatur: Et ſi quid in hoc Statuto poſitum fuerit quod prędictis Hęreticis uideatur præſtare fauorem, quod pro non appoſito habeatur, ſaluis omnibus alijs capitulis contra Hæreticos ordinatis: Nullus exbannitus per inquiſitores Hæreticę prauitatis, nec etiam exbanniendus occaſione criminis Hæretici, aliquo tempore rebanniatur, nec rebanniri poſsit per Ordinamentum, Statutum, Conſilium, uel Arrengam, qui autem contrarium arrengauerit, in quadringentis libris puniatur; Nullus autem talem exbannitum ſcienter receptet, uel ſibi præſtet auxilium, uel fauorem, ſiue ſit Vniuerſitas, ſiue ſpecialis Perſona, ad pœnam quingentarum librarum, ſi uero aliquis prędictus electus fuerit ad Officium, uel Conſilium aliquod contra formam ſuperius ſcriptam, electio non teneat, & quod electus geſſerit nõ teneat ipſo iure: Si aliquis Familiaris, uel Officialis olim inquiſitores Hæreticæ prauitatis, occaſione Officij, uel occaſione inquiſitionis, ab aliquo damnum, vel iniuriam ſubſtinuerit in Perſona, uel rebus, à Cõmuni Vrbeuetano conſeruetur indemnis per Camerarium Communis infra unum menſem, poſtquam conſtituerit illũ qui fuerit de hæreſi cõdemnatus, uel infamatus fuiſſet, & faciens ei aliquam iniuriam puniatur in triplo, pœna capitali conſtituta: omnes & ſingulæ uenditiones factæ, & fiendæ per Inquiſitores Hæreticæ prauitatis, & Syndicum Cõmunis Vrbiſueteris de bonis Hæreticorum, & credentium eorum, ſint ratæ & firmæ perpetuo, & non poſsint aliquatenus reuocari, & illi qui dicta bona emerunt ſint ſub protectione Communis, & non poſsint in poſſeſsione prædictorum bonorum per aliquos moleſtari, nec eos, uel aliquos eorum ullo tempore aliquis audiat, & ſi audiretur, quod factũ eſſet contra eos, non teneat ipſo iure, ſaluis & reſeruatis omnibus Conſtitutionibus per Romanam Eccleſiam æditis, uel per Imperatorem cõtra hæreticam prauitatem, & Officio inquiſitoris, quibus per pręsẽs capitulum in nullo derogetur.

De Magnatibus & alijs Nobilibus, populares Ciues, & Comitatenſes offendentibus, vel offendi mandantibus. Rub. XXXII.

SI aliquis noſter Ciuis Comitatiuus, uel Diſtrictualis ab aliquo Barone, Comite, uel Nobili, & eorum deſcendentibus, fidelibus, uel familiaribus, vel de famulis eorum offenderetur, tunc & eo caſu omnes pœnę impoſitæ pro ſimilibus delictis duplicentur, & duplicari debeant prędictis delicta committentibus, per Officiales cognoſcentes, & procedentes, qui vinculo iuramenti teneantur, & pœna quingentarum librarum de delictis commiſsis per ſupradictos, contra eos inquirere, cognoſcere, & procedere, & repertos culpabiles condemnare & punire in dictis pœnis: Et prædicti Magnates, & Nobiles teneantur ad pœnas prædictas, & pro pœnis dictorum eorum deſcendentium, & familiarium, fidelium, & famulorum, de facto omni iuris ſolemnitate omiſſa: In prędictis & quolibet prędictorum, prædicti Officiales habeāt largam poteſtatem, arbitrium, & baliam in procedendo, cognoſcendo, & exequendo, & ad syndicatum de prædictis minime teneantur, niſi de negligentia tantum, & eadem pœna ſuperius dicta, ſit & eſſe intelligatur in prędictis Nobilibus fieri mādantibus: Familiares uero ſint & eſſe intelligantur illi, qui morantur cum ſupradictis ad ſalarium, uel pro uiſionem, uel ad unum panem, & uinum, uel aliter quomodocumque, quod iudicantis arbitrio relinquatur; Declarantes quod ſi prædicta maleficia committentes, per prędictos Magnates præſentati, cõſignati, & ducti fuerint in fortiā Communis & Officialiū, ad prædictas pœnas minime teneantur, & in omnibus caſibus prędictis licitum ſit popularibus Ciuibus, & Comitatiuis ſe defendere, & ſi quod factum eſſet per Ciues populares, & Comitatiuos cõtra prædictos Magnates, & alios compreñenſos in caſibus ſupradictis, quod ad pœnam aliquam non teneãtur.

Quod illa quæſtio dicatur criminalis, pro qua pœna imponitur. Rub. XXXIII.

ILla quęſtio dicatur criminalis, ſiue cauſa maleficij, uel delicti ſuper qua imponitur pœna per legem, uel per ſtatutum, ſiue ordinamentum, quæ pœna in totum, uel pro parte applicetur Communi Vrbeuetano.

Quod procedatur de ſimilibus, ad ſimilia, vbi certa pœna non reperitur. Rub. XXXIV.

OMnia maleficia & delicta, ſuper quibus non eſt impoſita nec declarata pœna, de ſimilibus ad ſimilia, uel quaſi ſimilia, vbi ſimile non inuenitur puniantur, ſicut melius, & ſine dolo & fraude poterunt adaptari, inſpectis & penſatis ipſis delictis, qualitatibus, & conditionibus perſonarum, quæ fiant & fieri debeāt ſi delictum occurrerit in Curia poteſtatis cum Capitaneo, & ſi occurrerit in Curia Capitanei cum Poteſtate, & ſi aliquis prædictorum Poteſtatis, & Capitanei non eſſet cum Iudice appellationum, non eſſet cum Syndico Communis, ſi autem prędicti omnes Officiales defecerint, Officialis cognoſcens ex ſe ipſo faciet pura fide & bono animo.

De pœna offendentium Conſultorem, & alios Officiales. Rub. XXXV.

QVicumque offenderit aliquem, uel offendi fecerit, qui ſurrēxerit in Conſilio, uel arrenga, ſiue parlamento animo conſulendi quæ Communi ſiue Populo Ciuitatis occurrunt, uel in quocunque facto, ſeu caſu, occaſione dictæ diciariæ, aut aliquem Officialē, Ciuem Communis, Fabricæ ſanctæ Mariæ, uel Artium, uel Aduocatos, vel Procuratores occaſione eorum Officij, Artis, uel exercitij aduocationis, ſiue procurationis ſoluat, & ſoluere teneatur quatruplicatam pœnam eius pœnæ quæ imponeretur pro tali delicto per formam Statutorum, uel ordinamentorum ſi alium offenderet, & ſtētur ſacramento talis offenſi, quod dicta occaſione fuerit offenſus, dummodo de maleficio conſtet.

De armis non portandis, & ipſarum pœna. Rub. XXXVI.

NVllus per Ciuitatem Vrbeuetanam portet aliqua arma non ligata ſine licentia Officialium, uidelicet pro quolibet genere armorum offendibilium, ſcilicet cultello, daga, uel quatrelletto ad pœnam quinque librarum & perditionis armorum applicandorum Cameræ Communis ſi palam portauerit, uel ad centuram; Si autē clam portauerit pœna duplicetur ſine aliqua diminutione, & pro qualibet ſpada, lancea, mannaria, dardo, ſpedo, clauarina, & pro his ſimilibus, pœna quadraginta ſolidorum pro quolibet genere puniatur; & pro armis defendibilibus pœna uiginti ſolidorum pro

quolibet genere puniatur, & non intelligatur de illis qui irent, ſeu redirent ab extra eundo, uel redeũdo recta uia ad domum ſuæ ſolitæ habitationis: & quod etiam forenſibus uenientibus ad Ciuitatem liceat arma portare, & euntes, uel redeuntes ab extra pedeſter teneantur arma portare ligata intra Ciuitatem, & alia arma cum aliquo ſigno in ferro infixo, & cum fuerit hoſpitatus ipſa arma dimittat, & eundem hæc hoſpes docere teneatur, & ſi hoſpes dicto forenſi non diceret, & forenſis arma portaret, ſoluat hoſpes quadraginta ſolidos pro pœna, & foréſi ſi arma illa ablata fuerint, de emẽdatione teneatur, exceptis his qui traherent ad rumorẽ ignis, uel latronum, ſeu portarent ubicunque per Ciuitatem, uel Burgos, uel occaſione alicuius caualcatæ, uel offenſionis contra Ciuitatẽ factę, qui cũ quibuſcunque armis offendibilibus, & defendibilibus quandocũque impune trahere poſsint, & exceptis Ambaſciatoribus, & alijs quibuſcunque per æqueſtres eundo, uel redeundo, irent, ſeu redirent ut ſupra recta linea ad domum eius ſolitæ habitationis: Declarantes quod quicunque non permiſerit ſe mirari pro armis per familiam Officialium, condemnetur ac ſi cultellum portaret, & de his credatur dicto Birruarij, uel Nuncij Officialis, & hoc etiam non intelligatur de portantibus cultellum pro affectando panem ſine cuſpide, & ſit longitudinis vnius ſpannæ, quod quomodocunque portari poſsit ſine pœna; Additum quod quicunque aufugerit ante familiam quando uadunt per Ciuitatem mirando pro armis, puniatur ac ſi portauerit quadrelletum clam.

De pœna euntium poſt tertium ſonum campanæ. Rub. XXXVII.

NVllus vadat de nocte per Ciuitatem ſine licentia Officialium, nec ſtet foris poſt tertium ſonum campanæ, uſque ad ſonũ dictæ campanæ quæ pulſatur de mane, ad pœnam centum ſolidorum, & pulſari debet continue omni mane in aurora diei, niſi iuſta cauſa iret cum lumine igneo publico, & non abſcondito, & vnum lumen ſufficiat decem perſonis aſsiſtentibus & non ultra, tamen inuenti cum dicto lumine debeant idonee ſatisdare Officialibus Curiæ de ſe repręſentãdo perſonaliter, uel legitime ad mandata dictorum Officialium, & Curiæ, ad hoc ut ſciatur ſi ſunt bonæ famę & conditionis uel ne, uel ſi ſunt condemnati, & cõtrafacientes in prędictis, pro quolibet, & qualibet uice pœnam centum ſolidorum incurrant, & ſi malæ famæ, conditionis, & opinionis reputarentur, tunc prędicti Officiales ad Logiam

eorum Palatij banniri faciant in hac forma; Cum talis ſit captus, ſi alicui eſt aliquod ablatum, derobbatum, uel malefactum, quod debeant infra duos dies comparere, per quos dies dictus inuentus malę famę retineatur & retineri debeat, & ſi culpabilis fuerit repertus, condemnetur in decem libris denariorum quia inuentus de nocte, & de alijs delictis ſecundum formam Statutorum ſi culpabilis fuerit, & non reperto culpabili relaxetur, & tertius ſonus campanæ intelligatur & ſit ille qui pulſatur de ſero, & duret & pulſari debeat quantum perſona ire poſſit à Porta Maiori, uſque ad Portam Puſterulę: In taberna autem nullus de nocte moretur poſt ſecundum ſonum dictæ campanę quę pulſatur de ſero, ad pœnam ſtantis, & morantis, & inuenti in dicta taberna uiginti ſolidorum, quam pœnam etiam Tabernarius incurrat ſi dictam tabernam apertam tenuerit, qua taberna clauſa, licitum ſit dicto Tabernario, & domino domus, & alijs de dicta domo impune ſtare & morari; Additum quod ſiquis inuentus fuerit ſtare, ſeu ire poſt ſonum campanæ prope domum ſuam per quatuor domos, & ſi fuerit bonæ famę non teneatur ad pœnam, & etiam non teneatur ſiquis traxerit pro igne extinguendo.

De pœna ludentium ad taxillos, vel aliud ludum in taberna, vel alibi. Rub. XXXVIII.

SIquis luſerit ad azardum, uel ad aliud ludum in quo denarij amittuntur, uel aliud quod aſcenderet ad æſtimationem uiginti ſolidorum inter duos cōluſores quolibet die, in taberna, uel alio loco in Ciuitate, uel extra per unū miliare, pro quolibet & qualibet uice in cētum ſolidis puniatur ſine diminutione, & Tabernarius, ſiue venditor vini, uel alter, in cuius domo propria, uel conducta talis ludus fieret, & receptaret, uel retineret uoluntarie, & voluntarius receptator intelligatur niſi publice fuerit luſoribus proteſtatus ne ludant, pœna uigintiquinque librarū uice qualibet puniatur & cōdemnetur: Mutuantes uero aliquid in ludo, mutuum perdant, & ſibi ius agendi pro mutuo totaliter pręcludatur, quia qui turpitudinem allegant, nullatenus audiri debent, imo eorum damnum pœna ſimili ſuperius proxime dicta puniatur; Et quicunque ſuſpectus de ludo inuentus fuerit in loco aliquo ſuſpecto per familiam Poteſtatis, tamquam ludens puniatur pœna cētum ſolidorū ſine diminutione ut ſupra: & Officiales teneantur bis in hebdomada ad minus, mittere familiam ſuam per tabernas, & alia loca ſuſpecta, ad inquirendum, & rimandum pro luſoribus, & receptatoribus, & ſi pre-

& ſi prędictis Officialibus, uel familiaribus Officialium fuerit hoſtiũ tabernæ, uel alterius loci clauſũ, uel clauſum aperiri denegatũ, ex hoc ipſo, tam ipſi inuenti, quam Tabernarius, uel receptatores puniantur in pœnis prędictis: Si quis uero voluerit ludere ad aleas, ſcaccos, guelfã, mulellos, alioſſos, uel cum baliſta, ſeu ſagittario, ſeu arcu, non tamen in taberna, uel locis ſuſpectis, ſine pœna ludere permittatur; & quod quilibet poſsit accuſare tales ludẽtes, & Tabernarios & receptatores, & credatur iuramento accuſatoris cum uno teſte de uiſu bonæ famæ, cuius nomen in credentia teneatur, & dictus talis accuſans habeat medietatem pœnæ, & Officiales teneantur & debeant uinculo iuramenti, & pœna decem librarũ ſuper prædictis, & quolibet prædictorum ex ſuo officio inquirere, & procedere, & delinquentes punire de facto, ſine aliquo proceſſu, & cunctis iuris ſolemnitatibus prętermiſsis, in pœnis ſuperius declaratis.

De pœna dantis Conſilium, auxilium, uel fauorem. Rub. XXXIX.

NE aliqui Maiorum perſuaſionibus audaciam aſſumant & pereãt, Statuerunt quod ſiquis, uel ſiqua in aliquibus delictis committendis præſtiterit alicui auxilium, conſilium, opem, uel fauorem, quod tales Conſilium dantes, auxilium, opem, uel fauorem pœnam incurrant medietatis illius pœnæ pecuniarię quę pro tali delicto imponeretur, ſi pœna fuerit pecuniaria, uel conditionalis, Si autem fuerit capitalis, & uitæ hominis extinctiua, puniatur, & puniri debeat pœna mille librarũ denariorum; Si pœna fuerit membralis ſimpliciter, Cõſilium, auxilium, opem, uel fauorem dantes, pœnam ducentarum librarũ incurrant, & ad eũ perſoluendam cogantur, & compellantur; Et ſi in prędictis, & quolibet prædictorum Officiales fuerint negligẽtes, tardi, uel remiſsi, ſyndicentur, & ſyndicari debeant de prędictis, & repertos culpabiles puniri debeant eadem pœna qua committentes talia puniuntur.

De modo mulctarum. Rub. XL.

SI ille cui Officialis maior, uel ſui Iudices, uel alter eorum occaſione eorum officij iuſte pręceperint per ſacramentum, uel pręceptũ, & neglexerit adimplere, uel obſeruare, dictus Officialis & Iudex poſ-

poſsint ipſum mulctare & punire, uſque in quadraginta ſolidos denariorum cortonenſium; Et prædicta mulcta locum habeat in ciuilibus tantum, in criminalibus uero, uel occaſione maleficij poſsint mulctam imponere centum ſolidorum ex eorum officio, etiam nulla denunciatione, uel accuſatione interueniente, niſi iuſta & probabilis cauſa proponeretur, propter quam pręceptum nō potuerit adimpleri, quæ cauſa probetur dictis Officialibus, & Iudicibus, & ſuper eodē die præcipere poſsit: Milites uero in quantitate decem ſolidorum in ciuilibus, & criminalibus uiginti ſolidorū mulctandi arbitriū habeant, cuius medietas ſit ipsius Officialis.

Quæ pœna auferatur pro Filio delinquente. Rub. XLI.

SIquis vnum vel plures filios haberet, & aliquis eorum committeret maleficium pro quo puniri deberet, legitima dictorum filiorum debeat aſsignari filijs per Patrem, in quo filiæ non nuptæ in dicto numero filiorum computentur, & executio pœnæ fiat in parte filij delinquentis, quę partes fiant à partitoribus Communis, & partem aliorum filiorum, & filiarum ut ſuam recipiat Pater: & Pater qui pro delicto filij ſemel ſoluerit legitimam, non cogatur ulterius pro eodem filio, & eius delicto ſoluere pœnam; Et quod Officialis, & eius Curia, quando filius alicuius committeret maleficium, nō faciat aliquam executionem in bonis Patris, niſi prius diuidatur, quæ bona diuidantur infra decem dies, poſt latam ſententiam, uel ex tunc quando ſibi placuerit faciat diuidere bona paterna, detractis debitis hæreditatis prædictæ, & in parte obueniente dicto filio delinquenti fiat proceſſus, ſicut uidebitur dicto Officiali.

De fractoribus Pacis factæ. Rub. XLII.

NE aliquis ſub pacis colore factę decipiatur, ordinamus quod paces, & reconciliationes factę, & fiendę pro ſtatu, pace, & tranquillitate noſtrę Ciuitatis, Caſtrorum, Terrarum, & Villarum Comitatus & Diſtrictus eiusdem, à cunctis ſeruentur, & inuiolabiliter cuſtodiantur; Si vero aliqua Ciuitas, Terra, Caſtrum, Vniuerſitas, Comes, Baro, Miles, Nobilis, uel alia ſingularis perſona in futurum uiolare, uel reſpondere, turbare directe, uel indirecte pręſumpſerint, ſint ſē per noſtræ Ciuitatis rebelles & exbanniti, & ſic pro rebellibus & exbānitis cenſeri debeant & reputentur; Et nihilominus ſi haberi poterūt,

pœna

pœna capitis puniantur,& omnia eorũ,& cuiuslibet eorum bona mobi lia & immobilia ad perpetuã rei memoriã deſtruãtur, & ſic funditus, & radicitus diruta & diſtructa, ſint Cõmuni Vrbeuetano confiſcata & attributa: Et quod omnes & ſingulæ paces factæ, & quæ fierent in futurũ inter ſpeciales perſonas, quæ per publicum appareret inſtrumentũ,per ſingula capitula, ſecundum tenorem cõtractus, & contrahentium ipſorum inuiolabiliter obſeruentur; Sed ſiquis fuerit tantæ temeritatis, ut pacem factam per publicum inſtrumentum, vt dictum eſt ſupra, frangere præſumpſerit, ſi de homicidio facta fuerit, adulterio, falſitate, incendio, robaria, proditione, & de alijs caſibus ſupradictis ſimilibus, qui arbitrio Officialium cognoſcentium relinquantur, tales pacis fractores puniantur & puniri debeant ſimili & eadem pœna, qua pro eodem delicto punirentur, & nihilominus de dictis maleficijs quę committerentur in fractione pacis puniantur, & puniri debeant pœnis quæ per Statuta imponuntur; Et ſi pœna perſonalis imponeretur, & talis pacem frangens haberi non poterit per Officiales, tunc & eo caſu condemnetur in perſonæ amiſsione, & in confiſcatione omnium ſuorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, & actionum Cameræ Communis applicandorum, & confiſcandorum, quarum pœnarum ſupradictarum medietas ſit Camerę Communis prędicti, & alia illius contra quem pax rumpatur: Si vero in alijs caſibus quam ſupradictis pax rupta fuerit, perſonis, & qualitatibus delictorum penſatis & ponderatis, arbitrio & diſcretioni Officialium cognoſcentium relinquerunt, & medietas ut dictum eſt Communi, & reliqua medietas Parti leſę applicetur, non obſtãte aliqua donatione, vel ceſsione ſuorum bonorum in totum, uel in parte ab eo, uel ab altero facta, ſi poſt dictam alienationem, donationem, uel ceſsionem dictus malefactor inuentus fuerit per ſe, uel alium poſsidere; Et ſi capi non poterunt dictę pacis fractores, nihilominus in dictis pœnis condemnentur & puniãtur: Qui autem pro dictis fractoribus pacis obligati fuerint in contractu pacis, ſecundum tenorem ipſius cõtractus ad executionem ipſarum pœnarum per Officiales cognoſcẽtes compellantur, qua ſemel ſoluta per aliquem, contra alios non procedatur: Pax autem fracta intelligatur ſi percuſſus ſit in perſona ille qui pacem fecit, Filius, vel Nepos ex filio, Frater carnalis, uel conſubrinus qui ex parte Patris eſt, ab illo qui pacem fecit, uel ab aliquo ex illis qui cõprehenduntur in dicto contractu pacis; Sic quicumque frangentem pacem receptauerit puniatur, & cõdemnetur in medietate pœnæ illius pacis frangentis, niſi ipſi Officiali cognoſcenti, uel ad mandatum ipſius præſentauerit: & ſi aliquis attentauerit pacem frangere, & Officiali denunciatũ fuerit, teneatur ipſe Officialis illum capere, & ab eo idoneas

cau-

cautiones recipere quod toto tempore ſui regiminis neminem offendat: Et ſi capi non poterit, uel cautionem non prǫſtiterit, de Ciuitate, Comitatu & Diſtrictu exbanniatur, & ſuper prædictis omnibus & ſingulis, prædicti Officiales, & eorũ Iudices poſsint ex ſuo Officio ſine accuſatione, vel denunciatione inquirere ueritatem, & pœnas infringere ſupradictas: & hæc omnia prædicta locum habeãt in omnibus pacibus factis cum minoribus cuiuſcumque etatis,& obſeruentur ac ſi maiores eſſent.

De illo qui offenderit aliquem ex Conſanguineis ſui offendentis. Rub. XLIII.

VT conſanguinei illius qui maleficium commiſerit uadãt per Ciuitatem, & extra,tute, & ſicure, Statuerunt quod ſiquis offenſus, per ſe, uel alium, uel ipſius filij aliquem ex conſanguineis ſui offendentis offenderent uſque ad tertium gradum incluſiue, quod talis offendens, uel offendi faciens, pœna dupli puniatur, reſpectu habito ad principalem pœnam quam pro primo delicto imponitur.

De pœna illius qui ſe incaſtellauerit, ſeu rebellauerit contra Commune Vrbeuetanum. Rub. XLIIII.

QVæcumque Perſona ſe incaſtellauerit contra Commune, & Populum Communis Vrbiſueteris in quocumque loco, uel per ſe, uel mandata dicti Communis, & Populi non fecerit die requiſitionis, uel mandati facti eodem, uel ſequenti die, puniatur quilibet qui ſe incaſtellauerit, ſeu rebellauerit, & puniri debeat per Officiales dictæ Ciuitatis pœna capitis, & confiſcatione bonorum, omni ſolemnitate Iuris, Statutorum Communis, & ordinamentorum omiſſis, & ſubſtantialibus quibuſcumque.

De pœna laborantium terras Exbannitorum ſitas in noſtro Diſtrictu. Rub. XLV.

POſſeſsiones & bona Exbannitorum Communis Vrbiſueteris, à nemine in Ciuitate, & Diſtrictu Vrbeuetano laborentur, & qui cõtra fecerit, pro qualibet uice ſoluat & ſoluere teneatur ducentũ libras; Et ſi Poteſtas,& Capitaneus ſuper his fuerint negligentes & remiſsi, condemnentur per Syndicum Communis in pœna prǫdicta, ſalua Laboratoris legitima excuſatione; Additum huic capitulo quod cuili bet liceat occidere,& edere boues, & alias beſtias cum quibus laboraretur in dictis terris, ſine pœna.

De pœna percutientium aliquem de alto cum lapide, vel alia re, & de pœna proicientium lapides, vel aliud ſuper domum alicuius. Rub. XLVI.

SIquis animo iniuriandi proiecerit de alto lapides, vel aliud, & aliquem percuſſerit, pœna dupli puniatur; Si autem non percuſserit, pœna decem librarum pro quolibet lapide proiecto, uel alia re puniatur; Additum quod vnicuique liceat lapides proicere contra eum qui fecerit inſultum ad domum habitationis proicientis, & ipſum moderate percutere; Item quod nullus audeat in Ciuitate, uel extra, baliſtare cum arcu, vel baliſta ad aliquam Eccleſiam, turrim, palatium, columbariam, ſeu domum alicuius, ad pœnam centum ſolidorum pro qualibet vice.

De pœna turbantis & moleſtantis aliquem in tenuta & poſſeſsione. Rub. XLVII.

HAc lege ſaluberrima in perpetuum valitura ſtatuerunt, & ordinauerunt ſtrictiſsime inhibentes, quod ſi aliqua Communitas, Caſtrum, uel Vniuerſitas, Comes, Baro, Miles, uel Nobilis, uel aliqua quæcumque perſona habens Caſtrum, uel partem alicuius, cuiuſcumque conditionis, ſeu gradus exiſtat (exceptis popularibus cõtinue habitãtibus in Ciuitate, qui puniri debeant in omnibus ut populares) ſua authoritate propria auſus fuerit rẽ immobilem corporalem, ſeu incorporalem apud alium conſtitutam inuadere, uel aliquem in ſua poſſeſsione turbare, moleſtare, uel inquietare, uel inhibere dicto, uel facto poſſeſsiones Ciuium, uel Comitatenſium, pœnam incurrat pro qualibet turbatione, moleſtatione, inquietatione, uel inhibitione quingentarum librarum denariorum pro qualibet uice, ſi cõtra factum fuerit uel mandatum, & ultra dictam pœnam, poſſeſsionem, ſeu tenutam, & bona ablata, contrafaciens in prædictis compellatur reddere, & reſtituere, & omnes fructus per eos perceptos, & percipiendos, & qui percipi poſſent, damna etiam, & intereſſe, de quibus omnibus per dictos Officiales procedi poſsit, & teneantur, & debeant cum accuſa, denuntia, vel ſine, & per uiam inquiſitionis, prout dictis Officialibus videbitur, & placebit, & de his ſtetur iuramento damnum paſsi, inſpecta qualitate ſuæ perſonæ, ſi de fructibus, damno dato, & intereſſe, & non de pœna; aut credatur, & ſtetur

tur iuramento & dicto dicti damnũ paſsi cum uno teſte bonæ famæ, & ſufficiat in dictis caſibus dictum Laboratoris, uel Cõductoris poſſeſsionis qui dixerit ſibi fuiſſe inhibitum,& habeatur pro plena probatione; & repertis ſupradictis culpabilibus, executio in prędictis fieri poſsit per ſupradictos Officiales, tam contra dictos delinquentes, quam etiam cõtra eorum homines, & habitatores in dictis terris, & locis, & Laboratores ſupradictorum delinquentium; & in prædictis, & quolibet prædictorum, Officiales poſsint & debeant inquirere, & inueſtigare, cognoſcere, & procedere eorum arbitrio; ſed ſi qua perſona aliquem in re immobili, tenuta, uel poſſeſsione moleſtauerit, inquietauerit, uel turbauerit, uel prohibuerit uerbo, uel facto, ſeu extraxerit, talis perſona delinquens, qui ſua propria authoritate ſic fecerit ſine aditione Iudicis & ipſius authoritate, pro qualibet uice qua contrafactum fuerit pœnam incurrat quinquaginta librarum denariorum, & nihilominus poſſeſsionem reſtituat, & bona per eum moleſtata, & turbata, ſicque omnes fructus perceptos, & qui percipi poſſent à damnum paſſo cum taxatione Iudicis, de poſſeſſeſsione autẽ moleſtata, & turbata ſtetur, & credatur duobus teſtibus fide dignis.

Quod habitatores noſtri Comitatus, poſſeſsiones Ciuium, & Comitatenſium laborare teneantur. Rub. XLVIII.

HOmines & perſonæ habitantes in locis Ciuitatis Vrbiſueteris, ubi ſitæ ſunt poſſeſsiones Ciuium, vel Comitatenſium, laborare teneantur, & cultiuare debeant, quod ſi non fecerint, damnum quod euenerit reſarcire debeant damnum paſſo; & hoc locum habeat præcedente primo mandato dictis hominibus fiendo per litteras Vicarij, ad requiſitionem poſtulantis deſcriptionem ipſius Vicarij.

De pœna facientium caualcatam contra Ciuitatem. Rub. XLIX.

SI qua Perſona, Communitas, ſiue Vniuerſitas caualcatam contra noſtram Ciuitatem Vrbeuetanam, Comitatum, & Diſtrictum fecerit, uel fieri mandauerit in damnum, uerecundiam, uel uilipendium dictæ Ciuitatis, quod tunc tales facientes caualcatam, uel fieri facientes, ſi haberi poterunt, pœna capitis puniantur,

tur, & eorum bona deuaſtentur & deſtruantur, quibus deſtructis & deuaſtatis Cameræ Communis dictæ Ciuitatis applicẽtur & cõfiſcentur: Si autem capi & haberi non poſſent, in ſupradictam pœnam condemnẽtur; Et rebelles de eorum bonis fiat ut ſupra. Si quis autem Ciuis Comitatiuus, uel Diſtrictualis, uel habitator Ciuitatis Vrbiſueteris fuerit tantæ temeritatis vt ſine mandato, & expreſſa licentia DD. Conſeruatorũ, & Officialium, aliquam caualcatam extra Comitatum, & Diſtrictum fecerit ad aliquem locum, recedendo à dicta Ciuitate, Comitatu, & Diſtrictu prædictis, uel poſt dictam caualcatam reuertendo ad dictam Ciuitatem, Comitatum, uel Diſtrictum, quod talia perpetrans, & committens pro qualibet caualcata, pœnam quingentarum librarum denariorum incurrat, & nihilominus ſi ex dicta caualcata, & propter ipſam aliquis noſter Ciuis Comitatiuus, uel Diſtrictualis damnum aliquod habuerit, ſeu ſubſtinuerit, quod talis caualcatam faciẽs, ſeu fieri mandãs, ad petitionem dicti damnum paſsi, & ſubſtinentis cogatur, & compellatur ad emẽdam totius damni illati, & de omnibus ſupradictis per Officiales poſsit cognoſci, procedi, & puniri omni tempore, fide iuridica habita de prædictis.

Quod Homines & Perſonæ noſtri Comitatus & Diſtrictus, & Syndici teneantur, & debeant proſequi Malefactores. Rub. L.

VT metu pœnę delicta coerceantur ſtatuerunt, & ordinauerunt quod ſi delictum aliquod contigerit in aliquo loco Comitatus & Diſtrictus Ciuitatis Vrbiſueteris, quod Vniuerſitas homines & perſonæ dicti loci teneantur & debeant malefactores & delinquentes in eorum Territorijs impedire campanis pulſatis, rumoribus eleuatis, & dictos delinquẽtes proſequi, ipſoſque detinere, & arreſtare, & in fortiam Communis Vrbiſueteris, & noſtrorum Officialium deducere, ita quod delinquens nõ pertranſeat impunitus iuxta prædictorum poſſibilitatem; & ſi in prędictis, uel aliquo prędictorum aliqua Vniuerſitas, Caſtrum, Syndicus, uel Communitas negligentes fuerint, pigri, tardi, vel remiſsi, quod in pœnam incidant pro qualibet uice, & quolibet delinquente, & quolibet delicto tricentarum librarũ denariorum, si homicidium fuerit commiſſum, uel aliud delictum per quod pœna capitalis ueniret imponenda: Si autem malefactor aliud delictum committeret per quod puniri deberet pœna membrali, pœnam centum quinquaginta librarum denariorum incurrat pro qualibet uice, & quolibet delicto:

liĉto: Si uero pœna pecuniaria tali delinquenti non retento ueniret imponenda, negligentes in prædiĉtis ſimili pœna puniantur, in qua delinquens veniret condemnandus, & quod de prædiĉtis, & quolibet prędiĉtorum, Officiales noſtræ Ciuitatis teneantur & debeant inquiſitionem facere ſolemnem, & in ſcriptis contra ſupradiĉtos; & ſi ſupradicti fuerint negligentes ſemel omni menſe, repertos culpabiles condemnare in pœnis in præſenti Statuto deſcriptis, & inquiſitionem ſi nō fecerint, repertoſque culpabiles non cōdemnauerint, & puniuerint, uice qualibet quingentarum librarum denariorum pœna condemnentur & puniantur. Et quod præſens Statutum per prædiĉtos Officiales banniri fieri debeat infra menſem in principio ſui Officij, ne ignorãtia prętendatur, & omnibus pateat manifeſtum.

De creatione Syndicorum Comitatus, & eorum Officio. Rub. LI.

QVodlibet Pleberium noſtri Comitatus, cuiuſcumque Vniuerſitatis, uel Cōgregationis fuerit, teneatur & debeat Syndicos facere, ordinare, & conſtituere ad denunciandum & referendum omnia maleficia & deliĉta quęcūque fierent in eorum Pleberijs, Territorijs, & tenuta de ſemeſtri in ſemeſtre, ita quod nūquam uacet tale Officium Syndicorū, tempore unius Syndici finito, debeat creari alius Syndicus, de quo Syndicatu publicum appareat & apparere debeat Inſtrumentum, ita quod ſit ſolemne & ſubſtantiale, & ſi in prędiĉtis contrafaĉtum fuerit, qualibet uice diĉtum Pleberium puniri debeat pœna vigintiquinque librarum denariorum, & nihilominus infra oĉto dies ſequentes, quod diĉtum eſt, facere teneantur: Qui Syndici, poſtquam facti & ordinati fuerint ſolemniter in eorum Adunantijs, & Vniuerſitatibus, teneantur, & debeant infra tres dies Officium per noſtros Officiales, primo eis pręſtito iuramento, bene, perfeĉte, & legaliter facere & exercere ſine dolo, & fraude, & machinatione, ſollicite & attente, & cū diĉto Inſtrumento publico eorum ſyndicatus ſe ipſos repreſentare infra oĉto dies, poſt faĉtum bannimentum, coram quacūque Curia noſtræ Ciuitatis, & Officiali, cum bonis & idoneis fideiuſſoribus approbatis per Camerarium Cōmunis, de referendis omnibus maleficijs & deliĉtis, & de ſe repreſentando, parendo, & obediendo mandatis diĉtorum Officialium, de quindecim diebus in quindecim dies, & plus, & minus, loci diſtantia conſiderata, arbitrio Officialis; & ſi in prædiĉtis ſupradiĉti Syndici fuerint negligentes, & non obedientes, uice qualibet,

pœna

pœna quadraginta ſolidorum puniantur, puniri poſsint & ualeant: Et nihilominus ſi omiſſum fuerit aliquid per dictum Syndicum, qui fecerunt & ordinauerunt dictum Syndicum teneantur, & debeant infra alios quindecim dies, tales delinquentes,& maleficia commiſſa referre & denunciare cum effectu, prout eis melius videbitur, ad pœnam Vniuerſitati dicti Pleberij talem Syndicũ facięti, & ordinanti pro qualibet uice, & quolibet delicto, quinquaginta librarum denariorum, quam incurrant octo diebus elapſis, poſt octo datos Syndico ad referendum, ſi in prædictis fuerint negligentes.

De pœna amouentium Terminos,& ſupraprehendentium de Poſſeſſionibus alterius. Rub. LII.

QVicumque terminos poſitos à Viarijs, ſeu à Partitoribus Communis, vel ab alijs de conſenſu Partium, uel aliter iuridico modo, vel terminos, qualitercumque, per quinquennium, ſeu ultra affixos amouerit, ſeu extraxerit malitioſe, uel terminos miſerit ignorante Domino, uel illo cum quo confinat, in quinquaginta libras denariorum condemnetur, & puniatur, pro medietate Communi, & pro medietate conquærenti; & ſi probare non poterit quærelans, terminos fore amotos, de nouo iuret accuſatus, ſeu denunciatus quod non amouerit, & purget innocentiam ſuam, & abſoluatur accuſans & accuſatus, ita quod accuſans ad pœnam aliquam non teneatur, & termini reponãtur in loco ubi erant prius, & ad prædicta probanda, quo ad repoſitionem terminorum, credatur & ſtetur iuramento quęrelantis, cum uno teſte idoneo de uiſu probante quod termini erant & ſtabant in loco de quo eſſet quęſtio. Si uero ſupraprehenderit de poſſeſsione alicuius laborando, cultiuando, ſeminando, uel aliter faciendo, uel exgreppando, uel murum eleuando inuito Domino talis poſſeſsionis, decem librarum denariorum pœnam incurrat, & reſtituat damnum paſſo, facta probatione per iuramentũ Domini dictę poſſeſsionis apprehẽſę, & per vnum teſtem bonę famæ, & pluri & minori pœna, arbitrio Officialis cognoſcentis puniatur, conſiderata quantitate poſſeſsionis apprehenſę. Si vero proteſtatum fuerit per Dominum poſſeſsionis apprehenſæ, uel per aliam Perſonam legitimam nomine dicti Domini, ſemel cum duobus teſtibus tali apprehendenti poſſeſsionem alterius, & non deſtiterit poſt proteſtationem factam, pœnam uigintiquinque librarum denariorum incurrat.

De appontimine precario conceſſo. Rub. LIII.

SI appontimen aliquod fuerit alicui conceſſum, uel conuentum, uel aliquid ſupra ſolum alterius quis edificauerit, uel edificatum tenet, teneatur ille qui appontimen, uel edificium habet, remouere infra menſem, poſtquam fuerit requiſitus; quod ſi non fecerit, in pœnam decem librarum denariorum cõdemnetur, & nihilominus dictum appontimen, & edificium debeat remouere, nulla prȩſcriptione obſtante.

De Igne non faciendo in aliqua Feſtiuitate, & lignis non accipiendis. Rub. LIIII.

QVicumque ſine licentia Officialis fecerit ignem in aliqua feſtiuitate de nocte in Ciuitate, in quadraginta ſolidis denariorum puniatur uice qualibet, excepta feſtiuitate Sancti Ioannis Baptiſtæ de menſe Iunij; Et qui in illa nocte furatus fuerit, uel abſtulerit ligna uel tabulas alterius, in libras decem denariorum puniatur, & damnum emendet in duplum.

De pœna vulnerantis, vel interficientis Animal, vel Beſtias alicuius, & deſtruentis Cupellos Apium. Rub. LV.

SI quis alicuius animal, uel beſtiam interfecerit, equum, mulum, aſinum, bouem, & his ſimilia, compellatur, & conſtringatur, & teneatur ad emendam talis animalis Domino rei, & ultra dictam emendam, Camerario noſtri Communis ſoluat pro pœna, & nomine pœnæ ſoluere teneatur decem libras denariorum pro qualibet beſtia; Si autẽ interfecta fuerit aliqua beſtia minuta, videlicet porcus, pecus, capra, & his ſimilia, ſeu deſtruxerit cupellos apium, ad emendam prædictorum Domino rei, interficientes, & deſtruentes huiuſmodi teneantur, & ultra dictam emendam, in centum ſolidis denariorũ pro qualibet beſtia, & quolibet cupello Communi Vrbeuetano condemnetur, de quibus emẽdationibus ſtetur & credatur iuramento Domini dictarum beſtiarum, & cupellorum cum uno teſte probante de valore talis beſtiȩ, ſeu cupelli: Siquis autem aliquam dictarum beſtiarum uulnerauerit, uel aliter damnificauerit, uel impediuerit, quod tales uulnerantes, percutientes & impedientes teneantur & debeant ipſas beſtias vulneratas, & impeditas curare, liberare, & medicare, ac expẽſas dare Domino

mino beſtiæ, omnibus eorum ſumptibus,& expenſis, aut ipſas beſtias emendare cum digna æſtimatione, & nihilominus pro equo uulnerato & impedito, & his ſimilibus, Cameræ Communis centum ſolidos denariorum ſoluere teneatur nomine pœnæ; pro alijs autem beſtijs minutis, vt prædicitur vulneratis, & impeditis, ſolidos viginti pro pœna ſoluere compellatur, ac etiam ad emendationem damni in omnibus caſibus ſupradictis, quod damnum etiam ęſtimetur, & taxetur per Officialem cognoſcentem, primo præſtito iuramento per Dominum dãnum paſſum, & probatione facta cum vno teſte: & per dictum Statutũ non derogetur, nec derogatum ſit Statutis loquentibus, & permittentibus occiſionem beſtiarum in damnis datis.

Quod nullus prohibeat alium edificare, niſi ſecundum Iura. Rub. LVI.

NVllus prohibeat alium edificare, niſi ſecundum Iura, pro ſuo iure ſeruando, & qui aliter prohibuerit ſoluat decem libras denariorum nomine pœnæ, & edificare permittat: Si autem ſecundum Iura denunciatum fuerit, non poſsit nec debeat quis edificare, niſi idonea præſtita ſatisdatione ab eo de opere de emoliendo ſuis expẽſis ſi ſuccubuerit: Et ſi ille qui denunciauerit ſuccubuerit, totũ ſalarium ſoluat; Additum quod quicumque habuerit poſſeſsionem prope rupes Ciuitatis, & uoluerit facere griptam, ſeu columbariam, uel cellarium in dicta ſua poſſeſsione, uel in ripa iuxta ipſam poſſeſsionem, liceat ei prohicere terram ſub rupibus Ciuitatis ſine pœna Curię, & facere griptam, & columbariã, ſiue cellarium, non incidendo propterea de tufo ripæ Ciuitatis, non obſtante aliquo capitulo, conſtitutione poſita, uel ponenda.

Quomodo Minores qatuordecim annis in Delictis puniantur. Rub. LVII.

MInores quatuordecim annis in delictis taliter puniãtur, uidelicet ſiquis maior decem annorũ, minor uero quatuordecim proiecerit lapides cum iectulis fondis, uel mazaflondola, adſtringatur & puniatur in decem ſolidis pro qualibet uice; in maleficijs & delictis, & dãnis datis ubi pœna ueniret imponenda à uigintique libras infra, puniatur & puniri debeat media pœna: Et ſi dicti minores eſſent

dictæ

dictę ętatis quatuordecim annorum, proximi per ſex menſes, & tales eſſent quod malitia ſuppleret ætatem, cuius ætatis, & malitię declarationem diſcretioni Officialium relinquimus, tunc puniantur & puniri debeant arbitrio Officialium in dicta pœna, & maiori ut dictis Officialibus videbitur conuenire attento delicto, ætate, & perſona delictũ committente.

Quod nulla Communantia noſtri Diſtrictus recipiat aliquem Officialem, niſi eum qui mitteretur à Commune noſtro. Rub. LVIII.

NVlla Communãtia alicuius Terræ, uel Caſtri noſtri Comitatus, & Diſtrictus recipiat in eius Officialem aliquam perſonam quę non mitteretur à Commune Vrbeuetano, & qui contrafecerit puniatur in quingentis libris denariorum uice qualibet, & pro qualibet perſona; & ille qui dictum Officium aliter quam à noſtro Cõmune habitum acceptaret, uel exerceret incurrat pœnam prædictam, ſuper quibus Officiales teneantur inquirere, & contrafacientes punire & condemnare.

De adiuuando Exfortiatum, & de Repræſalijs. Rub. LIX.

SI quis noſter Ciuis, uel Comitatenſis fuit uel fuerit derobatus, uel exfortiatus in tenuta uel iuriſdictione Comitis, Vicecomitis, uel Baronis noſtri Diſtrictus, ſeu alicuius Communantię noſtri Comitatus, alicuius Terrę noſtri Comitatus Vrbiſueteris, uel pedagium fuit uel fuerit ſibi ablatum in aliquo dictorum locorũ, uel alibi per Diſtrictum noſtrum per quaſcumque perſonas, Dominus Poteſtas, & Capitaneus, & eorum Curiæ teneantur uinculo iuramenti ad pœnam ducẽtarũ librarũ denariorũ Cortonenſium talem derobatum, uel exfortiatum, ſeu aliter damnificatum, & iniuriatum defendere, & iuuare, & ei robariam, & res exfortiatas, & damna illata facere integre emendare iuramento talis derobati, uel exfortiati per derobatores, vel tales Barones, Comites, Vicecomites, uel fideiuſſores eorum ſeu Communantiam, uel Terram noſtri Comitatus & Diſtrictus in cuius Territorio ſeu iuriſdictione ſeu tenuta derobatus, ſiue exfortiatus, ſeu aliter dãnificatus fuiſſet, inſpecta qualitate perſonę derobatæ, uel exfortiatæ, & quantitate robarię, ſeu exfortiamenti, & dãni facti, ſeu pedagij accepti: qui-

ti : Quicumque vero fuit uel fuerit derobatus uel damnificatus extra Iurisdictionem dictæ Ciuitatis Vrbiſueteris ab aliqua perſona, ſiue Communantia in Territorio ſeu tenuta uel poſſeſsione alicuius Ciuitatis, Caſtri, uel Terrę, ſeu Comitis, Domini, uel Baronis, talis Ciuitas, Terra, ſeu Comes, Dominus, uel Baro requiratur per litteras Communis Vrbiſueteris ſemel, uel bis, & poſtea ſemel per Ambaſciatores pro emendatione, & ſatisfactione fienda tali noſtro Ciui, uel Comitatenſi de robaria, & damno ſibi illato, ſeu rebus, & bonis eidem ablatis, quę requiſitiones ſcribantur ita quod appareant manu Notarij reformationum Conſiliorum Vrbiſueteris : Et ſi tali derobato, uel exfortiato, ſeu damnificato, robariæ, & damni facti non fecerit emendam, & ſatisfactionem, Domini Poteſtas, & Capitaneus, & Pręſidentes qui pro tempore fuerint teneantur & debeant vinculo iuramenti, ad petitionem talis derobati, uel exfortiati, ſeu aliter damnificati Ciuis, uel Comitatenſis noſtri, Conſilium Duodecim bonorum Virorum, & generale, & ſpeciale Ciuitatis prædictæ ſuper prędictis, & quolibet prædictorum conuocari & congregari facere ſemel, & in eodem Conſilio proponere & legi facere petitionem ipſius ſuper reprę ſalijs concedēdis eidem, & facto & miſſo ſolemni partito in eodem Conſilio ad buſſulas, & fabas ſuper dicta propoſita, & petitione, quidquid & totum fuerit per dictum Conſilium reformatum, ſtabilitum, & ordinatum ualeat & teneat, & à quolibet tam Officiali Communis noſtræ Ciuitatis, quam alijs debeat inuiolabiliter obſeruari, & executioni mandari ac ſi per totum Commune dictæ Ciuitatis reformatum & ordinatum eſſet, non obſtante aliquo capitulo poſito, uel ponendo quod in contrarium loqueretur; Et ſi aliter uel ab alia perſona reprę ſalia alicui concederetur non ualeat ipſo iure : Et prædicta omnia uendicent ſibi locum in præteritis, pendentibus, præſentibus, & futuris : Si autem prædicta uel aliquod prædictorum committerentur, uel fierent contra aliquem Ciuem, uel Comitatenſem noſtrum in aliquo loco noſtri Comitatus uel Diſtrictus, ipſe Dominus Poteſtas, & Capitaneus teneantur & debeant ad petitionem talis noſtri Ciuis, uel Comitatenſis qui ſe diceret derobatum, uel exfortiatum ſiue damnificatum, uel ſibi pedagium fuiſſe ablatum mittere pro illo Comite, Vicecomite, uel Barone, ſeu Communantia, uel Terra noſtri Comitatus uel Diſtrictus in cuius Territorio, tenuta, vel poſſeſsione talis robaria facta, uel damnum illatum eſſet uel fuerit, ut infra tertium diem debeat coram ipſo Domino Poteſtate, ſeu Capitaneo & ſua Curia perſonaliter comparere, Et ſi uenerit Dominus

Pote-

Poteſtas, & Capitaneus cogat eum emendare damnum, & robariam ad ſimplicem uerbum derobati, exfortiati, uel damnificati cum ſacramento per eum præſtando, & expenſas recipere quas feciſſet, uel faciet occaſione dictę robariæ uel exfortiamenti, ſeu damni illati, & ultra hoc puniatur talis Baro, Comes, Vicecomes, uel Communantia, ſeu Terra, ſi robbaria, ſeu exfortiamentum, ſeu damnũ illatum fuerit à uiginti libris infra, in qninquaginta libras denariorum, ſi à uiginti libris ſupra uſque ad ſummam uigintiquinque librarum, in centum libris denariorum, ſi à uigintiquinque libris ſupra, in quingentis libris cortonenſium puniatur & condemnentur: Et ſi ferita fieret, & mors ſequeretur puniatur pœna dupli quam contineatur in capitulo Conſtitutionis Communis: Quas pœnas Dominus Poteſtas, & Capitaneus qui pro tempore fuerint, effectualiter exigere teneantur: Si autem prædicti, uel alter eorum cum fuerit requiſitus ut dictum eſt, & contumax fuerit & non uenerit in dicto termino trium dierum coram Domino Poteſtate, & Capitaneo & ſua Curia, teneatur & debeat dictus Dominus Poteſtas & ſua Curia, & Capitaneus in continenti ſine aliqua mora facere Exercitum contra illum contumacem, qui ſi dictum Exercitum expectauerit, eius Caſtra, & loca, uel tale Caſtrum, Terra, ſeu Communantia, quæ uel quod contumax eſſet, & Exercitum expectauerit, deſtrui, & diſipari debeant, & deſtructa in Commune Vrbeuetanũ deueniant, & ſemper eſſe debeant Communis prædicti; Quod Capitulum ſit pręciſum quod tolli uel mutari non poſsit.

De pœna tenentis aliquem Notarium extraneum in aliquo Officio Diſtrictus Vrbiſueteris. Rub. L X.

QVicumque habuerit aliquod Officium pro Commune in Comitatu ſiue Diſtrictu Vrbeuetano, non ducat in dicto officio, nec teneat aliquem Notarium qui nõ ſit de noſtra Iuriſdictione ad pœnam uigintiquinque librarũ; Additũ quod quicũque Notarius fuerit in aliquo Vicecomitatu, in eodem Officio eſſe nõ poſsit infra duos annos, niſi placuerit hominibus Vicecomitatus eiuſdem Pleberij pro maiori parte ipſorum.

De pœna corrumpentis Officialem. Rub. LXI.

SI quis præſumpſerit corrumpere, ſiue corrumpi facere aliquem Officialem noſtræ Ciuitatis, ſiue Comitatus, & Diſtrictus eiusdem uerbo, uel facto, in promittendo, offerendo, uel dando aliquam quantitatem pecuniarum, & pro qualibet re pœnam incidat cẽtum librarũ, & plus arbitrio Officialium de talibus cognoſcentium; quam pœnam ſi ſoluere non poterit talia perpetrans mitriatus fuſtigetur per totam Ciuitatem cum tali pecunia, vel re ad collum poſita, ita quod omnibus tranſeat in exemplum; qua fuſtigatione facta ad pœnam prædictam minime teneatur, & in prædictis Officiales noſtri habeant arbitrium in cognoſcendo, & procedendo: Si autem Officiales attentarẽtur corrũpi, prędicta non reuelauerint, non cognouerint, & ad pœnam non proceſſerint, ipſi Officiales ad pœnam ſupradictam totaliter compellãtur, & condemnentur, & puniantur, & de prędictis, & quolibet prædictorum quilibet legitimus accuſator & denunciator exiſtat.

De pœna Periurantis. Rub. LXII.

VT periuria tollantur & refrenentur, præſẽti Statuto ordinamus & ſtatuimus quod quicũque in facto ſuo proprio in aliqua ſua cauſa ciuili, criminali, ordinaria, vel extraordinaria deierauerit in deciſionibus alicuius cauſæ facti, uel rei, & de tali periurio legitime reprobatus fuerit, pœnam incidat uigintiquinque librarum denariorũ pro qualibet cauſa, re, uel facto, deciſa, uel deciſo, & nihilominus facta, dicta, accepta, ſeu ablata reſtituantur, & in priſtinum ſtatum reponantur, & quod factum fuerit uigore talis periurij non ualeat nec teneat vllo unquam tempore, nec ſit alicuius ualoris efficacię uel momẽti; prædicta autem non intelligantur nec locum habeant in actis & actitatis quæ quotidie fiunt coram Officialibus noſtrę Ciuitati pręſidentibus, quod in minimis & in alijs circa prædicta quæ vigintiquinque libras non excederint, cognoſcendæ, & puniendæ liberum habeant arbitrium: Et prædicta non vendicent ſibi locum in iuramentis delatis à Parte Parti, quo caſu diſpoſitioni iuris Communis relinquatur.

De pœna ementium Bladum in Platea cauſa reuendendi. Rub. LXIII.

NVllus Treccolus, uel aliqua alia Perſona audeat uel præſumat in Platea, ubi ſit Forum bladi, uel in aliquo alio loco noſtræ Ciuitatis emere aliquod genus bladi cauſa reuendendi, ad pœnam uigintiquinque librarum denariorum pro qualibet ſalma, & ab inde infra pro rata, quam pœnam Officiales prædicti teneãtur, & debeãt vinculo iuramenti, & ad pœnam uigintiquinque librarum eidem contrafacienti auferre, ita quod dicta pœna effectualiter Cameræ Communis Vrbiſueteris perſoluatur: Et prædicta non intelligantur in ſalaiolis, & hoſpitatoribus, qui poſt nonas poſsint emere cauſa reuendendi ſpeltam, ordeum, panicum, milleum, & omnia legumina.

Quod nullus trahat Ciuem, uel Comitatenſem ad aliam Curiam. Rub. LXIIII.

QVicumque noſter Ciuis, uel Comitatenſis, ſeu Diſtrictualis Ciuitatis Vrbeuetanę traheret, uocaret, ſeu banniri faceret aliquẽ noſtrum Ciuem, uel Comitatenſem, ſiue Communis Vrbiſueteris ad aliquam aliam Curiam, quam ad Curiam Ciuitatis Vrbiſueteris, ſtatuimus & ordinamus quod talis vocatus iuuetur expenſis Communis Vrbiſueteris, quas expenſas Officiales dictę noſtrę Ciuitatis ei facere teneantur contra talem uocantem, ſeu banniri, ſeu trahi facientem, & prædicta dicti Officiales contra ipſum, & eum punire debeant eorum arbitrio prout eisdem uidebitur expedire realiter, & perſonaliter: Et ſi dicti Officiales facere omiſerint, in ducentum libris denariorum pœnæ nomine puniantur & condẽnentur, & de hoc poſsint à quolibet syndicari, & appellari, ſaluo quod hoc non intelligatur, nec locũ habeat in illis perſonis quæ litigarent in aliqua Curia Eccleſiaſtica, uel quę ab aliqua Sentẽtia, uel proceſſu ipſius Curię Eccleſiaſticę appellarẽt ad aliã Curiam Eccleſiaſticam ſuperiorem, quo caſu tantum poſsint ad aliam ſuperiorem Curiam Eccleſiaſticam quemlibet trahere, & vocare ſine pœna.

De pœna prohicientium lapides, & bructuras in Eccleſiam S. Mariæ. Rub. LXV.

STatuimus & ordinamus quod nulla perſona maſculus, ſiue fœmina, paruus, uel magnus prohiciat aliquos lapides ad muros ſchiettos nouę maioris Eccleſię Sanctæ Mariæ Virginis de Vrbeueteri, & cõ

trafaciens ſoluat qualibet uice centum ſolidos denariorum: Et ſi proiecerit lapides, ſeu percuteret cum aliqua alia re ad muros, ſeu lapides muratos, & murandos in baſamento, feneſtris, ſeu portis, & pariete anteriori dictæ Eccleſiæ, uel in alijs portis, & baſamentis, & feneſtris ipſius Eccleſiæ, uel in aliquo eorum, quicumque fecerit contra prædicta, uel aliquod prædictorum ſoluat qualibet uice nomine pœnę decem libras denariorum, & ſi per talem proiectionem, ſeu percuſsioné, uel eius occaſione rumperet, ſeu frangeret, uel qualitercumque deuaſtaret aliquas figuras, uel figuram in totum, uel in partem, ſeu particulam, ſoluat nomine pœnæ uigintiquinque libras denariorum cortonensiũ & ſemper damnum emendet, & emendare teneatur in duplum: & ſi proiecerit cum arcu ad palluctas, uel cũ baliſta, uel cum iectulo infra muros, uel ad tectum, uel parietes dictæ Eccleſiæ, ſoluat qualibet vice nomine pœnæ quadraginta ſolidos denariorum, & damnũ emédet in duplum, & ſi prohiciens, uel faciens aliquid prædictorum fuerit minor quatuordecim annis, maior tamen nouem annis, Pater, & Mater, ſeu alij proximiores Conſanguinei ſoluant nomine pœnæ uiginti ſolidos pro qualibet vice, & ſemper damnum emendet in duplum: Officiales, & Operarij dictæ Eccleſię, & quilibet eorum poſsit contrafaciétes contra prædicta uel aliquod prædictorum expellere, corrigere, percutere, & verberare ſine aliqua pœna, & de prædictis, & quolibet prædictorum dicti Officiales noſtræ Ciuitatis qui pro tempore fuerint, & eorum Curia poſsint & debeant inquirere & inueſtigare ex eorũ Officio contrafacientes punire, & condemnare in pœnis prædictis, & nihilominus quilibet poſsit de pręd ictis & quolibet prędictorum, tamquam de publico crimine accuſare, & eius iuramento credatur cũ uno teſte bonæ famæ: Quarum pœnarum & cuiuslibet earum quarta pars ſit Communis Vrbiſueteris, alia quarta pars ſit dictorum Officialium, alia quarta pars ſit Accuſatoris, & alia quarta pars dicti Operis Sanctę Mariæ: & nulla perſona ponat, ſeu poni faciat ante parietem anteriorem dictæ Eccleſiæ, nec in Platea quæ eſt ante dictam Eccleſiam, nec ante parietes & portas eiuſdem Eccleſię, uel prope eam decem paſſus, aliquas pelles roſſas, ſeu lanas, uel aliquem pannum lanæ, ſeu lini uel canapis, nec faciat, uel ponat aliquã ſordurã, uel immũditiã, ſeu terrã ponat, uel prohiciat uel prohici faciat: Et qui contra prędicta, uel aliquod prędictorũ fecerit, ſoluat nomine pœnæ quatraginta ſolidos denariorũ pro qualibet uice, & quilibet poſsit dictas pellas lanas roſsas, & pãnos inde prohicere, incidere, & deuaſtare ſine pœna & cõtradictione alicuius pſonę, & quilibet poſsit cõtrafacienté accuſare, & habeat medietaté pœnæ, & credatur ſacramẽto Accuſatoris, & eidé credétia teneatur.

Quod

Quod nullus vendat rem quam alius poſsidet. Rub. LXVI.

NVllus uendat, nec aliquo alio titulo in alium transferat ſine licentia poſſeſſoris aliquam rem immobilem quæ ab alio poſsideatur, niſi iure Creditoris uendiderit rem quam in tenutam haberet pro ſuo credito contra ipſum poſſeſſorem: Et qui contrafecerit, tã uenditor, quam emptor teneãtur ad pœnam centum librarum denariorum Cortonenſium, & talis uenditio, & alienatio non valeat, nec teneat ipſo iure, ſed caſſa & irrita habeatur.

Quod nullus in noſtra Ciuitate condemnatus, & exbannitus poſſit habere aliquod Officium. Rub. LXVII.

SI quis in noſtra Ciuitate, uel alibi fuerit condemnatus, uel exbannitus pro infraſcriptis maleficijs uidelicet, pro crimine leſę maieſtatis, falſitate, proditione, baractaria, ſeu ſimonia, non poſsit ipſe, uel filij ſui in dicta noſtra Ciuitate, uel eius Comitatu & diſtrictu ad aliquod Officium eligi, nominari, extrahi, & deputari aliquo colore queſito, & ſi contrafactum fuerit contra Statutum prædictum puniatur pro qualibet in libris quingentis denariorum, & Officiũ exercere non poſſit, & eligentes, nominantes, extrahentes, & deputantes ſcienter aliquos Officiales contra formam prędictam ſimili pœna puniãtur, & prædictum Statutum inſeri debeat in electione omnium Officialium eligẽdorum, pœna Cãcellario Communis centum librarũ denariorum ſi in prædictis negligens fuerit. Similiterque ſtatuimus & ordinamus quod nullus condemnatus, uel exbannitus de Terra ſua, uel alibi pro ſupraſcriptis maleficijs poſsit uel debeat in dicta noſtra Ciuitate, uel eius Comitatu & Diſtrictu aliquod Officium habere, retinere, uel exercere ad pœnam ſupradictam, niſi de tali delicto habuerit abſolutionem, & remiſsionem, quam oſtendere poſsit Officialibus dictæ Ciuitatis, fidemque facere per publicum inſtrumentum, teſtes, uel alias quaſcumque probationes idoneas & legitimas. Et de prædictis & quolibet prædictorum, prędicti noſtri Officiales poſsint inquirere, cognoſcere, & punire, Et prædictum Statutũ ſemel in Cõſilio generali legi facere ita quod omnibus innoteſcat, & ignorantia prætẽdi nõ poſsit; Sed ſi lectum non fuerit, prędicti noſtri Officiales pœnam incurrant quinquaginta librarum denariorum, in qua per Syndicos Communis cõdemnari poſsint & debeant.

Quod

Quod Officiales & Domini Conſeruatores noſtræ Ciuitatis teneantur quolibet menſe fieri facere Conſilium generale. Rub. LXVIII.

HAc ſanctione perpetua ordinamus & ſtatuimus quod Domini Conſeruatores, & alij Officiales noſtræ Ciuitatis quolibet mẽſe eorum regiminis in principio facere teneantur Conſiliũ generale, in quo quidem Conſilio nihil aliud proponatur uel dici poſsit, niſi quod ſit de vtilitate, pace, vnione, concordia, & ſtatu noſtræ Ciuitatis, & quod de omnibus quæ dicentur vbi duę partes concordauerint prædictorum Conſiliariorum illud fiat, & executioni mandetur: Volentes, & expreſſe mandantes quod in dicto Cõſilio, quando declarari contigerit, nulla prępoſitio fieri poſsit, uel aliquid arrengari, quod ſi aliqualiter uel modo aliquo fieret non ualeat nec teneat ipſo iure, imo nullius ſit effectus efficaciæ, uel momenti: Et nihilominus Officiales permittentes aliquid proponi, uel arrengari ultra ſtatum, & utilitatem Ciuitatis noſtræ, in quingentis libris denariorum pro qualibet vice, quolibet actu, vel Conſilio condemnẽtur per Syndicos Communis deputandos in ſuo Syndicatu: Qui non arrengauerit contra vtilitatem noſtri Communis in vigintiquinque libris denariorum puniatur, & minus arbitrio Conſeruatorum Pacis; Qui Officiales & Arrengatores à prædictis pœnis abſolui non poſsint, nec debeant per Conſilium, uel arrengam, uel aliquam perſonam, uel aliquem Officialem: Et noſtri Officiales pœnas ſupradictas exigere infra decem dies teneãtur, poſtquam eis fuerit denunciatum ad petitionem cuiuslibet deferẽtis ad pœnam prędictam.

Quod nullus audeat aliquid facere, & procurare contra noſtrum Commune. Rub. LXVIIII.

NVllus Ciuis, uel Comitatiuus noſter, aut qui uis alius cuiuſcũque ſtatus & conditionis exiſtat uel dignitatis audeat, uel pręſumat uulgariter, uel litteraliter actu, dicto, uel facto, per ſe, uel alium dicere, aduocare, procurare, uel patrocinium aliquod præſtare, uel præſtari facere, ſeu mandare contra & aduerſus Commune noſtrum Vrbeuetanum, & Iura ipſius, merum & mixtum Imperium & iurisdictionem noſtri Communis, & qui contra prędicta aliquo modo uel colore quæſito attentaret, faceret, aſſentiret, uel fieri mandaret, in

ſexcen-

ſexcẽtis libris pœnæ nomine puniatur pro qualibet uice per dictos Officiales noſtræ Ciuitatis, ad quam pœnam exigendam prædicti noſtri Officiales Pręſidentes largum habeant arbitrium & poteſtatem in cognoſcendo, procedendo, & puniendo vt eiſdem uidebitur & placebit perſona, & delicto uisis & conſideratis, in quibus & de quibus dicti noſtri Officiales non ualeant, nec debeant ſyndicari: Et prædicta locum habeant tantum ubi & quando tractaretur de aliqua Iurisdictione, mero, & mixto Imperio alicuius Terrę, Caſtri, Fortilitij, Territorij uel tenimenti prædictæ noſtræ Ciuitatis Vrbiſueteris; In omnibus autem alijs caſibus ciuilibus, & criminalibus occurrentibus, licitum ſit aduocare, procurare, & patrocinium præſtare ſine pœna, & impune, habita primo licentia ab Officialibus Ciuitatis Vrbiſueteris cognoſcentibus, & non aliter.

De non offendendo aliam Perſonam, quam Perſonam offendentem condemnatam. Rub. LXX.

VT pœnæ ſuos veros teneant Authores & non alios innocentes ſtatuimus & ordinamus quod ſi quis offenderit aliquem perſonaliter, & ille offenſus, uel alius Conſanguineus eius, vel de eius Familia, uel ſtirpe, ſeu qui uis alius de eius mandato & uolũtate offenderit aliquem Conſanguineum ipſius offendentis ipſa de cauſa, uel propter uindictam delicti primo commiſsi cum armis & ſanguinis effuſione, & mors ſequeretur, quod omnia ſua bona deſtruantur, & deſtructa applicentur & ueniant in Commune, & captus traſcinetur ad caudam Aſini per totam Ciuitatem, & finaliter pœna ultimi ſupplicij puniatur, ſicque condemnetur ſi contumax fuerit & haberi non poſsit: Si uero alio modo offenderit realiter, uel perſonaliter, pœna dupli puniatur eius pœnæ quæ alias per formam Statutorum imponeretur ratione talis delicti, ſaluo quod prædicta non uendicent ſibi locum in offenſionibus quę fierent in perſonas exbannitorum, uel condemnatorum dicti Communis, qui per formam Statutorum poſsint offendi.

De modo tenendo quando Campana Populi pulſatur ad martellum. Rub. LXXI.

QVãdo campana Populi noſtræ Ciuitatis Vrbiſueteris pulſatur ad martellum, ſiue ad rumorem, omnes Artiſtæ, & alij populares dictæ Ciuitatis cuiuſcumque conditionis exiſtant armati omnibus armis trahere accedere & currere debeant ad Palatium Dominorum Cõſeruatorum Pacis, & Capitanei dictę Ciuitatis pariturí mãdatis dictorum Dominorum quæ facienda dixerint pro ſtatu dicti Populi, & Artium Ciuitatis præfatæ, ad pœnam decem librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, Et nullus audeat offendere talem uenientem & accedentem ad Palatium prædictorum Dominorum, & Capitanei, & qui contrafecerit in ære & perſona arbitrio Officialis pręſidentis puniatur: Et quando dicta campana pulſaretur modo prædicto ſeu poſtea, nullus Artiſta, uel qui uis alius de populo trahere, uel accedere debeat ad domum alicuius Nobilis, Comitis, uel Baronis, uel alterius Magnatis, ſed ire debeant ad Palatium Dominorum Conſeruatorum qui pro tempore erunt, contrafacientes uero in prædictis, uel quolibet prædictorum, qualibet uice per Officiales præſidentes puniantur, & puniri debeant in centum libris denariorum: Et ſi prædicti Domini Conſeruatores, uel aliquis eorum in tanta follia & errore incurrerent, quod tempore dicti rumoris ad domum prædictorum Nobilium accederent, uel aliquis eorum contrafaceret in ducentis libris denariorum puniatur, & nihilominus prædicto Officio priuetur ipſo facto; decernentes quod tempore dicti rumoris nullus de Nobilibus uel de Nobili progenie natus de noſtra Ciuitate, Comitatu, uel Diſtrictu audeat uel præſumat ad ipſum rumorem trahere, uel ad aliquod Palatium armatus, uel inermis ſine expreſſa licentia & mandato dictorum Dominorum Conſeruatorum; Et ſic nullam adunantiam, uel congregationem hominum facere poſsit tempore dicti rumoris, & qui contrafecerit in prędictis uel aliquo prædictorum in ære, & perſona arbitrio Officialium præſidentium facti qualitate, & conditione perſonarum inſpectis, condemnetur & puniatur.

Quod nullus Confinatus, uel Exbannitus à centum libris ſupra poſſit habere aliquod Officium. Rub. LXXII.

STatuimus & ordinamus quod nullus confinatus, uel exbannitus perſonaliter, uel à centum libris ſupra poſsit eſſe de Officio Dominorũ Conſeruatorũ, uel aliquod Officiũ, uel honorẽ Cõmunis, vel

uel Populi Ciuitatis, uel Comitatus habere; & ſi aliquis prædictorum ad honorem, uel Officium aliquod Communis, uel Populi ſupradicti fuerit extractus, extractio non ualeat ipſo iure, & eligens, ſeu eligentes ſcienter puniantur pœna uigintiquinque librarum denariorum, & nihilominus electus ſi electionem, Officium, uel honorem acceptauerit, & electus, nominatus, uel extractus fuerit, pœna ſimili puniatur.

Quod nullus Nobilis poſsit accipere tenutam de bonis alicuius Popularis. Rub. LXXIII.

NVllus Nobilis, uel natus de Nobilibus ex linea paterna poſsit uel debeat per ſe, uel alium ullo modo, ratione, uel cauſa eius authoritate in tenutam accipere pro aliquo debito, ſeu credito, uel alio modo bona ſeu de bonis alicuius popularis dictæ Ciuitatis, uel Comitatus, illorum uidelicet quę dictus popularis teneret & poſsideret ad pœnam quinquaginta librarum denariorum, & tenuta huiuſmodi accepta, ſit & eſſe intelligatur & habeatur nullius commodi, uel ualoris, & maxime donec de quæſtione crediti, uel debiti, vel alia cauſa prædicti Nobilis eſſet per Curiam & Officiales dictæ Ciuitatis, in qua, & coram quibus lis & quæſtio mota fuerit, per ſententiam diffinitum.

Quod nulla Perſona debeat contra Officium Dominorum Conſeruatorum, vel Capitanei coſpirationem facere. Rub. LXXIIII.

ITem ſtatuimus & ordinamus quod nullus audeat, uel præſumat publice, uel occulte facere aliquam conſpirationem, contumeliam, ſeu congregationem contra Officium DD. Conſeruatorum, Capitanei, & aliorum Officialium forenſium, & qui contra fecerit arbitrio Capitanei, uel Poteſtatis puniatur.

De pœna fugientis de manibus Familiæ, & fractoribus Carcerum. Rub. LXXV.

SI quis per uim aliquo modo, colore, cauſa, uel forma aliquem qui per Familiam alicuius Officialis duceretur ad Curiam ipſorum Officialiũ exemerit, tolleret, eximi, uel tolli faceret uerbo, dicto, uel facto, auxilio, uel fauore, & talis duct⁹ euaderet, eximẽs, vel tolli faciẽs aliquo modo ut ſupradictum eſt, pœnã mille librarũ denariorum incurrat ſi talis euadens, uel exemptus de manibus Officialiũ pœnam capitis

ſubſtinere deberet ex forma alicuius Statuti: Si autem pœnam membralem ſubſtinere deberet, pœnam quingentarum librarum eximens incurrat: Si autem pœnam pecuniariam talis euadens pati deberet, tunc eximens ſimilem pœnam ſubſtineat & patiatur: Si quis vero ductus per Familiam ex ſe ipſo de manibus Officialium aufugeret, omnis pœna pecuniaria in qua puniri deberet occaſione maleficij eiusdem duplicetur: & ſi in nihilo ueniret puniendus, ſeu puniri deberet pœna capitali, vel pro debito alicuius captus eſſet, arbitrio Officialis cognoſcentis condemnetur & puniatur augendo, minuendo, & mitigando ut dictis Officialibus videbitur & placebit, perſonis, & delictis bene conſideratis & penſatis: Si quis uero exiſtens occaſione delicti in carceribus Communis, & eas fregerit ſimili pœna ultra pœnã delicti propter talem fractionem condemnetur & puniatur: Et ſi aliquis detentus eſſet in carceribus pro debito, & carceres fregerit, propter talem fracturam condemnetur & puniatur in quinque ſolidis denariorum pro qualibet libra quantitatis debiti prædicti, quorum quinque ſolidorum medietas ſit Creditoris recipere debentis creditum: Carceres uero Communis intelligãtur & ſint omnes illæ quę pro carceribus per Officiales aſsignantur, & conſignantur.

De pœna extrahentis Bladum, vel Graſciam. Rub. LXXVI.

VT Ciues noſtri fertilitate abundent, & ne deficiant in prædictis ſtatuimus & ordinamus quod nulla Perſona cuiuſcũque ſtatus uel conditionis exiſtat ſiue Ciuis, Comitatiuus, Diſtrictualis, Recõmendatus, uel fuerit Forẽſis audeat, uel præſumat aliquod genus bladi, frumenti, ſeu tritici, uel graſciæ extrahere, uel extrahi facere uel mandare aliquo modo uel colore quæſito extra Ciuitatem Vrbeuetanam, eiuſque Comitatum fortiam & Diſtrictum ſine expreſſa licentia Dominorum Conſeruatorum, & Capitanei, & qui in prædictis contrafecerit, & culpabilis repertus fuerit puniatur & puniri debeat pro qualibet ſalma bladi, leguminis, uel alterius graſciæ, pœna uigintiquinque librarum denariorũ, & ſalma ſit & intelligatur eſſe triũ quartenghorum bladi, ſeu leguminis; ſed graſciæ tricentarum librarũ ponderis ſit ſalma, & ſi fuerit maior, uel minor prædicta quantitate, pro rata ad ſoluendum pœnam conſtringatur & compellatur: Et ultra dictas pœnas contrafaciens in prædictis, uel aliquo prædictorum perdat, & amittat omnes beſtias, & ſalmas quas conduceret, & quod de omni-

omnibus prædictis quilibet ſit denunciator, & accuſator legitimus; Addentes quod ſi quis contrafacientem prędictũ impediuerit, arreſtauerit, & in fortiam Communis deduxerit, quod prędictarum pœnarũ beſtiarum, & ſalmarum habeat & habere debeat tertiam partem, aliæ vero duæ partes ſint & applicentur Communi Vrbeuetano.

De pœna auferentium Paſſagium, vel Collectam. Rub. LXXVII.

NVlla Communitas, Caſtrum, uel Villa, Baro, Comes, Miles, Nobilis, uel alia ſingularis perſona audeat, uel pręſumat inſtituere, ordinare, accipere, uel accipi facere Pedagium, Gabellam, Collectam, uel aliud ſimile propter quod Ciues Vrbeuetani habitatores eiusdem loci, Comitatenſes, Diſtrictuales, uel forenſes grauentur aliquo modo, colore, uel ingenio niſi de licentia & commiſsione Cõmunis Vrbiſueteris; Si quis autem contra prędicta cõmiſerit, uel fecerit, pro qualibet uice qua contrafactum fuerit, contra facienti pœna ducentarum librarum auferatur, & accipi debeat ipſo facto, in qua pœna exigenda Officiales noſtri Iurisdictionem habentes, & de prędictis cognoſcentes largum habeant arbitrium, & poteſtatem in cognoſcẽdo, procedendo, & condemnando, de quibus non poſsint nec ualeãt ſyndicari: & de prędictis quilibet eſſe poſsit & ſit accuſator legitimus, & denunciator, cui primo præſtito iuramento cum duobus teſtibus de publica uoce & fama ſtetur & credatur; Quarum pœnarum tertia pars ſit Officialis cognoſcentis & punientis, alia tertia pars Accuſatoris uel Denũciatoris, & alia tertia pars Camerę Communis applicetur.

De pœna deſtruentium Domos. Rub. LXXVIII.

CVm propter ſuggeſtionem diabolicam, falſum colorem, & iniquitatem partialitatis, domus Ciuitatis noſtrę pro maiori parte ſint deſtructæ, uolentes talia refrenare ne deinceps Ciuitas domorũ deformetur ruuinis, ſtatuimus & ordinamus hac perpetua lege æternaliter obſeruãda, quod ſiquis deinceps aliquo tempore domũ alicuius deſtruxerit ſeu deuaſtauerit in totum, uel in parte, quod talis deſtruens pœnam mille librarum denariorum ipſo facto incurrat, & ad refectionem dictæ domus cogatur & compellatur: De quo nephando & ſceleratiſsimo delicto omni tempore poſsit cognoſci, procedi, & ad condem-

condemnationem deueniri, nec talia perpetrans poſsit aut ualeat excuſari propter nouitatem aliquam, guerram, uel ſcandalum quod in Ciuitate, quod abſit, eueniret; concedentes in prædictis, Officialibus Ciuitatis noſtræ latiſsimum arbitrium, poteſtatem ac baliam in procedẽdo, cognoſcendo, & puniendo, etiam ſi fuerint centum anni elapſi: & prędicta nõ intelligantur in illo qui domum ſuam deſtruxerit, uel deſtrui fecerit per ruuinam quam ipſa domus minaretur cauſa reaptationis, & nouæ ædificationis, uel meliorationis, cui impune liceat, & ad prędicta non teneatur.

De vſurpantibus Terras, & Caſtra noſtræ Iurisdictionis. Rub. LXXIX.

QVia appetitus humanus circa occupationem alienorum bonorum inrefrenabilis eſt, ideo deſiderantes ſalutifero remedio prouidere ſtatuimus & ordinamus quod ſi quis tantæ audaciæ, aut temeritatis fuerit quod aliquam Terram, Caſtrum, locum Iurisdictionis Communis Vrbiſueteris occupauerit, occupari fecerit uel mandauerit, quod talis contrafaciens in prædictis pro qualibet Terra, Caſtro, uel loco occupato, uel occupata pœnam mille Florenorum auri incurrat ipſo facto, & nihilominus Terram, Caſtrum, uel locum ſic occupatum, uel occupatam, infra tres dies inleſam, & inleſum Communi Vrbeuetano conſignare & reſtituere teneatur, quod ſi non fecerit pœnam capitis incurrat, & omnia bona talis occupantis ipſo facto deueniant in Commune, qui ſi haberi non poſſet ſit perpetuo exbãnitus & rebellis noſtri Communis, non obſtantibus aliquibus priuilegijs, conceſsionibus conceſsis, uel concedendis in damnum & præiudicium dicti Communis, quæ priuilegia & conceſsiones nullo umquam tempore debeant admitti per Officiales dictę noſtræ Ciuitatis, ſed potius tolli, lacerari, & annullari, & producentibus & vtentibus priuilegijs, ſeu reſcriptis quibuſcumque pœna ſit mille librarum denariorum quam ipſo facto incurrant, & in prædictis, & quolibet prædictorum Officiales dictæ noſtræ Ciuitatis habeant & habere intelligantur arbitrium, baliam, & poteſtatem omnimodam in procedendo, cognoſcendo, & puniendo de præſentibus, præteritis, & futuris omni tempore & perpetuo, libere, & ſecure omni modo quo melius fieri poterit, de quibus ſyndicari non valeant nec poſsint, & Officiales prædicti uinculo iuramenti, & pœna mille librarum denariorum pro qualibet uice teneantur & debeant omni menſe eorum Regiminis inquirere, & ſolemnem inquiſitionem facere, & repertos culpabiles, uel occupantes,

tes, condemnare & punire pœnis ſupradictis, & in maioribus prout dictis Officialibus uidebitur & placebit.

Si quis aliunde quam per Portas exiuerit, vel intrauerit. Rub. LXXX.

SI quis aliunde quam per portas Ciuitatis noſtræ ipſam Ciuitatẽ intrauerit, vel de ea exiuerit de die, uel de nocte, pœnam quingentarum librarum denariorum ſoluere conſtringatur, & compellatur, fide habita ſaltem per vnum teſtem bonæ conditionis & famę de uiſu probantem, cuius dicto & teſtimonio credatur & ſtetur, & ad executionem dictæ pœnę procedi poſsit & aliter non, & quilibet poſsit denunciare & accuſare, & portæ intelligantur & ſint omnes illę quæ cum clauibus aperiuntur & clauduntur.

De pœna accedentium ad Monaſteria Monialium. Rub. LXXXI.

NE ſacra & Deo dedicata corrumpantur, & in quantum poſſumus incorrupta perſiſtant, ſalubriter ſtatuimus & ordinamus quod nulli liceat ad aliqua Monaſteria Moniali ũ accedere ſine expreſſa licẽtia Officialium præſidentium in Ciuitate Vrbiſueteris, ad pœnam contrafacientibus decem librarum denariorum pro quolibet, & qualibet uice, exceptis Mulieribus, & Medicis euntibus ad medicãdum dictas Moniales, & ipſarum aliquam, & exceptis Famulis ipſarum, Molendinarijs, Oblatis ipſarum Monialium, & laboratoribus portãtibus fructus poſſeſsionum earum, quibus liceat impune accedere & ſine pœna; Addentes quod reperti per Officiales infragranti crimine culpabiles de prædictis, ſupradictam pœnam ſoluere cogantur ipſo facto, cuius Officiali ſimplici verbo ſtetur & credatur.

Quomodo, & qua Moneta expendi debeat in noſtra Ciuitate, & Iuriſdictione. Rub. LXXXII.

NVlla moneta expendi debeat in noſtra Ciuitate, Comitatu, & Diſtrictu eiuſdem quę fabricata non fuerit, ſeu fabricaretur in noſtra Ciuitate, & Iuriſdictione licite & iuſte, & de mandato Domi-

to Dominorum Conſeruatorum, & Conſilij Baliæ Communis dictæ Ciuitatis, de qua licentia apparere debeat ſolemne & publicum inſtrumentum in forma, & ſi quis aliter fabricare præſumpſerit puniatur pœna in Statutis contenta: Si autem moneta fabricata in noſtra Ciuitate, Comitatu, uel Diſtrictu non reperiretur, tunc illa moneta intelligatur licita & expendi poſsit, quę taxata, permiſſa, ordinata, & formata fuerit per ſupradictos Dominos Conſeruatores, & Cõſules Mercatorum dictę Ciuitatis, & quę communiter currit in Ciuitate Vrbiſueteris, uel quę non ſit reprobata: Qui autem aliam monetam portauerit à uiginti ſolidis ſupra, pro qualibet moneta, & qualibet uice, uigintiquinque librarum denariorum pœnã incurrat; Decernentes & ſtatuentes quod dictæ monetæ reprobatæ ſic repertæ incidantur, & incidi debeant per medium, quibus inciſis & pœna ſoluta reſtituantur & reſtitui debeant Dominis ipſorum, Addẽtes quod licitum ſit publicis Campſoribus palam Banchum retinentibus, & etiam oneratoribus pannorum deſcriptis & approbatis in matricula, prędictas monetas ad eorum manus uenientes per medium incidere, quas inciſas reſtituere teneantur Dominis pręfatarum monetarum; ſicque ſi falſas inuenerint incidere teneantur poſsint & eis liceat ſine fraude & dolo: Si autem doloſe inciſæ fuerint non recte, nec iuſte, de tali dolo cognoſcendo, & puniendo, ad diſcretionem Officialium puniantur.

Quod liceat Domino, vel Magiſtro Familiam ſuam verberare. Rub. LXXXIII.

FAmiliam quam quis ſuis ſumptibus tenet Seruos, uel Ancillas, aut alios, uel alias mercede conductos & conductas, ſi Dominus uel alius de Familia uerberauerit, uel Magiſter Diſcipulum moderate tantum, non ſoluat bannum, & ſi aufugerit poſsit eum Dominus, & Magiſter reducere ſine pœna; Moderamen autem intelligatur quando ex tali uerberatione, ſeu percuſsione nõ ſequatur homicidiũ, uel mẽbrum perdat, & in prædictis non poſsit Poteſtas procedere niſi per accuſam.

De Arbore pendente ſuper rem alterius. Rub. LXXXIIII.

SI Arbor alicuius pendet ſuper rem alterius, ille ſuper cuius rem pẽdet poſsit illam partem quæ penderet ſuper rem ſuam colligere, & incidere ſine pœna, & ille cuius eſt Arbor quę pendet ſuper rẽ alterius teneatur incidere partem Arboris ſic pendentis infra unũ menſem

ſem poſtquam fuerit requiſitus à Domino rei ſuper quam dicta arbor pendet coram duobus teſtibus, quod ſi non fecerit ſoluat quatraginta ſolidos, & nihilominus arborem incidere teneatur.

De Liga, Aquaiali, Sciaquatorio, & Canali non claudendo, frangendo, vel aperiendo. Rub. LXXXV.

QVicumque Ligam fregerit uel extorſerit malitioſe, ſeu clauſerit aliquod aquaiale ſeu ſciaquatorium, uel canalem molendini, ſeu aperuerit ſoluat pro pœna quatraginta ſolidos qualibet uice, & quod factum eſt in ſtatum priſtinum reducatur, & de nocte decem librarum denariorum pœnam incurrat, & ſtetur iuramento Domini prędictorũ, ſaluo quod hoc Capitulum non pręiudicet Creditoribus, nęc illis qui ius deriuandi aquam habent conſuetudine uel precę: Habens autem molendinum per totum menſem Februarij teneatur facere ſciaquatorium aquæ dicti Molendini, taliter quod aqua quę exierit reducatur, & qui contrafecerit ſoluat centum ſolidos, & nihilominus hoc facere teneatur; Additum quod ad eandem pœnam teneatur qui clauſerit aquæductum per quem aliquis eſt ſolitus aquã ducere ad irrigandum poſſeſsiones, quam pœnam etiam ille ſoluat qui aquam deriuauerit per poſſeſsionẽ alicuius Domini, cui de iure facere nõ licet.

Quod nullus deferat ligna ad Ciuitatem niſi de menſura. Rub. LXXXVI.

NVllus deferat ligna ad Ciuitatem ad uendendum minoris longitudinis duorum pedum & dimidij, & qui contrafecerit ſoluat uiginti ſolidos: Eãdem pœnam ſoluat qui portauerit palos nouos ad uendendum, aut uendiderit minoris longitudinis quinque pedum ad pedem Communis, & intelligatur cõmiſſa pœna in ſalmis lignorũ à quatuor Stellis ſupra, & in ſalma palorum à decem ſupra, & credatur iuramento emptoris; quæ ligna uendi debeant in Platea lignorum, & non alibi ſub dicta pœna: Et hoc Poteſtas teneatur uinculo iuramenti banniri facere per totam Ciuitatem, & per litteras notificare per totum Comitatum in principio ſui Regiminis, quod ſi non fecerit perdat de ſuo ſalario centum libras denariorum, & ad prædicta qui non ſunt de noſtra Iuriſdictione non teneantur.

Quod nulla Communantia noſtri Diſtrictus eligat in eius Officialem aliquam Perſonam, niſi de Ciuitate Vrbiſueteris.
Rub. LXXXVII.

NVlla Communantia alicuius Terræ, uel Caſtri noſtri Diſtrictus eligat in eius Officialem aliquam Perſonam niſi de Ciuitate Vrbiſueteris, & qui contrafecerit in centum libris denariorum puniatur uice qualibet: ſuper quibus Poteſtas teneatur inquirere,& cõtrafacientes condẽnare: Et qui fuit uel fuerit in aliquo Officio in Comitatu Vrbiſueteris, inde ad tres annos in eodẽ nullatenus eſſe poſsit.

De condemnationibus exigendis. Rub. LXXXVIII.

OMnes & ſingulæ condemnationes latæ & ferendę in quibus nõ eſſent dati fideiuſſores de ſoluendo pœnam approbati per Camerarium Communis ut ſupra plenius diſponitur, contra dictos tales condemnatos ſic exequantur uidelicet contra illos, contra quos poſſent executiones fieri, & qui poſsiderent uel aliquid haberent in dicta Ciuitate, Comitatu, uel Diſtrictu uidelicet, quod elapſis decem diebus à die latæ ſententiæ, ſeu condemnationis, ſi ab ea non fuerit iuridice appellatum, Poteſtas, ſeu Iudex Maleficiorum notificet Dominis Conſeruatoribus pro tempore exiſtentibus talem eſſe condemnatum, & non comparuiſſe, & quod dent ſibi æſtimatores ad æſtimandũ bona dicti condemnati ſeu exbanniti, & dictis æſtimatoribus uocatis per Dominum Poteſtatem deferatur iuramentum de æſtimando rite & recte ſecundum eorum conſcientiam omnia bona mobilia & immobilia dicti exbanniti; Qui æſtimatores ut ſupra electi teneantur ad pœnã vigintiquinque Florenorum dictam electionem acceptare, & perquirere omnia bona dicti talis exbanniti tam in cataſtis Communis, quã alia quacumque uia unà cum Syndico Communis,& ipſa bona æſtimare & in ſcriptis dare dictam æſtimationem, & inuentarium ſupradictorum bonorum diſtinctim & ſeparatim æſtimatorum, dicto Domino Poteſtati, & ipſe Dominus Poteſtas teneatur facere ſcribere & regiſtrare ſupradictam æſtimationem, & inuentarium bonorum per Notarium Maleficiorũ,& per Cancellarium dicti Communis: Quibus ſic per actis dictus Dominus Poteſtas debeat banniri facere ad logiam Palatij eius ſolitę reſidẽtiæ, quod quicũque deberet aliquid habere à dicto tali exbannito, ſeu aliquod ius haberet in dictis bonis,debeat comparere coram ipſo Domino Poteſtate infra terminum decem dierum, tunc

proxime futurorum, ad oſtendendum & probandum iura ſua, & ſi aliquis cōpareret in dicto termino qui ſe diceret Creditorē, uel aliquod ius habere in dictis bonis, deferatur eidem prius & ante omnia iuramentum per dictum Poteſtatem quod credat ſe iuſta petere, ſeu ius habere in dictis bonis, & ſi denegauerit iurare non audiatur ulterius; Si autem iurauerit, & poſtea legitime probauerit per inſtrumenta, uel teſtes, uel alium legitimum modum creditum ſuum, uel ius ſuum, Dominus Poteſtas, uel eius Iudex pro ea rata quę fuerit declarata, de dictis bonis faciat aſsignari, dummodo dictum creditum fuerit contractum per annum antequam fuerit commiſſum dictum Maleficium, & elapſis dictis decem diebus ut ſupra præmittitur, Dominus Poteſtas cogat & cogere debeat in Palatio proximiores Conſanguineos dicti talis condemnati ad emendum dicta bona æſtimata ut ſupra, & quæ non eſſent adiudicata alicui Creditori ſeu ius habenti ut ſupra præmittitur, & debeat relaxari dictis emptoribus quarta pars totius æſtimationis: de quibus bonis fiant quinque partes, de quibus fratres carnales teneantur emere tres partes, & alias duas partes fratres conſobrini; Et ſi non eſſent dicti fratres Dominus Poteſtas cogat proximiores dicti talis condemnati, habito reſpectu ſecundum plus & minus ad quantitatem gradus, & perſonarum, prout ſibi melius uidebitur; & dictas pecunias recipiendas, & extrahendas de dictis præcijs, & ęſtimatione faciat dictus Dominus Poteſtas per uenire ad manus Camerarij Communis, & annotari & deſcribi in dicta condemnatione dicti talis condemnati: Et ſi dicta bona ualerent vltra dictam condemnationem, dictus Poteſtas faciat aſsignari tot bona quot ſufficiant pro dicta condemnatione ſoluenda, ſeruatis tamen ſupraſcriptis.

Quod vnicuique liceat capere Exbannitum. Rub. LXXXIX.

VNicuique liceat capere, & detinere, ac arreſtare exbannitum, & condemnatum dictæ Ciuitatis propter aliquod maleficium, & ſi quis exbannitum cœperit, & eum in manibus & fortia Curiæ dederit & aſsignauerit, lucretur quartam partem pœnæ in qua dictus captus appareret condemnatus.

De Gratijs faciendis de pœnis ſupradictis. Rub. LXXXX.

VOlens aliquis condemnatus dicti Communis habere aliquam gratiam à dicto Communi de eius condemnatione, non audiatur, nec eius ſupplicatio audiri nec admitti poſsit, quin prius habuerit pacem ab offenſo quam oſtendere teneatur manu publici Notarij, & ſoluerit Camerario Communis duos ſolidos pro quolibet Floreno ſuæ condemnationis.

Qualiter Apodixa in condemnationibus debeant compenſari. Rub. LXXXXI.

QVicumque noſter Ciuis, uel Comitatiuus fuit, uel fuerit condemnatus per Curiam Communis Ciuitatis Vrbiſueteris occaſione cuiuſcumque maleficij uel delicti, & pro ipſo condemnato in dicta Curia fideiuſſerit ante condemnationem uel poſtea, talis condemnatus, uel fideiuſſor, & quilibet eorum poſsit & ei liceat omnes eorum & cuiuſque ipſorum Apodixas ex quibus appareret talem condemnatum, uel eius fideiuſſorem debere habere aliquam quantitatem pecuniæ à Communi Ciuitatis prædictæ, quæ ſcriptæ apparerent manu Cancellarij Communis ſecundum formam ſuperius traditam, non acquiſitę ab alio, compenſare & compenſari facere in quantitate condemnationis quam ſoluere deberet Communi prædicto.

Finis tertij Libri.

STA-

STATVTORVM VRBISVETERIS

LIBER QVARTVS DAMNORVM DATORVM.

De modo & ordine vendendi Officium Damnorum Datorum. Rub. prima.

OFFICIVM D.D. Magnificę Ciuitatis Vrbiſueteris annuatim uendatur per Magnificos Dominos Conſeruatores pręmiſsis debitis ſubhaſtationibus per quindecim dies antequam finiatur Officium præcedentis Officialis, & proclamata mittantur in Platea Maiori dictæ Ciuitatis, & banniatur quod quicumque uult emere Officium D.D. dictæ Magnificæ Ciuitatis pro uno Anno proxime futuro inchoando à die ſubhaſtationis & ut ſequitur finiendo, compareat cum idoneo fideiuſſore qui promittere debeat tam de præcio oblationis faciendæ pro emptione dicti Officij, quam de obſeruatione Statutorum, & Syndicatu coram Dominis Conſeruatoribus, in Palatio Domini Poteſtatis poſito in Platea Populi ubi ponēt ſuas Apodixas in baccili, & qui erit repertus, ultra tamen oblationem nomine Cōmunis factam, maiorem oblationem feciſſe, lucrabitur Vices, & denique plus offerenti deliberabitur cum pactis & conditionibus quod emptor non poſsit petere aliquam remiſsionem, reſtitutionem, ſeu defalcationem, nec ualeat uti aliqua retentione, ſed emat ſuo periculo & fortuna, prout de emptione Gabellarum, tam circa modum uendēdi, quam circa conditiones & pacta cenſeatur decretum ſtatutum & ordinatum in uenditione Officij D.D. & qui uult admitti ad emptionē prædicti Officij ſit bonæ conditionis & famæ, & non retinuerit per tres annos antea, uel extiterit extractus tacite uel expreſſe, niſi ſuper hoc pro utilitate publica per Conſeruatores, & Conſilium Duodecim fuerit derogatū; Et dictus emptor tempore emptionis prædictę teneatur & debeat ſub uinculo iuramenti Socios ſi quos habet in emptione dicti Officij nominare, & ſi quem ex dictis ſocijs nominare dimiſerit, ipſo iure ſit priuatus dicto Officio, & nihilominus ſuas facere teneatur pagas, & de periurio puniri poſsit & ualeat ſecundum formam Statutorum præſentis libri.

De Officio emptoris Damnorum Datorum. Rub. II

EMptor Officij Damnorum Datorum non poſsit dictum Officium reuendere ſiue alteri concedere ſine licentia Conſilij generalis, ſub pœna quinquaginta Ducatorum auri pro duabus tertijs Cameræ Communis Vrbiſueteris applicandorum, & pro alia tertia executori, & renũciatio prędicta ſit nulla, & cogi poſsit nihilominus, & teneatur facere ſuas pagas, nec poſsit exercere in dicto Officio aliquod Officium Officialis ſeu Cuſtodis ſecreti, nec denunciare, nec accuſare, nec in dicto Officio ipſe, nec aliquis alius Officialis dicti Officij poſsit formare aliquam inquiſitionẽ de eorum proprijs bonis & in dicto Officio contra beſtias dicti emptoris procedi non poſsit, ſed per Poteſtatem procedatur & pœna pro tertia parte applicetur damnumpaſſo, pro alia Poteſtati dictæ Ciuitatis, reſiduum Communitati prædictæ; Dictuſque emptor nec aliquis alius ſcribere ualeat in aliquo libro dictę Curiæ, ſeu baſtardello niſi Notarius, ſeu Notarij deputati in dicto officio. Quæ omnia ſi ſecus fiant ſint ipſo iure nulla, ac ſi facta non eſſent, & eis nulla adhibeatur fides: Et teneatur & obligatus ſit præfatus emptor ſeruare omnia ſtatuta inſerta in hoc quarto uolumine ſtatutorum, & ea obſeruari facere per eius Officiales. Quod quartum Statutorum uolumen teneatur in dicto Officio retinere, & oſtendere unicuique eum uidere uolenti, ad pœnam decem ducatorum pro uice qualibet qua requiſitus non oſtenderit, uel oſtendere recuſauerit, applicãda pro tertia parte Accuſatori, pro alia tertia parte Executori, pro reſiduo Communitati prædictæ: Debeatque eſſe & ſit patiens in audiendo comparentes in dicto Officio, nec audeat dicto, uel facto iniure ſub pœna decem ducatorum applicandorum ut ſupra. Item nõ poſſit nec debeat aliquo modo emptor præfatus paciſci, ſeu compoſitionem facere cum Dominis animalium D. D. nec Macellarijs dictę Ciuitatis tam de damno illato, quàm inferendo abſque licentia damnũ paſsi ſeu patiendi, aliàs ſi quid erit contrafactum, tam ipſe Officialis, quam Dominus animalium, ſeu Macellarij incidant pœnam uigintiquinque ducatorũ pro quolibet & uice qualibet applicãdorum Accuſatori, damnum paſſo, & Cõmunitati prędictę pro ęquis portionibus, & ſi dctus Accuſator eſſet unus de dictis paſcentibus abſoluatur in totum à dicta pœna ad quam pœnam ultra pœnas ſtatutarias poſsit Poteſtas Ciuitatis Vrbiſueteris procedere cõtra dictos paciſcentes defectu negligentiæ Iudicis dicti Officij, qui negligens intelligatur unica ſibi facta proteſtatione per damnum paſſum, ſeu Accuſatorẽ, & ſub eadem pœna non poſsit dictus emptor extrahere accuſam ſine licentia

dam-

damnum paſsi, nec quo uis modo ſe componere cum damno dante, cum quo ſi concordauerit, & remanſerit tamen accenſus cadat in ſupradictam pœnam, nec poſsit quid ultra petere de dicta inquiſitione, etiam ſi eſſet formata denuo ex dicto alterius teſtis, nec poſsit nec debeat exigere partem ſuam non certificatis damnum paſsis ſub dicta pœna applicanda ut ſupra: Et quia ut plurimum delictorum perſecutores à delinquentibus odio proſequi contingit, uoluerunt tam emptorem, quam omnes alios Officiales dicti Officij poſſe deferre arma tam in Ciuitate, quam extra.

De Officio Iudicis. Rub. III.

IVdex dicti Officij detrahēdus ex Buſſulo Magnificę Ciuitatis Vrbiſueteris more ſolito habeat & habere debeat pro eius ſalario Florenos duos pro quolibet mēſe ab emptore dicti Officij, nec poſsit nec debeat habere aliquam partem in dicto Officio: Teneatur & obligatus ſit reuidere ante ſententiam omnes proceſſus ſibi oſtenſos à Notario eiusdem Officij, exiſtētes in contradictorio iudicio, ſub pœna amiſsionis ſalarij, & priuationis Officij applicanda cui fuerit per Conſiliū generale prouiſū; Nec poſsit nec debeat dictus Iudex formare aliquam inquiſitionem in dicto Officio de ſuis proprijs bonis, nec aliquid accipere pro examine teſtium, niſi examinentur ſuper interrogatorijs, ſeu lis verteret ſuper Dominio & poſſeſsione, & ſi oculata fides Iudicis requiritur quod accedatur ad locum D D. uoluerunt quod ad cuiuſcūque petitionem teneatur accedere ad locum in quo aſſeritur damnum fuiſſe illatum, ad uidendum an ſit ibi damnum nec ne: Et pro eundo ad locum poſsit pro ſua mercede conſequi intra Ciuitatem Florenū unum, extra autem Florenos duos, & teneatur uidere dictum locum, uiatico ſibi depoſitato, infra triduum à die petitionis ſibi factę, alias cadat in ſupradictam pœnam, & ſi procederetur dicto loco non uiſo, & uiatico depoſitato, proceſſus non teneat ipſo iure: Teneatur etiam & debeat dictus Iudex ſub onere dicti ſui Officij reſarciri facere omnia damna damnū paſſo iuxta æſtimationem faciendam per æſtimatores inferius deputandos: Et ſi damnum paſſus acceſſerit ad aliud Tribunal pro executione prędicta, cadat à petitione damni illati, & tertiæ partis pœnę eidem tangentis.

De Officio Notarij. Rub. IIII.

NOtarius qui uult exercere Officium D. D. debeat prius à generali Conſilio Magnificæ Ciuitatis Vrbiſueteris approbari, qui Notarius ſit matriculatus & deſcriptus in Collegio Notariorũ Ciuitatis Vrbiſueteris, & ſi ſecus fieret proceſſus, acta, ſcripta, & geſta per dictum Notarium ſint ipſo iure & ipſo facto nulla, & exequi nullo modo poſsint: Cui Notario emptor dicti Officij pro eius mercede non ualeat ſoluere minus pro quolibet menſe ſex Florenorum: Et teneatur dictus Notarius ſcribere in omni proceſſu dicta teſtium tam in cõtumacia, quam in contradictorio iudicio, & teneatur facere eius cedulas legibiles & continentes nomina, & cognomina citatorum, & formare eius inquiſitiones & accuſas ſeu denunciationes cum Anno, Menſe, & Die illati damni, & ſpecificatione ipſius damni, & in examine teneatur & debeat interrogare teſtes de modo, & cauſa ſcientiæ, loco, tempore, & conteſtibus, de quibus ſi non appareat in actis non credatur eius aſſertioni, & debeat abſque ulla mercede poſt publicationem proceſſus, nominare teſtes interrogantibus, & oſtendere proceſſus, & cætera acta volentibus reſpondere, & benigne recipere eorum reſponſiones, & defenſiones, nihilque recipere de examine teſtium, preterquam quod vbi debet interuenire pretium, vt in titulo præcedenti, participare debeat cum Iudice dicti Officij pro medietate, & ſi quid ex predictis omiſſum eſſet per dictum Notarium cadat uice qualibet in pœnam duorum Florenorum applicandorum Iudici, dicti Officij emptori, & Communitati Vrbiſueteris pro æquali portione, & ſi proceſſus ſecus factus fuerit ſit ipſo iure nullus: Et dictus Notarius teneatur ad emẽdam & intereſſe ex dictis ſeu alijs eius defectu cauſatis nullitatibus emptori dicti Officij, & damnum paſſo, & debeat prefatus Notarius quemcumque in condẽnationibus ſcribere cum ueris & legitimis sũmis, & ſi ſecus fiat teneatur ad eandem pœnam quam condemnatus, applicandam executori pro tertia, pro alia tertia Communi, & pro reſiduo Iudici dicti Officij, & nihilominus condemnatus teneatur ad debitam pœnam: Habeat autem dictus Notarius legitima de cauſa pronũciare tempus & tempora non currere, & cauſa dicatur legitima arbitrio Iudicis dicti Officij.

De Baiulo & eius Officio. Rub. V.

BAiulus inſeruiens Officio D.D. retineatur ab emptore dicti Officij, à quo ſuam, prout fuerint concordes, conſequatur mercedẽ; Qui Baiulus ſub uinculo iuramenti præſtãdi ſibi per Iudicem in princi-

principio ſui Officij teneatur & obligatus ſit fideliter exercere Officium, & notificationes, & citationes cum effectu facere,& factas Notario Officij reportaſſe, & eſſe ſollicitus in citationibus & relationibus faciendis ſub pœna, ſi ſecus fiat, duorum ducatorum pro qualibet uice applicandorum pro æqualibus portionibus Communi Vrbiſueteris, Iudici dicti Officij,& Executori; & ultra dictam pœnam teneatur ad intereſſe præfato emptori, & damnum paſſo;& proceſſus in quibus adeſſet defectus citationis, notificationis, ſeu reportus ſit ipſo iure nullus: Quando tamen Baiulus non haberet tutum acceſſum ad Caſtrum ſiue locum Ciuitatis Vrbiſueteris, tunc poſsint quicumque ſint ſiue teſtes, ſiue inquiſiti citari ad ualuas Officij, quæ citatio habeatur pro legitima citatione, facta tamen prius legitima notificatione per Magnificos Dominos Conſeruatores Vniuerſitati dictorum Caſtrorum ſiue locorum, quod infra triduum debeant ſecurum reddere dictum Baiulum; & ſi aliqua ratione dictus emptor non haberet ſuum Baiulum, uel eo vti non poſſet, omnes & ſinguli Baiuli Ciuitatis Vrbiſueteris teneantur & obligati ſint dicto emptori, recepta ab eo tamen debita mercede, ſub pœna unius Floreni pro qualibet uice qua fuerit requiſitus & recuſauerit, ut ſupra pro æquali portione applicandi.

De Æſtimatoribus & eorum Officio. Rub. VI.

Eſtimatores qui æſtimare debent damna illata, ſint & eſſe debeant æſtimatores Communis detracti ex buſſulo Magnificæ Ciuitatis Vrbiſueteris, qui ſtatim quod fuerint extracti debeant adire Iudicem dicti Officij, & in eius manibus iurare legaliter & fideliter exercere eorum Officia, & eorum æſtimis ſtari debeat nec aliquo modo illis contradici ualeat; & pro eorum ſalario & mercede debeant conſequi in Ciuitate & ſub burgis unum carlenum pro quolibet, ultra autem & extra Ciuitatem carlenos duos pro quolibet & quolibet die: Et ſi eueniret quod Domini poſſeſsionum, ſeu laboratores accederent ad eorum poſſeſsiones ad ſecandum blada, ſeu ad colligendum fructus, & inuenerint ex dictis bladis, ſeu fructibus dãnum fuiſſe illatum, poſsint dictum damnum æſtimari facere per meſſores, ſeu alios conductos ad colligendum dictos fructus, & eorum relationi cũ iuramẽto eis in ferendo per Notariũ dicti Officij ſtari debeat:

EE &uo-

Et uoluerunt ſemper tam de æſtimatoribus Communis, quam de conductis ut ſupra duo ſufficere: Ac etiam ſi de communi concordia inter damnum dantem, & damnum paſſum in aliqua Villa, ſeu Caſtro eſſent electi duo pro æſtimatione facienda de D.D. dicta æſtimatio ualeat & teneat & exequi mereatur: qui æſtimatores tamen ſemper duci debeant per damnum paſſum, ſeu ex eius licentia.

De Cuſtodibus celatis & eorum Officio. Rub. VII.

STatuerunt & ordinauerunt Officiales D.D. non poſſe aliquo modo exercere Officium Cuſtodum, ſed poſſe retinere uſque ad octo Cuſtodes celatos continuo habitantes in Ciuitate, qui approbari debeant per Magnificos Dominos Conſeruatores pro tempore exiſtentes, & Iudicem dicti Officij, quibus ſemper in inuentionibus & denuntijs præſente Iudice, & præſtito ſibi iuramento per Iudicem quod non fuerint moti odio nec aliqua humana gratia, infra triduum factis à die illati damni credatur & procedi poſsit: quæ ante omnia notificari debeant Dominis poſſeſsionum per cedulam, alias ſint ipſo iure nulla, & exequi non mereantur: In quibus denuntijs debeant ſpecificare Annum, Menſem, Diem, & damni qualitatem; Et antequam fuerint deputati, & approbati, & iurauerint Officium, eis non adhibeatur aliqua fides, in quo iuramento & approbatione teneantur præſtare fideiuſſores idoneos de ſtando ad ſyndicatum in fine Officij dicti emptoris ipſi emptori, qui emptor teneatur etiã in Syndicatu de eorum proceſsibus: & de prædictis debeat rogari Cancellarius Magnificę Ciuitatis Vrbiſueteris, qui facere debeat mentionem de die in quo quilibet eorum Cuſtodum iurat Officium: & ſi acciderit quod dicti Cuſtodes fuerint reprobati in eorum denuntijs, incidant in pœnam uigintiquinque librarũ denariorũ applicandorũ pro duabus tertijs Communitati Vrbiſueteris, & pro alia Executori, & in priuatione dicti Officij. Et ſi contigerit denunciatũ ſpecificare & nominare nomẽ Cuſtodis, & petat terminũ ad probandũ eũ eſſe ſibi odioſũ, inimicũ, ſeu maleuolũ, aſsignetur ſibi terminus competens arbitrio Iudicis, in quo termino ſi probat ſuum intentum, denuntia ſeu inuentio ſit ipſo iure nulla: & tempore uindemiarum uſque quo durant uindemiæ teneantur & tenere debeant cuilibet Portæ vnum Cuſtodem qui debeat perquirere & accuſare deferentes vuas, ſeu quæuis alia contra formam Statutorum dicti Officij: Et alij Cuſtodes dicto tempore debeant perquirere

D.D. in

D. D. in vineis, & emptor dicti Officij ſi tempore uindemiarum non tenuerit præfatos Cuſtodes cadat in pœnam unius ſcuti pro qualibet uice applicandam pro tertia parte Executori, & pro reſiduo Communitati Vrbiſueteris: Volueruntque dictum emptorem poſſe retinere totidem Cuſtodes publicos quibus adhibeatur plena fides, ſi eorum iurauerint Officium vt ſupra, cum uno teſte tantum fide digno, uel cum aliquo Cuſtode cuiuſcumque quantitatis eſſet damnum, ſiue pœna quæ ueniret imponenda: Et ſi reperirentur ſupradicti Cuſtodes quod ad beneplacitum unus eorum confirmaret dictum alterius Cuſtodis, cadat quilibet ipſorum in pœnā fuſtigationis, priuetur Officio, & ſit infamis.

De Executoribus dicti Officij. Rub. VIII.

EXecutores eiusdem Officij ſint & eſſe debeant forenſes, & poſsit emptor dicti Officij ſuis ſumptibus retinere unū uel plures Executores qui ualeant & debeant exequi tam pœnas, quam damna de quibus eſſet proceſſum in dicto Officio, cum hoc tamen quod Executores prædicti antequam exerceant Officiū debeant approbari per Magnificos Dominos Conſeruatores, & Iudicem dicti Officij, & prę‑ſtare fideiuſſores emptori dicti Officij de Syndicatu, pro quibus dictus emptor ſi non retinuerit particulares Executores non poſsit nec ualeat aliquibus alijs Executoribus uti niſi Officialibus Magnifici Domini Poteſtatis Vrbiſueteris; qui Officiales teneantur & debeant facere executionem debito tempore de omnibus extractis ſibi datis & conſignatis in forma tam ad petitionem Officialium D.D. quam etiam dānum paſsi pro damno & ſua rata pœnæ: Et ſi dicti Officiales prætermiſerint, ſeu neglexerint facere huiuſmodi executiones, teneantur & debeant dicto Officiali ad intereſſe, & tantūdem retinere de ſalario Magnifici Domini Poteſtatis: Et ſi dictus emptor dederit ſua extracta exequenda alteri Officiali quam prædictis, dictæ executiones ſint nulliter factæ reſpectu dicti emptoris, nec poſsit nec debeat aliquid ex eis in poſterum conſequi, & ſi dicto Executori non daretur tutus acceſſus ad aliquem locum, poſsit fieri executio in quolibet de dicto Caſtro perſonaliter, & in bonis.

De loco Ius reddendi. Rub. IX.

QVilibet locus, dummodo ſit cognitus & in loco publico poſitus, deputandus ab emptore dicti Officij ſuis ſumptibus & expenſis intelligatur & ſit habilis ad exercēdum dictum Officium ubi cōtinuo morari debeat Notarius, & Iudex dicti Officij ſuas proferre ſententias.

De modo & ordine procedendi in cauſis. *Rub. X.*

Officiales dicti Officij latas habenas & plenā habeāt authoritatē procedendi per totū Territoriū Ciuitatis Vrbiſueteris, Comitatus, fortiæ, & Diſtrictus ſimpliciter & de plano, diebus feriatis & non feriatis, per viam inquiſitionis & accuſæ, ac etiam ex Officio in cauſis ſuo loco ſpecificandis, nec non per uiam quęrele & denunciationis, & repertos culpabiles punire & condemnare poſsint & debeant, niſi habitantes in Caſtris & Pleberijs dicti Comitatus in quibus ſint Poteſtates Ciuitatis Vrbiſueteris, & Statuta conceſſa per dictam Magnificam Communitatem & annuatim correcta per Correctores eiusdem, contra quos non poſsint nec ualeant procedere, præterquam ſi damnū fuiſſet illatum in poſſeſsionibus Ciuiū, ſiue colentiū Ciuitatē, quo caſu procedi poſsit per dictos Officiales in quocumque loco, & à quacūque perſona fuerit illatum damnum ſecundum formam Statutorum Ciuitatis Vrbiſueteris, ac etiam quomodocūque damnum datū ſit, & in quocumque loco procedi ualeat per dictos Officiales in defectū negligētię Poteſtatis Caſtri, Pleberij in quo damnū illatum fuerit, quod tunc & eo caſu dicatur negligens qui trina ſibi facta proteſtatione in ſcriptis ſiue uiua voce coram teſtibus intra menſem non expediuerit ſeu inchoauerit ſuum proceſſum, & teneantur & debeant recepta accuſa denuntia, ſeu inquiſitione apponere Diem, Menſem, & Annum in quibus porrecta ſeu formata fuit, alias condemnatio inde facta ſit ipſo iure nulla & executioni mandari non poſsit: & hoc facto faciant citare Reum cū cedula in ſcriptis continente effectum denuntiæ, accuſæ, ſeu inquiſitionis, & ſi fuerit repertus perſonaliter una tantum ſufficiat citatio: ad domum autem requiratur cum affixione dictæ cedulę faciendę in Ciuitate, uel burgis cum interuallo unius diei: In Comitatu ſemel in perſona, uel ad domum cum termino duorum dierum, & habeatur pro unica citatione domi facta: Si quis in Ciuitate domi cum cedula, & alias Oretenus fuerit citatus & non uenerit, faciat eum poni in banno cum termino triū dierum in Ciuitate, & in Comitatu quinque dierum, quo facto procedi poſsit ſeruato & non ſeruato iuris ordine, & ſollemnitatibus & ſubſtantialibus prætermiſsis: Comparenti autem aſsignetur terminus quinque dierum ad ſuas defenſiones faciendas, & non poſsit deueniri ad examen teſtium & publicationem proceſſus niſi legitimis citationibus præcedentibus, & ſententia debeat ferri in ſcriptis monitis tuba omnibus prætendentibus intereſſe in dicto Officio in die præcedēti ferendæ ſententiæ in loco reſidenriæ dicti Iudicis quod ueniant ad audiendum ſententiam in ſequenti die: Quo ordine non ſeruato proceſſus ſit ipſo iure nullus pro parte eueniente emptori.

De mo-

De modo procedendi contra Forenſes. Rub. XI.

FOrenſes autem extra Diſtrictum exiſtentes citentur ſono tubæ in loco reſidentiæ dicti Officij, cum affixione cedulæ cõtinentis effectum inquiſitionis denuntiæ uel accuſæ in ualuis reſidẽtiæ prædictę, cum termino ſtatuendo per Iudicem ſecundum diſtantiã loci dicti forẽſis: Quo termino elapſo ponatur in banno cum alio termino ſtatuendo per dictum Iudicem cum cedula ſuæ condemnationis affigenda ut ſupra loco notificationis: Quo ordine ſeruato non poſsit ipſius ſententia, & proceſſus quo uis modo irritari: Et his ſeruatis quando haberi poſsit dictus forenſis, ſtatim ad requiſitionem dicti emptoris capi & duci ad Curiam & ibi retineri debeat donec emptori & damnũ paſſo fuerit ſatisfactum: Et quia ſæpe ſæpius propter abſentationem forenſium dictum iudicium redditur fruſtratorium, uoluerũt quod ſi quis forenſis repertus fuerit damnum dare, aut uериſimiliter damnum dediſſe, poſsit ſtatim capi & duci ad Curiam & ibi retineri donec de iudicio ſiſti & iudicatum ſoluere ſatisdederit.

De modo denuntiandi per Cuſtodes celatos. Rub. XII.

CVſtodes ſecreti uolentes facere eorum denuntias debeant ſpecificare proprium nomen denuntiati, & in eis apponere Menſẽ, Annum, & Diem damni illati, & ſi de die, uel de nocte cum expreſsione damni & ipſius damni qualitate & forma in qua tunc erat accuſatus de damno: Et fiat dicta denuntia infra terminum trium dierum à die D.D. ipſa die damni illati minime computata, & ſtatim & ante omnia debeat notificari damnum paſſo, & ſi aliter uel alio modo fuerint dictæ denuntiæ formatæ non ualeant nec teneant ipſo iure.

In quibus caſibus procedi poſsit ex Officio. Rub. XIII

EX Officio procedi poſsit tantum ſuper damnis illatis in vineis, & hortis muratis in quibuſcumque locis & contratis in Ciuitate, ſiue extra exiſtentibus: ſed emptor dicti Officij teneatur & debeat hoc notificaſſe Dominis poſſeſsionũ infra octo dies à die incohati proceſſus, alias dicta inquiſitio ſit ipſo iure nulla, & nullam mereatur executionem.

Qui poſsint accuſare ſeu inquiſitionem facere. Rub. XIIII.

VNicuique liceat accuſare & denuntiare etiam non habenti intereſſe, & ſtetur eius ſacramento cum uno teſte bonæ famæ, & habeat & lucretur accuſans tertiam partem pœnę, alteram partem Dominus rei, reſiduum emptor prędictus: Quilibet etiam de Familia qui compleuerit decimumquartum annum poſsit & ualeat de bonis parentum, & ſuorum amicorum inquiſitiones uel accuſationes facere, dũ modo non conſtet de contraria mente prędictorum: Et Dominus, laborator, penſionarius, fictuarius & quilibet habens intereſſe poſsit & ualeat de ſuis poſſeſsionibus, fictis, laboritijs, & penſionibus in ſcriptis, & ſine, medio iuramento accuſare, quibus credatur de damno recepto & ſibi reficiendo ſi dictus accuſans eſſet bonę conditionis & famę, & non habeat aliquod intereſſe cum dicto accuſato uſque ad ſummam vnius Floreni, de quo intereſſe ſaltem cõſtare debeat per unum teſtem idoneum, quod tamen intelligatur de damnis illatis perſonaliter per duos teſtes ut infra de teſtibus: & Dominus rei, ſocius, laborator, pẽſionarius, fictuarius & quotieſcumque plures eſſent Domini, & quoquo modo coniunctim teneantur ad aliquam penſionem, poſsint tã coniũctim quam diuiſim Domini, poſſeſſores ſeu detentores denuntiare accuſas ſeu inquiſitiones facere pro eorum intereſſe, contradictione alterius non obſtante: & damnum dans teneatur ſoluere pœnam pro rata, licet de emendatione damni unuſquiſque prædictorum poſsit pro parte ſua gratias & gratiam facere.

De quibus locis & quando poſsit accuſari. Rub. XV.

NEmo accuſari debeat de introitu terræ ſodæ ſiue camporilis, nec de ſtipulis in quibus non eſſent aliqui fructus, niſi Dominus probauerit in dictis locis adeſſe fructus, tũc ſit pœna prout in pratis tempore uetito, & ſi non eſſent fructus ſed quis ingrederetur tempore quo uendi ſolent ſiluę & paſturæ, tunc non procedat hoc ſtatutum, ſed puniri debeat dicta loca ingrediens ut infra in ſtatutis ſuper hoc particulariter loquẽtibus continetur: & Dominus, ſiue Cuſtos animalium damnum dantium, ſiue quis alius quomodocumque damnum dediſſet, ſi infra quatuor dies à die illati damni iuiſſet ad Dominum dãnum paſſum, & eidem notificaſſet damnum prædictum, & cum eo fuerit in concordia & ſatisfecerit infra menſem cum effectu, nõ poſsit nec ualeat accuſari nec teneatur ad aliquam pœnam, niſi prius fuiſſet accuſatus

ſatus per Cuſtodes dicti Officij: & caſu quo malitioſe ut laberetur tempus inquirendi fuerit concordatus cum Domino, & infra menſem nõ ſatisfecerit cum effectu, tunc & eo caſu pœnæ duplicentur, & non currat tempus inquirendi damnum paſſo.

De Inquiſitione formanda. Rub. XVI.

INquiſitio ſeu accuſatio quæ fit, fieri debet pendentibus fructibus tã uinearum, quam meſsium, & arborũ, ſeu tempore uetito, & omnis porrectio fiat quando fructus eiuſdem ſpeciei adhuc extant in bonis aliquibus; & ſi in aliqua poſſeſsione ſunt uarij fructus, non poſsit inquiri ſeu accuſari niſi de una ſpecie dictorum fructuum exiſtentium in una & eadem poſſeſsione, licet teneantur ad emendam damni de omnibus fructibus cuiuſcumque generis & qualitatis ſint: ſed ſi damnum illatum fuiſſet æſtimatum ab æſtimatoribus, de quibus ſupra in Rubrica de æſtimatoribus, infra uiginti dies à die damni illati tunc poſsit procedi etiam poſt duos menſes à die æſtimationis factę & non ultra, habita conſideratione fructuum pendentiũ: & de una & eadem re nõ poſsit fieri niſi unus proceſſus etiam ſi eſſent plures teſtes, licet teſtes teneantur deponere de diuerſitate temporum, dierum, & annorum, quamuis ex relatione dictorum teſtium condemnatio ſequi debeat, habita conſideratione iterationis damni, ſi de die, ſiue de nocte fuerit illatum, dũmodo ſemel pro vno die, & ſemel pro una nocte pœna augeri poſsit, de his fiat unus tantum proceſſus, de damnis videlicet quomodocumque & qualitercumque datis in una & eadem poſſeſsione uſque ad tempus primæ inquiſitionis porrectę; ſed à die porrectæ citra poſsit formari nouus proceſſus etiam primo non expedito, & ita deinceps, & formari debeat cum Anno, Menſe, & Die ut habetur ſupra in Rubrica de modo procedendi in dicto Officio.

De Inſtantia Cauſarum. Rub. XVII.

OMnes proceſſus & condemnationes D.D. debeant expediri per dictos officiales in termino quatraginta dierum currentium à die incohationis & primæ citationis, alias dicto termino elapſo, inſtantia intelligatur & ſit perempta: Tamen quando eueniret caſus quod

quod teſtes nō poſſent haberi, ſeu aliquod aliud legitimum impedimē tum arbitrio Iudicis dicti Officij poſsint Iudex, ſeu Notarius pronunciare tēpus & tempora non currere, & dicta pronuncia ualeat & teneat.

De proſecutione Cauſarum. *Rub. XVIII.*

SVcceſſor dicti Officij poſsit ſuper proceſsibus factis per duos menſes per eius præceſſores nō proſecutos uel expeditos, per uiam proſecutionis procedere & eos ſummarie & debito fine terminare, dūmodo inſtantia non fuerit lapſa: Et ideo Officialis præcedens teneatur abſque aliquo præmio dictas inquiſitiones, accuſas, ſeu denuntias dare & conſignare ſub pœna duorum ducatorum applicandorum emptori, Executori, & Iudici Officij pro æquis portionibus pro qualibet quęrela denuncia ſeu accuſa, & uice qualibet qua fuerit renitens in conſignatione predicta.

De excuſationibus & defenſionibus admittendis. *Rub. XIX.*

EXceptiones excuſationes & defēſiones legitimas & iuridicas debeat admittere Iudex dicti Officij in termino per eum ſtatuto inquiſitis in ſua Curia ad eorum defenſiones faciendas, ſiue exceptiones ſint iuris, ſiue facti, ſiue uenirent excuſandi ratione licentiæ, ſiue qualitatis perſonarum, ſiue loci, temporis, ætatis, ſiue alia qua uis ratione, iure, & cauſa.

Quando quis excuſetur ratione licentiæ. *Rub. XX.*

SI in aliquo capitulo ſeu ſtatuto imponitur pœna intrāti ſiue D. D. in re ſiue ſuper re alterius, excuſetur quilibet qui ingreſſus fuiſſet de licentia Domini uel quaſi, ſocci, laboratoris, uel cuius uis alterius de Familia prędictorum, dummodo de uuis, & fructibus ipſius rei moderate collegerit, & hoc locum habeat in D.D. perſonaliter, & de licentia data credatur iuramento eorum & cuiuslibet ipſorum qui dictas licentias dare poſſunt, dummodo per prędicta non inferatur præiudicium Statutis imponentibus pœnam diſsipationibus fructuum & inciſionibus

ciſionibus Arborum; & hoc idem dicitur de ingredientibus cum Dominis ſeu laboratoribus in eorum poſſeſsiones quod non teneantur ad aliquam pænam. Si autem damnum eſſet illatum cum Beſtijs, tunc non admittantur licentiæ niſi eſſet data per proprios Dominos rei, & de huiuſmodi licentia appareat ſcriptura publica, ſeu priuata, ſeu per iuramentum Domini cum uno teſte, alias dictę licentiæ non ualeant, nec admittantur: & idem modus ſeruetur in venditionibus fructuum, herbarum cuiuſcumque loci & qualitatis ſint: Et hoc idem in uenditione ſiluarum lignorum, ſtipularum, ſiue cultarum: Excuſetur etiam qui tẽpore uetito aſportauit uuas, ſeu fructus factos, ſeu non factos de ipſorum proprijs poſſeſsionibus, ſiue conductis de licentia emptoris dicti Officij, qui teneãtur & debeat dare licentiã ſine aliquo prẽmio omnibus iurãtibus ſe eſſe patronos de proprijs poſſeſsionibus & nõ alienis: & licentiæ dandæ tam de uindemiando, quã de colligẽdo uuas & agreſtas, quam cæteros alios fructus debeant gratis dari ab emptore dicti Officij antequam per Conſilium generale fuerit decretum poſſe communiter uindemiari, uiſa tamen prius Apodiſſa Magnificorum Dominorum Conſeruatorum cui emptor dicti Officij, ſiue alius pro eo teneatur ſe ſubſcribere, alias dictæ licentiæ ſint nũllæ, & ſecus facientes non excuſentur, ſed pœnam ſtatutariam incurrant; Si tamen dictus emptor recuſaret dare licentiam, ſeu dicto tempore ſe ſubſcribere, ſufficiat Apodixa Dominorum Conſeruatorum etiam ſine aliquo præmio per eos facienda.

De exceptionibus ratione Perſonæ admittendis. Rub. XXI.

IN poſſeſsione affinium & conſanguineorum in tertium gradum ſecundum ius Canonicum computandum, tam de D. D. quam de introitu nulla ſit pœna niſi proceſſerit de uoluntate Dominorum poſſeſsionum: liceat quoque uenatoribus & aucupatoribus ire, tranſire, & uenire per quaſcumque poſſeſsiones ſine damno, ſed ſi damnum dederint ad duplicatam pœnam teneantur ad quã alij tenentur, niſi tamẽ antea à Domino prohiberẽtur, quo caſu ſi contra eorum uoluntatem faceret, & de ingreſſu & tranſitu puniri poſsint, & pœna in eis duplicetur.

Quis excuſetur ratione loci. Rub. XXII.

TRanſeuntes cum beſtijs uel ſine per aliquam poſſeſsionem prope uiam, ſemitam, uel retum uicinale per quod nõ poſsit ire quia ſit deſtructũ, uel propter pluuias nõ ſit habilis aditus, tũc tranſeũtes

non teneantur ad aliquam pœnam, & hoc idem ſit ſi cum aliquo branco beſtiarum quis tranſiuerit iuxta aliquam uiam,& aliqua dictarum beſtiarum ingreſſa fuerit in aliquam poſſeſsionem ibi prope dictam uiam exiſtentem per tranſitum dummodo non ſtent ibi ad paſturandum, nō teneatur ad aliquam pœnam.

Quis excuſetur ratione temporum. *Rub. XXIII.*

IN ſiluis caſtanearum nulla ſit pœna poſt menſem Decembris uſque ad Kalendas Septēbris: In cæteris autē ſiluis & paſturis nulla ſit pœna à kalendis Martij per totū menſem Auguſti, & quod in tranſitu Militum ſi animalia eorum timore ducerentur de loco ad locum, nulla ſit pœna.

Qui excuſentur ratione Ætatis. *Rub. XXIIII.*

ETas quoque præſtat excuſationem, & ideo minorem duodecim annorum uſque ad decē annos in D.D.perſonaliter teneantur ad medietatem pœnæ: & à decem uſque ad octo annos ad quartam pœnā: ab inde uero infra teneantur tantum ad emendationem damni. Beſtiæ autem ſupra annum teneantur ad totam pœnam,ſed ſubtus annū ad dimidiam pœnam tantum: & hoc procedat regulariter in quocumque genere beſtiarum ſeu animalium.

Vbi nullum eſt damnum, ibi nulla ſit pœna. *Rub. XXV.*

EXperientia rerum magiſtra impulit ad ſtatuendum quod ubi non eſt damnum, ibi non ſit pœna niſi puniretur ingreſſus quo caſu de ingreſſu tantū puniri poſsit: eueniebat enim quod nōnulli Ciues ſitiētes perniciem Ruſticorum & ultimum exitium, licet in ſuis poſſeſsionibus ſiluis & paſturis non eſſet damnū datū nihilominus plus exigebāt quam eſſet ualor poſſeſsionis eorundē: ideo uolentes huic uoragini occurrere ac prouidere, uoluerunt non teneri pœna aliqua, ſed tantum ad ſolutionem decem ſolidorum pro circundatione proceſſus fiendi parte citata: & quod nulla pœna in D.D.poſsit eſſe maior ualore quintæ partis poſſeſsionis in qua fuerit damnum illatū, & ualor ipſius poſſeſsionis debeat probari Parte citata per inquiſitum ante ſententiā, & non ultra.

De Te-

De Teſtibus & eorum examine. Rub. XXVI.

IN omnibus & ſingulis accuſationibus, inquiſitionibus, denuntijs, & quærelis D. D. ad probandum ſufficiat unus teſtis bonæ famæ, & ætatis quatuordecim annorum ſi non habet intereſſe & ſit affinis infra ſecundum gradum, ſecundum ius Canonicum computandum, & intelligantur & ſint habiles ad teſtificandum famuli, ſocci, laboratores, conſanguinei, fictuarij, penſionarij & eorum affines dummodo non ſint infra dictum gradum: & prædicta tantum procedant ubi pœna ueniret imponenda à quinquaginta libris infra, ſupra uero teſtis unicus ſufficiat omni exceptione maior ſecũdum iuris diſpoſitionem: & poſſint examinari poſt inquiſitionem Parte citata uel non, niſi fuerit per Partem proteſtatum, quo caſu procedat quod dictum fuit ſupra in Rubrica de modo procedendi, ſed requiratur ſemper citatio ad publicationem proceſſus, cum termino duorum dierum uel trium & ultra arbitrio Iudicis ad opponendum, & dictum examen ita factum ualeat & teneat, dũmodo Notarius ſeruauerit ea de quibus ſupra in Rubrica de Officio Notarij.

De Teſtium comparitione. Rub. XXVII.

TEſtes & alij requiſiti ex parte dicti Officij ſi fuerint negligentes & inobedientes circa concernẽtia dictum Officium, poſsint grauari reagrauari, & eis pœna imponi uſque ad quantitatem unius libræ pro quolibet, & uice qualibet ſemel tantum in die, niſi iuſta cauſa interuenerit arbitrio Iudicis, & dicta pœna applicetur in totum emptori dicti Officij: & Domini teneantur facere comparere ſuos famulos, Cuſtodes animalium eorũdem, & quoſcumque alios ſecũ cõtinuo cõmorantes, ad petitionem dicti emptoris in termino decẽ dierum à die citationis factæ, alias dicti Domini teneantur ad pœnam, & emendationem damni de quibus eorum famuli ſunt inquiſiti; ſeu ſi ſunt uocati in teſtes ad pœnam unius libræ, reſeruando tamen regreſſum ad omne id quod dictis de cauſis ſoluerint contra eorum famulos, quibus de cauſis poſsint retinere eorum ſalarium: & hoc habeat locum ſi Dominus probauerit ſtetiſſe per famulos & non aliter, nec alio modo, dummodo teſtes citandi, per nomina propria & cognomina fuerint citati, alias prętextu alicuius contumaciæ condemnari non poſsint.

De Iuramento damnum paſsi. XXVIII.

IVramẽto dãnũ paſsi ſtari debeat & credatur in D.D. perſonaliter uſque ad ſũmã unius Floreni, ſi nõ fuerit dictũ damnũ paſſus aliqua rationabili cauſa reprobatus. De dominio autẽ, & poſſeſsione ſtetur

ſemper iuramento ipſius, ne trahatur in longum iudicium, & fatigetur in ſuperfluis & uarijs probationibus, donec & quouſque non fuerit probatum in contrarium.

De pignoribus & conſignatione eorum & fide. *Rub. XXIX.*

DOminis poſſeſsionum, ſoccis, laboratoribus, & conductoribus, Famulis, & alijs de familia prædictorum licitum ſit D. D. auferre beſtias, ſeu aliqua alia pignora, & prohibentes dare pignora incidāt in duplicatam pœnam, de quo ſtetur iuramento petẽtis pignus donec contrariū probetur: & poſsint præfatę perſonæ impune de quolibet branco animalium minutarum duo interficere & retinere pœnes ſe, dummodo dictas beſtias, ſeu pignora in pignus capta conſignent, & animalia demortua ſaltem uerbo, dicto Officio infra triduum, niſi infra dictum tempus non ſe concordaſſent cum D. D. & dicto tempore elapſo, & eis nō concordatis cadant in pœnam duorum ducatorū pro qualibet uice Cōmuni Vrbiſueteris pro dimidia applicādorum, & pro alia dimidia emptori dicti Officij: & Domini teneantur ſi ſecus fieret, pro quolibet contrafaciente de familia; & qui medio iuramento præſtando per Iudicem aſſerat pignus præſentatum accepiſſe à damnum dātibus, ſiue in poſſeſsionibus proprijs, ſiue per eum conductis uel laboratis ei plene credatur; & ſi contrarium probetur, talis iurans puniri debeat de periurio ſecundum formam Statutorum Ciuitatis Vrbiſueteris; & dictus emptor D. D. ſemper facta recognitione pignorum teneatur, & debeat dicta pignora cuiuſcumque qualitatis ſint, etiam animalia accepta reſtituere Ciuibus, ſiue laboratoribus Ciuitatis Vrbiſueteris, quę fuerint realiter conſignata, ſeu nominatis perſonis quę uerbotenus cōſignauerunt, præſtitis tamen prius idoneis cautionibus de iudicio ſiſti, & iudicatum ſoluendo.

De eo qui recuperat pignora ablata per vim. *Rub. XXX.*

SI quis in tantam furoris uenerit audaciam quod per uim abſtulerit ſeu recuperauerit pignora ſibi ablata, ſiue animalia accepta per Dominos, laboratores, ſoccios, Cuſtodes, Conductores ſeu quoſcumque de familia, uel per Officiales dicti Officij dum ducerentur ad Curiam dicti Officij, incidat in pœnā ipſo iure duplicatam omnis ad quod teneretur ex forma Statutorum, dummodo conſtet de damno per iuramentum pignorantis ut ſupra: quo uero ad animalia, conſtet iuramẽto eius qui acceperit cum uno teſte.

De beneficijs admittendis in Officio. Rub. XXXI.

QVicumque inquiſitus, accuſatus, ſeu denuntiatus confeſſus fuerit damnum prætenſum dediſſe, gaudeat beneficio confeſsionis, & quarta pars pœnę remittatur eidē, & diminuatur etiā ac detrahatur quarta pars pœnæ originalis debito tempore ſoluenti, & intelligatur debito tempore ſoluiſſe, qui antequam fuerit extractum datū in manibus Executorum ſoluerit, & qui confeſſus fuerit, & debito tēpore perſoluerit, utroque gaudeat beneficio, & ſic duæ quartæ partes minuantur & detrahantur de pœna originali: ſed in confeſsis nullę ſint partes Iudicis niſi in exequendo de facto, ſine aliqua contradictione.

De extractione accuſæ. Rub. XXXII.

OMnes & ſingulæ inuentiones quæ fierent per quoſcumque Officiales publicos, uel ſecretos, & omnes & ſingulæ inquiſitiones accuſę & querelę quæ fierēt ex Officio, ſiue ad partis inſtigationē, ex his extrahi poſsint accuſæ ſolutis per accuſatos ſeu inquiſitos ſolidis decem, præterquam ſi procederetur ex Officio uel inuentione Officialium, quo caſu Domini poſſeſsionum poſsint extrahere accusā ſolutis tamen prius per inquiſitos ſolidis uiginti: & Notarius dicti Officij, & ipſe emptor teneātur & obligati ſint ad requiſitionē cuiuſcūque inquiſiti inuenti, denuntiati ſeu accuſati, caſſare accuſationem denuntiam ſeu accuſam, si alias ſuper hoc fuerint extracti, ſub pœna duorum Florenorū applicādorū pro dimidia Communitati Vrbiſueteris, & pro residuo inquiſito prædicto: ſuper quibus adhibeatur fides inquisito prædicto cum iuramento & uno teſte fide digno, & petens ſibi extrahi accuſam per damnum paſſum, licet plures sint inquiſiti, si eſſent de eadem Familia unica tantum ſufficiat pro omnibus: si autem de diuerſa quilibet debeat extrahi facere ſibi accuſam, & intelligatur ex eadē familia quando ſub eodē tecto morantur & non aliter, & ſemper poſſit extrahi accuſa in dicto Officio, quouſque non fuerit copia condemnationum tranſmiſſa cum ſuis ſummis ad Cameram Communis Vrbiſueteris, & unica tantum extractio per damnum paſſum facta ſufficiat pro omnibus damnis illatis per dictum inquisitum ſuper una & eadem re, licet de eodem damno plures eſſent formatæ inquiſitiones: & uoluerunt quę ſupradicta ſunt non procedere in damnis datis in uineis, & fabis ſatis pro ſtabijs per animalia reperta damnum dare tam de die, quā de nocte, & tam per Cuſtodes cuſtodita, quam non cuſtodita, quibus

caſibus ſi probatum fuerit damnum datum per teſtem omni exceptione maiorem, & qui non ſit Cuſtos ſecretus Officialiũ D.D. nulla poſſit fieri extractio accuſæ, & Domini poſſeſsionum, & ſtabiorum ſint priuati tali authoritate extrahendi accuſam; & animalia præfata puniantur eadem pœna pro damnis datis in fabis ſatis pro ſtabio, qua puniuntur pro damnis datis in uineis.

De Sententijs & eorum notificatione. Rub. XXXIII.

SEntentiæ ferendæ in dicto Officio debeant ſemper ferri poſt ueſperas in ſcriptis: non poſsint ferri in die Veneris: & Notarius dicti Officij nõ poſsit ſub pœna duorum Florenorum applicandorũ pro tertia parte Communitati Vrbiſueteris, pro alia tertia parte Iudici dicti Officij, & pro reſiduo Executori, deſcribere aliquem proceſſatum in ſententijs ferendis ubi eſſent factę aliquæ defenſiones, non oſtenſo prius proceſſu Domino Iudici dicti Officij, de quo ſtetur aſſertioni dicti Iudicis, & ſententiæ ſint ipſo iure nullæ. Et copiæ ſententiarũ in dicto Officio latarum, ſiue nomina cõdemnatorum cum ſuis ſummis trãſmittantur ad Cameram Communis Vrbiſueteris ſubſcriptæ manu Notarij dicti Officij, & donec non fuerint notificatę dictæ ſententiæ Dominis poſſeſsionũ ſuper quibus fuit datum damnum, nõ poſsit fieri extractus pro parte tangente dicto Officio, & ſi ſecus fiat dictus emptor cadat ab omni iure quod ſibi cõpetit in extractis ſecus factis: quæ etiã ſententię infra triginta dies exiſtentibus extra Ciuitatem intimentur: & ſi in dicto tempore non fuerint intimatæ, non currat tempus notificationis ſeu intimationis earundem donec non fuerint intimatæ, & per decem dies poſtea non poſsint exequi.

De Appellationibus & earum inſtantia. Rub. XXXIIII.

NE cauſę fiant immortales & ſit litium finis, ſtatuerunt & ordinauerunt quod quilibet à die notificationis ſententiæ ſibi factę debeat infra decem dies appellare, ſeu ſi uoluerit de nullitate dicere, infra triginta dies currentes à die tamen ſemper notificationis dictæ ſententiæ: & dicto tempore elapſo quod unicuique ſit uia prę cluſa tam appellãdi & de nullitate dicendi, quam etiam Iudicis Officiũ implorandi per uiam recurſus & quoquo modo, ulteriuſque non audiatur

diatur ſed à limine iudicij omnino repellatur: & tempus inſtantiæ cauſarum appellationis duret per quadraginta dies continuos à tempore appellationis, & hoc intelligatur tam in appellãtibus & de nullitate dicẽtibus, quam etiam Officium Iudicis implorantibus, ſeu quo uis modo ad Superiorem recurrẽtibus: & non poſsit appellari ſeu de nullitate dici aut recurri aliquo modo antequam ſententia diffinitiua fuerit pro lata per Iudicem dicti Officij, & ſi ſecus fieret id totum ſit nullum ipſo iure, & Officium nihilominus poſsit ad ulteriora procedere: ſed emptor dicti Officij ſit omnino priuatus remedio appellationis, nullitatis, & recurſus in ſententijs latis per Iudicem dicti Officij, & appellationẽ ſeu recurſum & Iudicis Officium, & omne aliud quodcumque remedium intẽtare uolens, debeat & teneatur adire Dominum Poteſtatem Ciuitatis Vrbiſueteris & coram eo appellare & de nullitate dicere, recurrere ſeu Iudicis Officium implorare, & non coram quocũque alio Iudice, alias appellans de nullitate dicens & recurrens ad aliud Tribunal quam ſupradicti Domini Poteſtatis, cadat ab omni iure tã damni, quam pœnæ, & nihil ultra conſequi poſsit, & tam acta facta coram alio Tribunali, quam Domini Poteſtatis ſint ipſo iure nulla: & teneantur officiales dicti Officij coram dicto Domino Poteſtate ad requiſitionem appellantis producere omnes libros, baſtardellumque ſine aliquo pręmio, & una cum cæteris actis quę eſſent in dicto Officio.

De Extractu & eius ſubſcriptione. Rub. XXXV.

NOn poſsint fieri aliqui extractus niſi prius fuerit notificata ſententia damnum paſſo ut ſupra, & ſit ſubſcripta manu Iudicis & Notarij dicti officij, alias ſi ſecus fiat tam Notarius, quam Executor incidant in pœnam unius Floreni pro quolibet extractu, applicãdi pro tertia parte pignoranti, pro alia tertia Executori, & pro omni reſiduo emptori prædicto: & pignora ablata pro ut de facto accepta, de facto debeant reſtitui, alias ſi dicta pignora fuerint rite & recte ſublata debeant retineri pœnes emptorem ſub bona cuſtodia, nec uẽdi poſſint per quatraginta dies currentes à die notificationis ſententiæ, & sic quod pignus deterioratum, ſeu fuerit amiſſum ſeu deperditum teneatur emptor ad duplum ualoris deteriorationis, ſeu ipsius pignoris eius Domino, & de ualore si fuerit amiſſum ſtetur iuramento Domini, licet ad probandum deteriorationem legitimę probationes requirantur.

De pœna

De pœna non probantis accuſam. Rub. XXXVI.

QVicumque aliquem de D. D. accuſauerit, ſiue de alijs concernẽtibus dictum officium & non probauerit, condemnetur in pœnam uiginti ſolidorum, & in expenſis, & intereſſe inquiſito ſeu accuſato, declarandis iuramento accuſati taxatione Iudicis præcedẽte: quæ omnia infra triduum refundere accuſator ſuccumbens compellatur, exceptis Cuſtodibus & alijs de quibus eſſet particulariter prouiſum, contra quos ſeruetur ut dictum eſt. Si quis calumnioſam, ſeu falsã accuſam, ſeu inquiſitionem porrexerit puniatur uice qualibet in uiginti libris denariorum, & si prędictam pœnam non ſoluerit condemnatus infra terminum per Iudicem aſsignandum, poſsit dictus falſarius ſeu calumnioſus carcerari & in carceribus per menſem retineri, ſeu prout de ipſius Iudicis proceſſerit uoluntate, inſpecta qualitate perſonę, & rei in qua falſitas eſt commiſſa.

De eo qui in Officio deierauerit. Rub. XXXVII.

OFficiales D. D. poſsint & ualeant procedere contra quoſcumque coram eis & eorum Officio deierantes, contra quos formetur proceſſus, & periurio probato legitime per duos teſtes, præfati periuri puniantur pœna Florenorũ ſex diuidendorũ inter emptorẽ, Iudicem, & Commune Vrbeuetanũ pro æquis portionibus. Et dictus emptor nõ poſsit nec ualeat eis portionem taxare nec componere nisi prius intimauerit D. D. Confalonerio & Cõſeruatoribus pro tempore exiſtẽtibus, & Iudici dicti Officij, & si ſecus factũ fuerit dictus emptor cadat in pœnam duorum ſcutorum applicandorũ Communi Vrbiſueteris pro duabus tertijs, & pro alia Executori.

De diuiſione pœnarum. Rub. XXXVIII.

IN omnibus & singulis pœnis exigendis in Officio D. D. duæ partes sint emptoris dicti Officij, tertia autem sit Domini ipsius rei cum emendatione damni, si non interueniret accuſator cui in omnibus casibus tertia applicetur ipsi accuſatori, altera tertia emptori, & residuum cum emendatione damni Domino ipsius rei: præterquam si Custo-

ſi Cuſtodes fuiſſent accuſatores, qui tunc ſint & eſſe debeant contenti de eo quod conuenerint cum emptore dicti Officij, & nõ poſsit dictus emptor partes ſuas conſequi, nec recipere ſub pœna ut ſupra dictum extitit, donec non notificauerit condemnationem fuiſſe factam accuſatori ſi adeſt & Domino rei.

De duplicatione pœnarum. Rub. XXXIX.

OMnes & ſingulæ pœnæ in dicto Officio duplicentur ſi damnum fuerit datum de nocte, nec nõ quocumque tempore eſſet datũ, ſi ſtudioſe uel doloſe eſſet datum perſonaliter, uel cum beſtijs in uineis, hortis, campo bladato, uel quocumque alio loco, quod tunc & eo caſu damnum dans teneatur ad ſoluẽdum pœnam duplicatam, ac etiam damnum duplicatum, de quo damno credatur iuramento damnum paſsi uſque ad ſummam unius ſcuti.

De emendatione damni. Rub. XL.

IN omnibus & ſingulis capitulis pręſentis Statuti ubi aliquę pœnæ imponũtur damnum dantibus, ſemper intelligatur cum emendatione damni, ſiue damnum fuerit datum perſonaliter, ſiue cum beſtijs, de cuius damni emendatione fieri debeat æſtimatio per commiſsionẽ Iudicis dicti Officij ſub pœnis prædictis.

De pœna accedentium, ſeu deſtruentium Fontes. Rub. XLI.

VNicuique liceat ire ſine damno ad fontes pro aqua in quacumque poſſeſsione, & prædicta locum habeant in fontibus & riuis currentibus, in priuatis uero non liceat intrare ſine licentia Dominorum, & ſi damnum dederit ſeu dictam licentiam ſpreuerit puniatur pœna duarum librarum pro uice qualibet, & ad damni emendationem, & hoc intelligatur de fontibus priuatis: ad fontes autem publicos ad quos fuit liber acceſſus in quantum ſe memoria hominum extẽdit, unicuique ſit tutus acceſſus per ſolitam uiam nulla contradictione obſtante, ad quos non poſsit appropinquari aliqua beſtia porcina ſub pœna duorum Florenorum pro quolibet porco & uice qualibet, & Cuſtos teneatur ad pœnam quinque librarum, & Dominus teneatur pro famulo de ſuo ſalario excomputando, uel ſi non habuerit ſalarium, etiam Dominus teneatur pro Famulo.

De pœna ingredientium hortos poſitos in Ciuitate ſiue extra. Rub. XLII.

SI quis D.D. in hortis muratis circum circa, ſeu ſepibus circundatis ſiue in Ciuitate, ſeu in burgis ſiue ſub burgis ubi ſolent ſeminari & tranſponi hortalia & herbæ, vltra dictas pœnas ordinarias ſoluere teneatur Florenos quinque pro qualibet uice, quæ pœna duplicetur de nocte, & pro æquali portione applicetur emptori dicti Officij, Domino, & Executori, & ultra dictam pœnam D.D. in hortis de nocte incidat in pœnam duorum tractorum cordæ, & ad medietatem dictæ pœnę pecuniariæ teneantur ingredientes ſine damno, & ſemper intelligantur prædicta cum emendatione damni: ſed ſi horti eſſent ſine muris, aut ſine ſæpibus, aut ſine hoſtio, uel teneantur pro derelictis de ingreſſu nulla ſit pœna.

De pœna ingredientium vineas, ſeu hortos & in eis D.D. ſine beſtijs. Rub. XLIII.

QVicũque Ciuitatis Vrbiſueteris intrauerit uel intrare præſumpſerit in vineas, ſeu hortos alienos, ſeu paſtinum cuiuſcumque de menſe Martij uſque per totum menſem Iulij, cadat in pœnam quinque librarum, à menſe autem Auguſti uſque quo fuerit uindemiatum in pœnam decem librarum extra Ciuitatem, in Ciuitate autẽ quælibet ſupradictarum pœnarum in ſuo caſu duplicetur, & prædictæ pœnę procedant ſi de die fuerit ingreſsio, ſi autem de nocte earum quælibet duplicetur, & ſi D.D. colligendo uuas cadant in pœnam ſupradictam congrue referendo, & pœna de nocte duplicetur: ſed ſi reperirentur D.D. cum ceſtonibus, bigoncijs, ſeu aliquibus alijs ſimilibus inſtrumentis ſoluat pœnam decem ducatorum quæ de nocte duplicetur: quicumque autem forenſis ingrederetur uineam, hortum, ſeu paſtinum cuiuſcumque cadat in duplum ſupradictarum pœnarum, & ultra dictas pœnas ponatur ad merlinam ſeu catenam per unum diem arbitrio Iudicis, & ſi enorme dederit damnum ipſius Iudicis iudicio fuſtigetur per totã Ciuitatẽ ultra pœnas prædictas, & quilibet qui non eſt ex Vrbeueteri oriũdus, uel non extiterit per decẽ annos in Ciuitate, intelligatur & ſit forenſis, & quilibet ſiue Ciuis, ſiue forenſis repertus noctis tẽpore dam nũ dare in uineis quo uis loco poſitis, ſeu hortis quibuſcũque poſsit à domino, laboratore, Cuſtode, ſeu alijs de familia prędictorũ arreſtari & pignorari, & ſi auſus fuerit ſe defẽdere offendi poſsit etiã in perſona: & à tẽpore quo fuerit uindemiatũ uſque ad kalẽdas Martij incidat qui libet ingrediẽs uineas, ſeu hortos alienos in pœnã unius librę de die, & de nocte duplicetũ: & hoc locũ habeat in hortis ubi nõ sũt hortalia, ſed

tantum moſcatella, ſeu uuæ: in hortis autem ubi non ſunt hortalia, ultra pœnas præcedentes, teneantur ingredientes ſeu D. D. ad pœnas cõtentas in præſenti capitulo: ſi autem dicto tempore fuiſſet D. D. in aſportando uites incidendo ſeu alia quæuis damna inferendo, quilibet puniatur pro ut in ſtatutis ſuper hoc particulariter loquentibus continetur ultra dictas pœnas.

De pœna D.D. in Vineis, ſeu hortis cum quocumque genere Animalium. Rub. XLIIII.

QVęcumque perſona cuiuſcumque gradus & conditionis extiterit D.D. in uineis ſeu hortis in quibuſcumque locis poſitis pẽdentibus fructibus ſtudioſe cum beſtijs groſsis, cadat in pœnam Dominus dictarum beſtiarum unius Floreni pro qualibet beſtia & uice qualibet de die, & de nocte duplicetur: ſi autem cum beſtijs porcinis ſeu caprinis dicto tempore incidat in pœnam unius libræ pro quolibet porco ſeu capra, & noctis tempore in duplum pœnę prædictę: ſi autem cum beſtijs pecudinis incidat in pœnam decem ſolidorum pro qualibet pecude & uice qualibet, & eadem pœna ſit in canibus quę eſt in porcis: & ſi anſeres & gallinæ repertæ fuerint D. D. cadant in pœnam quatuor ſolidorum pro qualibet & qualibet uice, & omnes dictæ pœnæ præterquam in anſeribus & gallinis duplicentur de nocte: & dãnum intelligatur ſtudioſe ſemper illatum niſi probetur diligentia, & ſi dictæ beſtiæ fuerint repertæ cum Cuſtodibus ultra dictas pœnas Cuſtodes de die incidant in pœnam duorum ducatorum, & in duplũ de nocte, & ſi dicti Cuſtodes eſſent reperti armati cuſtodientes dictas beſtias cadant in pœnam quinque ducatorum de die, & decem de nocte, ad quas pœnas ſoluendas teneantur & cogi poſsint Domini beſtiarum, reſeruato eis iure retinendi ſalarium, ſeu reluendi contra famulos & Cuſtodes; & canes dicto tempore euntes ſine uncino poſsint impune occidi ſeu interfici, & boues laborantes ſeu paſcentes iuxta uiam debeãt ferre unum campanellum pro quolibet pari bouum ſub pœna unius libræ pro quolibet boue & uice qualibet; & si dictæ beſtię alio tempore fuerint repertę in uineis teneantur ad dimidietatem dictarum pœnarũ, præter canes qui ad nullam teneantur pœnam.

De ſubditis & priuilegiatis Eccleſiæ D.D. in bonis Laicorum. Rub. XLV.

QVoniam intereſt Rei publicę purgare patriam malis hominibus ſtatuerũt quod Officiales ſeu emptores Officij D. D. poſsint procedere cõtra omnes D.D. in bonis Eccleſiæ, & eosdẽ condẽnare ſecundũ ſtatuta Domicilij ipſorũ D. D. & ne iuriſdictio Eccleſiaſtica

videatur tolli circa delinquentes in rebus Eccleſiæ ſtatuerunt quod inter Iudicem & Officiales prædictos, & Iudicem Eccleſiaſticum ſit locus præuentioni, exceptis tamen locis exemptis & priuilegiatis Eccleſiæ, in quibus dicti Officiales ſiue eorum Iudex procedere non poſsit, uolentes quod ſtatuta dictorum Officialium D.D. ligent ſubditos Eccleſiæ D.D. & delinquẽtes in ea, & quod tam ipſi ſubditi, quam eorum animalia D.D. in bonis cuiuſcumque perſonæ teneãtur ad pœnam de quibus in ſtatutis in materia loquentibus latius continetur, quod quidem iuri & honeſtati conuenit.

De pœna colligentium & aſportantium fructus maturos, & non maturos. Rub. XLVI.

QVicumque recollegerit fructus cuiuſcumque generis in quocumque loco poſitos, incidat in pœnam duarum librarum pro uice qualibet ultra pœnam ingreſsionis de qua puniri debeat ſecundum diuerſitatem locorum prout in alijs ſtatutis puniẽtibus ingreſſores, & de nocte pœna duplicetur: & repertus colligere fructus cum pertica ſeu alio quo uis inſtrumento extra poſſeſsionem, incidat in dimidietatem dictę pœnæ ut ſupra, & de nocte duplicetur. Et aliquis nõ habẽs poſſeſsionem vnde colligat, repertus aſportare fructus maturos teneatur docere unde collegerit & habuerit, alias cadat in pœnam ſupradictam, quæ pœna duplicetur in aſportantibus fructus immaturos; & portantes fructus maturos, etiam ſi eſſent Domini & docerent à quo habuerunt, ſi collegerint ſine licentia Iudicis dicti Officij incidant ſimplum dictę pœnæ.

De pœna aſportantium vuas ante vindemiam. Rub. XLVII.

LIcet rei ſuæ quilibet ſit moderator & arbiter, tamen ad euitandum ne damna inferantur uoluerunt quod nemo audeat deferre uel deferri facere uuas ante uindemiã, incipiẽdo à kalẽdis Iunij quouſque fuerit uindemiatum, ultra duas uuas impune, ſub pœna quinque ſolidorum pro qualibet uua, & uice qualibet ſi habuerit uineas ſuas conductas, uel docuerit collegiſſe, ſeu habuiſſe de licentia Domini ſeu laboratoris uineę, & de nocte duplicentur; alias uero non poſsit deferre niſi unicam tantum uuã, alias cadat in duplum dictæ pœnæ pro quali

bet uice de die, & de nocte duplicetur; & ſi habuerit caniſtrum, ſeu ſaccum in pœnam uigintiquinque librarum de die, & de nocte duplicetur, quam pœnam ſi non ſoluerit in termino ſibi à Iudice ſtatuto, mittatur ad catenam & ibi poſſit teneri per unum diem: & robbatores uuarum, latrũculatores, diffamatores & fructuum depopulatores & ſimiles poſſint à dicto Iudice non ſolum puniri pœna in ſtatutis contenta, ſed etiã detrudi in carceribus, & poni in catena & ibi publice detineri, & aliter in Perſonam puniri vt ipſi Iudici uidebitur delicti, perſonæ, & loci qualitate ac temporis inſpecta: & ad dimidiam ſupradictarum pœnarũ teneantur colligentes uuas ſeu uicciutas in pergulis in aliquo quouis loco campeſtri, referendo ſingula ſingulis.

De pœna facientis raſpellum. Rub. XLVIII.

EMptor & Officialis dicti Officij habeant authoritatem perquirendi per domos & habitationes quorumcumque forenſium non habentium uineas proprias ſeu conductas, & ſi reperirentur eos habere uinum, ſeu raſpellum, aut ultra decem uuas poſsit eos cogere ad pœnam ac ſi inueniſſet eos D. D. in uinea aliena, niſi doceant unde habuerint de licentia Domini, uel aliter emiſſe per iuramẽtum ſaltem ipſius Domini in termino quinque dierũ, & ponantur ad catenam in qua ſtare debeãt per tres dies continuos, & omni die reponãtur in carceribus quouſque ſoluerint dimidietatem dictæ pœnę.

De pœna incidentium cippos vitium, aut arbores domeſticos. Rub. XLVIIII.

INciſor uitium in quolibet loco exiſtentiũ cadat in pœnam decem librarum pro qualibet uice, & de nocte duplicetur uſque ad decem uites, ultra autem procedi poſsit per quemcumque Iudicem etiam criminaliter pro maleficio: inciſor autem arborum domeſticarum exiſtẽtium in uineis, hortis, clauſuris, ſeu alijs locis domeſticis ultra ſalmam incidat in pœnam trium ſcutorum pro qualibet arbore, citra autem ſalmam in dimidietatem dictæ pœnæ, & in eadem pœna puniatur inciſor & is qui euulſiſſet, aſportaſſet, ſeu incidere & aſportare ſeu uellere feciſſet, dummodo non animo in alio loco plantandi, quia tunc pœna ſit pro qualibet arbore, cuiuscumque ſit qualitatis, triginta librarum, & ſẽper om-

per omni caſu de nocte pœna duplicetur, & omnes arbores intelligantur domeſticæ & pro domeſticis quę in dictis locis ſitæ, ſiue appoſitæ fuerint.

De pœna auferentium vites, ſeu palos. Rub. L.

NVlli liceat auferre palos neque uites, nec accipere de aliqua vinea niſi eſſet Dominus uel laborator, uel cum licentia Domini uel laboratoris ſub pæna quinque librarum: & ſi quis non habẽs uineam propriam uel cõductam, & fuerit repertus deferre palos aut vites poſsit puniri eadem pœna ac ſi fuiſſet repertus illos uel illas accipere de aliena vinea, niſi aliter probabitur.

De pœna D. D. in Canneto. Rub. L I.

SI quis perſonaliter D. D. in aliquo canneto faciendo herbam, uel incidendo uel auferendo cannas, uel effodendo oculos cannarum incidat in pœnam uiginti ſolidorum: ſi qua autem beſtia groſſa cuiuſcumque generis ſit intret ſeu intrare præſumat in cannetum alicuius, incidat in pœnam decem ſolidorum pro qualibet beſtia & qualibet uice, & de beſtijs minutis ſit pœna ſex denariorum pro qualibet & qualibet uice.

De pœna D. D. in Oliuetis cum beſtijs uel ſine. Rub. L I I.

NVlla beſtia groſſa à principio menſis Octobris per totum menſẽ Decembris poſsit intrare in aliquo olíueto ſub pœna decem ſolidorum pro qualibet; & pro quolibet porco & qualibet uice ſit pœna uiginti ſolidorum; de beſtijs autem pecudinis ſit pœna quinque ſolidorum pro qualibet & qualibet uice: de beſtijs autem caprinis & bouinis ſit pœna quolibet tempore decem ſolidorum, & ſi aliqua Perſona inciſerit uel collegerit, diramauerit, uel aliquo modo deteriorauerit, pœna ſit decem librarum.

De pœna D. D. in clauſuris. Rub. L I I I.

NVlla beſtia groſſa cuiuſcũque qualitatis ſit poſsit ingredi aliquam clauſuram, excepto boue domito ſub pœna uiginti ſolidorum pro qualibet & qualibet uice: de alijs autem beſtijs minutis, & boue domito ſit pœna decem ſolidorum, & hoc intelligatur de clau-

clauſuris non bladatis & ſine damno. Si autem eſſent bladatæ & cum damno ſit pœna dupli: & ſi quis intrauerit aliquam clauſuram ſine licentia Domini incidat in pœnam ſolidorum decem, & ſi damnum dederit in ſolidis quatraginta, quę ſaltem tribus lateribus ſint circundatę ſæpibus, formis, ripis, aut foſſatis, ſeu muris, & in eis ſint ad minus quinque arbores domeſticæ aut uites, & iſtæ ſint & intelligantur clauſurę & per clauſuris habeantur in quocũque loco fuerint in Ciuitate uel in Comitatu, dummodo fuerint laboratæ per tres annos ad minus.

De Bannita ſeu Diſtrictu. Rub. L IIII.

BEſtiæ baccinæ paruæ, ſeu groſſæ, ſeu prauę, ſeu minutæ nõ poſsint intrare infra flumẽ Riui meallæ incipiendo à kalendis mẽſis Aprilis per totum menſem Septembris, & à flumine Paleæ citra, & ab exitu Riui Marini uſque ad exitum Riui Meallę eundo per flumen Paleę, & à dicto exitu Riui Meallę uſque ad exitum Riui Marini, & inde uſq; ad ortum Aquę Repeſeni, & à dicto ortu uſque ad ſaxum ſciſſum, & à ſaxo ſciſſo à pendicibus Alpinæ uſque in Riuum Marinum, & ad põticellum Sollicchi dicto tempore in dicto loco & Diſtrictu teneantur in eadem pœna, qua tenerentur si reperirentur in prato tempore uetito, & pecudes repertę in dicta bannita ſiue diſtrictu cadant in pœnam ſolidorum decem pro qualibet pecude: & quod fuit dictum de beſtijs baccinis intelligatur de beſtijs equinis prauis: quæ beſtiæ equinæ nõ poſsint retineri in dicta bannita ſeu Diſtrictu niſi ab introitu mẽſis Iunij & per totum menſem Auguſti pro triturando granum, & beſtię bouinę indomitæ retineri poſsint & domeſticę & non aliter, & hoc non habeat locum in macellarijs retinentibus Animalia pro uſu macellãdi: dictaque animalia si fuerint reperta D. D. duplum pœnę contentæ in dicto ſtatuto ſoluant, & beſtiæ porcinæ non poſsint aliquo modo ingredi dictum Diſtrictum ſeu bãnitam ſub pœna decem ſolidorũ pro qualibet uice & quolibet porco, & nemo poſsit in diſtrictu facere alleuimina beſtiarũ porcinarum ſub pœna prædicta, nec non ſub pœna decem aureorum ultra dictam pœnam: & retinentes porcos in Ciuitate incidant in pœnam decem ſolidorum pro qualibet uice & quolibet porco, nisi eſſent cauſa uendendi ſiue diuidẽdi inter ſocios, quo caſu poſsit procedi ex Officio: & Cuſtodes cuſtodientes eorum animalia tempore uetito, reperti cum dictis beſtijs poſsint capi per dominos poſſeſsionum, & quoſcumque laboratores eorundem, & pro qualibet uice cadant in pœnam triũ duca-

ducatorum applicandorum Executori pro tertia parte, & pro reſiduo Officiali dicti Officij, & pro Famulis teneantur eorum Domini tam ad pœnam, quam ad emendationem damni, ita tamen quod tempore pręmiſſo ſi fuerint dicta animalia reperta in dicta bãnita ſeu diſtrictu D. D. cadant in pœnam ſecundum formam Statutorum dicti Officij, niſi eſſemus in beſtijs porcinis, quibus nullum tempus eſt permiſſum niſi accedãt ad Ciuitatem tempore Nũdinarum ſeu mercati, quod tempus omnibus animalibus eſt permiſſum, & contra D. D. in dicta bannita ſeu diſtrictu non poſsit neque ualeat procedi per alios aliquos Officiales niſi dicti Officij, quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtãtibus.

De pœna D. D. in Pratis. *Rub. LV.*

NVlla perſona audeat uel præſumat per ſe, uel alium falciare ſeu herbam facere in pratis, ſiue cultis cuiuſcũque generis ſint bladæ, ſiue ſtipulam falciare antequam fuerint totaliter sgombratæ à grano ſeu alijs quibuſcũque generibus bladarum, ad pœnã quatraginta ſolidorum pro quolibet contrafaciente & qualibet uice de die, & de nocte duplum: & prata quæ ſunt ſolita falciari bis uel ter in anno debeant ſub dicta pœna à beſtijs, & perſonis cuſtodiri: & nulla beſtia poſsit ingredi in pratis à kalendis menſis Martij quouſque fuerint falciata & sgombrata ſub pœna decem ſolidorũ pro qualibet beſtia groſſa, & qualibet beſtia minuta ſex denariorũ, & pro quolibet porco quinque ſolidorum: & de beſtijs porcinis in pratis ſemper ſit eadem pœna, & nullum unquam tempus cenſeatur eis eſſe permiſſum, & ſub dicta pœna nulla ex dictis beſtijs groſsis ſiue minutis poſsit intrare in cultis, cuiuſcumque generis ſint, donec non fuerint totaliter sgombratæ, & nemo poſsit facere pratum ſiue bannitam aliquam cultam pro prato ultra duos quartengos, exceptis pratis ſolitis & antiquis, & prata antiqua intelligãtur quando per tres annos continuos fuerint falciata, & nihilominus uolens falciare pratum teneatur banniri facere & ſignare D. D. & poſtea ſecare, alias ſi non fuerint falciata per tres annos continuos non habeantur pro pratis.

De pœna beſtiarum porcinarum intrantium poſſeſsiones afformatas. *Rub. LVI.*

BEſtiæ porcinæ non poſsint intrare aliquam poſſeſsionem quæ haberet formas circũ circa ſub pœna unius ſolidi pro quolibet porco ſeu ſcrofa & uice qualibet: quam pœnam ſoluere teneantur Domini dictorum porcorum tempore quo in poſſeſsione non eſſet aliquod

quod genus bladi: ſi autem damnum fuerit datum tempore quo dicta poſſeſsio eſſet bladata teneantur ad pœnã decem ſolidorum pro quolibet porco & uice qualibet, & hoc habeat locum ſi porci ſiue aliquæ aliꝫ beſtiꝫ prauæ ingreſſæ fuiſſent in formis alicuius.

De pœna D.D. cum beſtijs, vel perſonis in remiſſiccia, ſeu palaria. Rub. LVII.

SI quis inciſerit in aliqua remiſsiccia ſeu palaria, ſeu aliquo modo cũ igne uel alio modo deteriorauerit, ſit omni tempore pœna duorũ ſolidorum pro quolibet fullone, & ſi aliquꝫ beſtiæ groſſæ intrauerint uel paſturauerint in remiſsiccis, Domini ipſarũ incidãt in pœnam quindecim ſolidorũ pro qualibet & qualibet uice, & de beſtijs caprinis ſit medietas dictæ pœnæ, & de beſtijs pecudinis ſit pœna duorũ ſolidorum, & de quolibet porço ſit pœna quatuor ſolidorum, & hoc intelligatur omni tempore: & ſi naſceretur dubium an poſsit dici remiſsiccia nec ne, ſtetur declarationi dicti Domini Iudicis. D. D.

De pœna D. D. in lino, canape, ſeu canaponibus. Rub. LVIII.

BEſtiæ porcinæ ſi intrauerint & D. D. in canaponibus, canape, ſeu lino incidant in pœnam quindecim ſolidorum pro quolibet porco, & qualibet uice: beſtiæ autem groſſæ in pœnam uiginti ſolidorum: aliꝫ autem beſtiæ minutæ incidant in pœnam trium ſolidorũ pro qualibet, & reperti auferre ſeu derobare canapem uel linum, ſeu ſemen ipſorum à quocumque loco, ac etiam ſtudioſe ipſam canapem uel linum deuaſtarent, incidant in pœnam quindecim ducatorum auri ultra alias pœnas ſtatutarias applicãdorum emptori dicti Officij, Accuſatori, & Executori pro æqua portione, contra quos præcedentibus legitimis indicijs poſsit deueniri ad torturam: & mittentes canapem in gurgis alienis, & ammaccantes canapem in bonis alienis incidant in pœnam unius Floreni pro qualibet uice.

Qui poteſt vendere herbam ſeu alia paſcua. Rub. LIX.

LAboratores poſſeſsionum alicuius rei niſi ſint fictuarij, detractis primis fructibus non poſsint uendere herbam ſiue paſturam, nec etiã ſpicas, ſed ſolum ueri Domini, licet laboratores ipſius poſſint conſequi partem eis tangentem à Domino rei, & ſimiliter nõ poſ-

ſint uendere Paleam niſi pro eorum rata ſub pœna quinque florenorũ applicandorum emptori dicti Officij,& Accuſatori pro tertia parte, & pro alia tertia Domino.

De pœna D.D.cum beſtijs vel ſine in ſiluis etiam incidẽdo. Rub.LX.

A Principio menſis Septembris & per totum menſem Februarij nulla beſtia groſſa poſsit intrare in ſiluis alienis ad pœnam quatuor ſolidorũ pro qualibet beſtia & qualibet uice, & pro qualibet beſtia minuta ſex denariorum, & pro quolibet porco ſex ſolidorum pro qualibet uice: & in ſiluis caſtanearum nulla ſit pœna poſt mẽſem Decembris uſque ad kalendas Septembris, in alijs uero temporibus ſit pœna tertij pluris quam in cæteris ſiluis: ſi quis autem inciſerit uel ligna fecerit aut deramauerit de lignis caſtanearum ſit pœna decem librarum pro qualibet arbore caſtanearum exiſtentium ultra ſalmam, citra autem ſalmam ſit pœna trium librarum pro qualibet & quolibet palo caſtanei, alterius arboris ſit pœna unius ſolidi : ſi quis autem inciſerit, deramauerit uel deteriorauerit arborem caſtanei camporilem citra ſalmam incidat in pœnam quatuor librarum, ultra autem ſalmam ſi arbor fuerit deramata in pœnam octo librarum, ſi uero fuerit inciſa à pede trium florenorum : ſi uero quis inciſerit quercum ſeu cerrum, fargniam ſeu aliquam arborem fructiferam ſubtus ſalmam in quibuſcumque locis poſitas incidat in pœnã unius floreni pro qualibet arbore, & ſi deramauerit aliquas prædictarum arborum ut ſupra & uſque ad unã ſalmam cadat in pœnam unius libræ pro quolibet ramo, ultra ſalmam in pœnam duarum librarum, ultra autem tres ſalmas in pœnam trium florenorum, & de beſtijs alijs temporibus nulla ſit pœna niſi Domino prohibente,& ſemper Dominus teneatur ad ſolutionem pœnæ ad quam teneretur famulus:Et quoniã iuri cõſonũ eſt, quod qui ſentit commodum ſentire debeat etiam onus, ſtatuerũt quod ſi famuli incidentes ligna in ſiluis uel bonis alienis illa ad domos ſuorum Dominorum aſportauerint, quod tunc & eo caſu ipſi Domini teneãtur ad ſolutionem pœnæ in qua ueniret condemnandus famulus, & ita in futurum firmum & ſtatutum eſſe uoluerunt.

De pœna auferentium ligna de poſſeſsione aliena. Rub.LXI

SI quis de poſſeſsione aliena abſtulerit ligna aliqua laterata ſeu laterãda & uendiderit ſeu uendere uoluerit, & legitime non oſtenderit quomodo habuerit,incidat in pœnam quinque librarum pro

quo-

quolibet ligno; & hocprocedat etiam in portantibus ſalmas lignorũ non habentibus ſiluas, ſiue in facientibus ligna cum beſtijs uel ſine, & ſit pœna decem ſolidorum pro qualibet ſalma, ſeu faſtello ultra pœnam introitus; & ſi fuerit repertus onerare beſtias in aliqua uinea, clauſura, ſeu poſſeſsionibus, ſit pœna quinquaginta librarum pro qualibet ſalma.

De pœna D.D. in ſodis & camporilibus. Rub. LXII

IN quocumque loco poſiti fuerint fructus domeſtici ſit pœna ſecundum formam ſtatutorum dictæ Ciuitatis etiam ſi eſſent in terris ſodis, & ſi fuerit facta aliqua inquiſitio ſeu accuſa in camporilibus in quibus non eſſent ultra decem arbores, limitatio pœnarum ſit arbitrio Iudicis dicti Officij.

De pœna D.D. in campo bladato. Rub. LXIII.

QVæcũque beſtia groſſa intrauerit campum bladatum ad granũ, ordeum, ſpeltam, ſainam, milium, fabas, crocum, guarum ſeu cuiuſcumque bladi & leguminis fuerit repletum, ſeu his ſimilibus, ſit pœna uiginti ſolidorum, exceptis beſtijs domitis de quibus ſit pœna decem ſolidorum, & de beſtijs pecudinis & caprinis ſit pœna trium ſolidorum, & de beſtijs porcinis ſit pœna quinque ſolidorum pro qualibet & qualibet uice: & ſi quis falciauerit granũ ſeu quod uis aliud genus bladi, ipſo facto, ultra pœnas ſtatutarias, incidat in pœnam decem ducatorum auri applicandorum pro quarta parte Domino rei, pro alia Accuſatori, pro alia autem quarta Executori, & reſiduum emptori dicti Officij; & ſi quis collegerit fabas ſeu alia legumina in herbis ſeu arida cadat in pœnam unius floreni pro qualibet uice, & hoc intelligatur de colligentibus crocum ſeu alia deſuper deſcripta. Si quis contra uoluntatem Domini & eo inſcio abſtulerit fenum ſiue paleam, uel aliud genus ſtraminis in quocumque loco exiſtẽtis, tunc & eo caſu incidat in pœnam unius floreni & de nocte pœna duplicetur, & quod dictum eſt de beſtijs groſsis intelligatur etiam de uaccinis & equinis domitis uel non domitis.

De pœna immittentium Animalia in griptis ſeu domibus alienis. Rub. LXIIII.

AVdentes immittere, contra iuris rationem & cauſã, animalia in domibus ſeu griptis alienis abſque licẽtia ipſius Domini, cadãt in pœnam trium librarum pro qualibet uice, quæ pœna duplicari debeat ſi dicta animalia fuerint remiſſa in dictis locis Domino prohibente.

De pœna interficientium Columbas. Rub. LXV.

NVlla perſona cuiuſcumque gradus ſit præſumat uel audeat interficere columbas turriſanas ſeu de columbaria cum aliquo genere inſtrumentorum, retium, laqueorum, ſeu quorumcumque aliorum inſtrumentorum ſub pœna unius floreni pro quolibet pari columbarũ pręterquã de mẽſe Martij & Aprilis, quo tempore unicuique liceat in ſua canape & lino, tam in proprijs poſſeſsionibus quam conductis, cum quocumque genere inſtrumẽtorum, pręterquam cum eſcatu, columbas pręfatas interficere; nec minus alicui liceat in Ciuitate Vrbiſueteris uel eius Diſtrictu trahere ad columbas cum aliquo genere baleſtrarum, ſcoppietti, archibuſij, arcus, ſiue ciarabottanæ ſub pœna amiſsionis inſtrumentorum, & decem librarum pro quolibet & qualibet uice, quę pœna applicetur etiam ſi dictus delinquens traheret cũ aliquo genere inſtrumentorum ad turres, columbarias, ſeu aliqua alia loca, & non interficeret aliquam columbam, & vnicuique liceat accuſare cum iuramento, cui credatur & teneatur ſecretus; & de ipſa pœna tertia pars ſit Accuſatoris, tertia Officialis, & alia tertia Patroni columbarum; & per præſens ſtatutum non derogetur alicui alteri ſtatuto in materia loquenti, poſito in uolumine Statutorum maleficiorum, quo caſu ſi prius proceſſerit Curia Poteſtatis illud ſeruetur, ſi autem præuenerit Officium D. D. ſeruetur præſens.

De pœna deuaſtantium Alueos Apum. Rub. LXVI.

SI quis deuaſtauerit alueos apum teneatur, ultra emendam Domino rei, ad pœnam decem librarum pro quolibet alueo, de quibus emẽdationibus ſtetur & credatur iuramento Domini alueorum cũ uno teſte probante de ualore dicti aluei etiam ſi deponeret de credulitate, & hoc locum habeat & procedat in alueis manu factis & cuſtoditis: Si autem

autem eſſemus in alueis exiſtentibus in aliqua arbore in ſiluis, tunc reperiens dictos alueos lucretur dimidiam partem ipſius, niſi reperijſſet ipſos ante fuiſſe ſignatos: Et non poſsit dictos alueos ita repertos tangere aliquo modo ſine licentia Domini ſub pœna quinque librarum & emendæ ualoris dicti aluei & arboris, non obſtante quolibet alio ſtatuto quocumque loco poſito ſuper hoc loquente.

De pœna deuaſtantium ſæpes aut muros, & ingomberantium poſſeſsiones alienas. Rub. LXVII.

QVicumque abſtulerit de aliqua poſſeſsione lapides, uel muros poſſeſsionis exmurauerit, uel ſępem deuaſtauerit, uel lapides uel aliquod aliud impedimentum proiecerit in aliqua poſſeſsione, pœna ſit quinque librarum, quæ pœna duplicetur in his qui abſtulerint lapides de aliena poſſeſsione.

De pœna D.D. in hortis olerum ſeu poponorum. Rub. LXVIII.

NVlla beſtia groſſa intret in hortis ubi exiſtāt olera, popones cœpæ, cucumeres, zucchæ, citrones, faſeoli, piſelli, crocus, ſeu ſimilia ad pœnam uiginti ſolidorum: & quod dictum eſt de beſtijs groſsis intelligatur etiam de uaccinis & equinis domitis uel in domitis, & pœna de nocte duplicetur, & hæ pœnæ procedant pro qualibet beſtia, & qualibet uice: & ſi perſonaliter in dictis locis D. D. fuerit per aliquam perſonam, ſit pœna quinque librarū, & de ſimplici ingreſſu ſit pœna decem ſolidorum.

De incendijs & incendiarijs. Rub. LX IX.

QVicumque immiſſerit ignē in ſuam ſtipulam uel alienam, & per ipſum ignem fuerit damnum illatū in alienis bonis, ille qui ignē immiſsit teneatur ad emendationem damni damnum paſſo ſuo ſacramento, taxatione Iudicis pręcedente, & hoc locum habeat ſi huiuſmodi incendia nō eſſent facta doloſe: Si autem doloſe fierent Iudex maleficiorum habeat procedere & punire dictos incendiarios: & nullus poſsit immittere ignem in ſuis ſtipulis ante feſtum. S. Mariæ de mēſe Auguſti, niſi habita licentia à dicto Iudice ſub pœna centū ſolidorū.

De dam-

De damnis illatis ab aliqua Vniuerſitate. Rub. LXX.

QVæcumque Communitas, uel eius Rector, uel ſpecialis perſona nomine alicuius Vniuerſitatis ſeu Communitatis dederit ſeu intulerit damnum alicui noſtro Ciui in aliquibus rebus & poſſeſsionibus, aut ignem immiſerit, prædicta Communitas ſeu Vniuerſitas teneatur emendare damnum in duplum & ſtetur ſacramento denunciantis & æſtimationi D. D. taxatione Iudicis præcedente & hoc locum habeat in incendijs: de damnis illatis ſeu inferendis in pertinentijs noſtrę Ciuitatis ubi iurisdictio Caſtrorum & Villarum Ciuitatis Vrbiſueteris extenditur, quotieſcumque ignorabitur de malefactore, de pecunia & bonis dictæ Communitatis & Vniuerſitatis emendetur in duplum; & ſi qua perſona uellet conferre in damnis quę darentur in Pleberijs & Caſtris ut ſupra, ſi damnum daretur in bonis ſuis, homines pleberij non teneantur conferre in damnis quæ ſibi darentur, exceptis ueris & naturalibus noſtris Ciuibus quod ad talem collationem D. D. nullatenus teneantur, & hoc locum habeat in damnis illatis ab incerto authore, ſeu non doloſe datis ſeu factis: Vbi autem dolus interueniſſet procedere poſsit in his Iudex maleficiorum.

De damnis illatis à perſonis incertis. Rub. LXXI.

SI aliqua damna darentur in poſſeſsionibus uel bonis hominum Ciuitatem habitantium, quocumque tempore cum beſtijs, Iudex D. D. teneatur facere formare inquiſitionem ad petitionem cuius libet petentis pro inueniendo D. D. & repertum puniat & damnum emendari faciat: ſi autem non reperiatur faciat dicta damna reſarcire per quatuor homines proximiores conuicinos dictæ poſſeſsionis conuerſantes per unam hebdomadam ante circa dictam poſſeſsionē cum ſuis beſtijs uel laboritio, qui tamen non teneantur ad aliquam pœnam ſed tantum ad damnum: & hoc idem intelligatur de domibus, fractis, griptis, & capannis, fractis derobatis ſiue combuſtis ab incerto authore, & rebus inde aſportatis, & de ualore damni ſtetur iuramento Domini & unius hominis Contradę eligendi pro parte damnum paſsi qui rei notitiam habeat. Et dictus Iudex teneatur incontinenti emendari facere dicta damna ſine ſtrepitu & figura iudicij, omnibus ſollemnitatibus iuris, & ſtatutorum prætermiſsis.

De pœna negantis nomen ſuum. *LXXII.*

SI quis reperiretur perſonaliter, uel cum beſtijs D.D.uel portare aliquid cõtra formam præſentium ſtatutorum, & nomen ſuum negauerit, uel unum pro alio dixerit quomodocũque ſit, incidat in pœnam decem librarum de facto auferendarum ſine aliqua diminutione per dictum Iudicem.

Quando quis accuſatur habere plures beſtias quam in veritate habuerit. *Rub. LXXIII.*

SI quis denũciatus uel inquiſitus fuerit de pluribus beſtijs quam habuerit, & diceret ſe non habuiſſe tempore in accuſa uel denuntia contento, tot beſtias quot eſſet accuſatus denunciatus uel inquiſitus, & iurauerit ſe minorem numerum beſtiarum habere & probauerit cum duobus teſtibus iurantibus, non teneatur niſi de beſtijs quas habuerit, & ſufficiat ſi teſtis dixerit uerum eſſe quod denunciatus uel inquiſitus iurauerit ſuper numero beſtiarum, neque à teſtibus exigatur aliud in cauſa ſcientię: ſi autem tam per teſtes, quam iuramẽtum accuſatoris maior numerus probaretur, dictus denunciatus ex ſuo iuramento & dicto dictorum teſtiũ non releuetur, ſed pro periuro habeatur & in quolibet dictorum caſuum in uiginti quinque libris denariorum puniatur: & ſi quis fuerit denunciatus in pluribus beſtijs quam habuerit tempore & loco quo cuſtodiebat, uel damnum datum fuiſſe diceretur, quã quam tot beſtias non habuerit de quot fuerit denunciatus & eas habuerit in alio loco, ſoluat denunciator antedictam pœnam quam ſolueret denunciatus.

Quod introitus cum D.D. non confundatur. *Rub. LXXIIII.*

POEna introitus poſſeſsionum cum pœna D. D. non confundatur nec e contra, ſed contraueniens de uno quoque tam de introitu, quam de D.D. puniatur ſecundum formam prędictorum ſtatutorum, dummodo ex eodem delicto una tãtum pœna ſequatur. Et hoc locum habeat in D.D. perſonaliter tantum, non autem procedat pœnarum confuſio.

De interprætatione Statutorum. *Rub. LXXV.*

OMnia ſtatuta ſupraſcripta annullantia proceſſus ne procedant nec locum habeant in rata tangente Dominũ, & in omnibus & ſingulis ſuis capitulis ubi aliqua imponitur pœna damnum dantibus cum beſtijs uel ſine, ſemper intelligatur cum emendatione damni, &

ni, & sẽper intelligatur Domino poſſeſsionis reſeruata tertia pars pœnæ, & in omnibus D.D. in quibus non fuiſſet impoſita certa pœna poſſit procedi de ſimilibus ad ſimilia, & ſi quod dubium ſuper intelligentia, ſiue ſimilitudine naſceretur, ſtetur arbitrio & interpretationi Iudicis dicti Officij, & ubi non eſſet una ſimilitudo pœna ſit arbitraria, & arbitrari debeat per ipſum Iudicem una cum Poteſtate Magnificæ Ciuitatis Vrbiſueteris.

Quod vnum Statutum non tollat aliud. Rub. LXXVI.

VNum Statutum præſentium Statutorum non poſsit nec ualeat obſcurare nec tollere aliud: ſed ſi ſunt duo Statuta ſuper eadem materia loquentia, Iudex dicti Officij debeat uti Statuto magis leui, dummodo D.D. non remaneant impunita, & committentes meritam luant pœnam, & Domini rei ius ſuum conſequantur.

Quibus Statutis debeant uti Officiales. Rub. LXXVII.

OMnia & quæcumque ſtatuta immiſſa & deſcripta in hoc præsẽti volumine Statutorum ſint, & pertineant ad Officium D.D. & ſcribantur & annotentur in infraſcripto ſtatuto, & de eis Iudex dicti Officij teneatur facere executionem, & officiales aliqui dicti Officij non poſsint nec valeant uti aliquibus ſtatutis, ordinamentis, capitulis, ſeu reformationibus alijs, niſi dumtaxat in quarto uolumine deſcriptis & annotatis; caſſantes annullantes & irritantes omne aliud ſtatutum, omnemque aliam reformationem ſiue conſuetudinem ubilibet poſitam, ſcriptam, & annotatam ac ſi non eſſent facti uel factæ, quæ omnia pro infectis omni meliori modo haberi uoluerũt: & præſens volumen Statutorum, quo uis capitulo Statuti reformatione ſeu lege in contrarium faciente & omnibus quibuſcumque non obſtantibus, uoluerunt habere roboris formitatem, & eſſe in uiridi obſeruãtia, & omnibus quibuſcumque ſtatutis, reformationibus, ordinamentis, conſuetudinibus, & legibus in contrarium facientibus per hoc præſens ſtatutorum uolumen uoluerũt pœnitus fore derogatum, & declaratũ nullius fore roboris uel momenti quo ad Officium & obſeruantiam D.D. & ſi emptor dicti Officij repertus eſſet aliquod capitulum Statutum uel ordinamentum ſupraſcriptum præuaricatum fuiſſe quomodocumque, ultra alias pœnas puniri poſsit de facto in amiſsione dicti Officij, abſque

abſque eo quod poſsit aliquod damnum prætendere: & hoc locum habeat in præteritis & futuris, quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus.

Quod de damno dato non cognoſcatur per aliud Tribunal. Rub. LXXVIII.

SVper damnis illatis non datur acceſſus ad aliquod aliud Tribunal, niſi ad Tribunal Iudicis dicti Officij, ſub pœna decem aureorũ applicandorum pro tertia parte emptori dicti Officij, pro alia tertia Executori, & pro reſiduo Cõmuni Vrbiſueteris, & cadat dictus accuſãs ſeu inquirens ab omni iure quod haberet tã ad damnũ, quam ad pœnã, & omnia acta in alio iudicio facta ſint ipſo iure nulla, etiã ſi fuiſſet proceſſum ex Officio, uel per uiam bannimentorum cuiuſcumque alterius Iudicis, præterquam ubi interueniſſet ſanguis, ſeu timeretur ſcandalũ oriri aliqua euidenti cauſa & ratione, uel ubi damnum inferens ueniret puniendus criminaliter, in quibus cauſis ad electionem damnũ paſſi liceat adire quemcumque Iudicem voluerit.

De Libro Officij D.D. Rub. LXXIX.

EMptor dicti Officij D.D. teneatur & debeat finito anno extractionis conſignare librum & baſtardellum in manibus Cãcellarij Communis Magnificę Ciuitatis Vrbiſueteris ſine aliqua fraude; & omnes condemnationes, & debitores ſiue debentes exigãt, & exigi debeãt per dictum Iudicem & Emptorem, per terminũ unius anni poſt finitum Officium, & dicto termino elapſo non ualeat nec poſsit ultra conſequi: & ſi contrafactum fuerit incidat in pœnam quinquaginta ducatorum auri eidem de facto auferendorum, & Cameræ Communis Vrbiſueteris applicandorum pro duabus tertijs, & alia tertia Officiali executionem facienti, quæ pœna duplicetur ſi auſus fuerit Emptor circũuenire quo uis quæſito colore.

De Syndicatu & remiſsione Librorum dicti Officij. Rub. LXXX.

QVoſcumque tam ſcripturæ publicæ, quam priuatæ adminiſtratores in calce eius Officij rationes reddere æquũ eſt, & ut ita boni animentur, praui autem deterreantur: emptor igitur Officij prædicti in fine ipſius Officij teneatur & debeat ſyndicari tam de com-

miſsis & omiſsis per eum, quam etiam per eiusdem Officiales, pro quibus omnibus fideiuſſorem præſtare teneatur de Syndicatu in principio ſui Officij, & per tres dies continuos poſsint dari petitiones tam in ſcriptis, quam verbotenus, & procedatur, cognoſcatur, & decidatur per Syndicos, & Reuiſores electos, & eorum Iudicem ſimpliciter & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij, diebus feriatis & non feriatis, etiam per præſumptiones & coniecturas, prout de communi concordia dictorum Syndicorum videbitur: Qui Iudex & Syndici detrahi debeant de buſſulo Magnificæ Ciuitatis Vrbiſueteris ſolito more, & feciſſe reuidere debeant librum conſignandum & baſtardellos & omnes infilſas & proceſſus per dictum Emptorem Syndicis præfatis, qui Iudex & Syndici teneātur & debeāt abſoluiſſe, ſeu condēnaſſe dictū Emptorem & eius Officiales in termino quinque dierum, alias dicto termino elapſo, pro abſolutis & liberatis reputentur & teneantur & habeantur, & Emptor de ſuo proprio teneatur ſoluere ſolitam & conſuetam mercedem dictis Syndicis, & Notario, quibuſcumque capitulis, ſtatutis, conſuetudinibus, reformationibus, & conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus.

Finis Libri Quarti.

STA

STATVTORVM VRBISVETERIS.

DE OFFICIO EXTRAORDINARIORVM LIBER QVINTVS.

De pœna eicientis, vel mittentis putredinem, uel ſozZuram. Rub. prima.

NVllus eiciat uel immittat putredinem uel ſuzzuram, uel patiatur eici ab alio de eius familia uel immitti per foramina, formellos, ſeu aquaiales, uel ſciaquatorios proprios, uel communes, uel alterius in viam publicam Communis, uel in retum uicinalem ad pœnam decem ſolidorum pro qualibet uice, & nihilominus dictus Iudex, uel Poteſtas, ad petitionem cuiuslibet petentis, teneatur infra octo dies, poſt quã à quocũque fuerit requiſitus, facere claudi dictos formellos, aquaiales, & ſciaquatorios per quos ſeu in quibus putredo uel ſuzuura fuerit eiecta uel immiſſa, & deinde dictos formellos, & ſciaquatorios clauſos teneri facere: Si tamen clauſura dictorum locorum præſtaret impedimentum & fluitionem aquæ pluuię cadentis de Cœlo in aliquo dictorum locorum, dictus locus claudi nõ debeat, & dictus Iudex ſeu Officialis prædicta facere teneatur vinculo iuramenti, & ad pœnam uigintiquinque librarum pro quolibet locorum prædictorum; & de prædictis, & quolibet prædictorum ſtetur iuramento cuiuslibet denunciãtoris, & Accuſatoris bonæ famæ, & habeat Accuſator medietatem pœnæ, & locum habeant hæc in Ciuitate, & Burgis, Caſtris, & Villis.

De pœna eicientis carnatum, vel ſoZZuram. Rub. II.

NVlla perſona eiciat, aut eici faciat aliquod carnatum, ſozzurã, ſanguinem, uel putredinem intra rupes, uel burgos, uel prope rupes uel burgos per uigintiquinque paſſus, & nullus extra Ciuitatem per aliquam uiam qua itur ad aliquem fontem, ubi eſſet prope Ciuitas, eiciat aut eici faciat carnatum, putredinem, uel ſuzzuram ad pœnam quadraginta ſolidorum, & ſtetur ſacramento cuiuslibet Accuſatoris, & habeat Accuſator medietatem pœnæ, & teneatur ei credé

tia, & nihilominus prædicta debeant eleuari, & Officialis de prædictis inquiſitionem faciat ſingulis menſibus.

Quod nullus mittat Manus immundas, aut Vas in Fontem. Rub. III.

MAnus immundas uel putridas, ſeu uas immundum uel putridum nullus immittat in aliquem fontem Ciuitatis, ad pœnam quinque ſolidorum pro qualibet uice, & de hoc ſtetur iuramento cuiuslibet denunciatoris bonæ famæ, & habeat medietatem pœnæ.

Quod nulla Perſona trahat Aquam de aliquo Fonte Ciuitatis cum Tinella. Rub. IIII.

NVlla perſona trahat aquam, uel trahi faciat de aliquo fonte exiſtente in Ciuitate Vrbiſueteris cum tinella, uel barili, uel bigõzo, neque ad fontem teneat tinellam, barilem, uel bigonzum implendum aqua, niſi cauſa teneat de longe per unum paſſum à pede fõtis, ad pœnam decem ſolidorum pro qualibet uice, & quilibet poſsit talem denunciare, & ſtetur eius iuramento, & habeat medietatem pœnę, & teneatur in credentia.

De pœna deferentis, & remittentis intra Portam carnes morticinas. Rub. V.

CArnes morticinas nullus teneat intra portas Ciuitatis Vrbiſueteris ad pœnam centum ſolidorum, & perdat carnes; & Dominus Poteſtas habeat ſuper hoc Cuſtodes qui uadant per Ciuitatem ad uidendum prædicta, & in hoc dictus Iudex ſit diligens, ad pœnã uigintiquinque librarum denariorum.

Quod nullus proijciat de Rupibus Ciuitatis ſozzuram in rem alterius. Rub. VI.

DE rupibus Ciuitatis nullus proijciat aliquam turpitudinem, uel lapidem in rem alterius, & qui contrafecerit ſoluat quadraginta ſolidos denariorum, & de his ſtetur iuramento Accuſatoris.

Quod

Quod nullus porcus, uel ſcropha vadat per Ciuitatem. Rub. VII.

SI quis porcus, uel ſcropha iuerit per Ciuitatem Vrbeuetanam, uel Burgos de die, uel de nocte, Dominus porci, uel ſcrophę in quatraginta ſolidis pro quolibet porco, uel ſcropha puniatur, & nihilominus talis porcus, uel ſcropha poſsit à quolibet impune occidi, ſaluo quod duo porci Sancti Antonij tantum ire poſsint per Ciuitatem. Liceat tamen Mercatoribus, & Macellarijs qui porcos conducunt ad uendendũ in Ciuitate Vrbeuetana, ipſos ducere ſine pœna, & tales porci à nulla perſona poſsint occidi.

Quod nullus poſsit ſanguinare aliquod Animal in ſtrata à Porta Maiori vſque ad Portam Puſterulam. Rub. VIII.

NVllus audeat uel prȩſumat ſanguinare aliquod animal, uel proijcere ſanguinem alicuius animalis in ſtrata publica à Porta Maiori recta linea, uſq; ad Portã Puſterulȩ, nec in dicta ſtrata proijcere aliquam putredinem, niſi proijciat in puteo, & qui contrafecerit ſoluat nomine pœnæ centum ſolidos denariorũ, & quilibet poſsit contrafacientes accuſare, cuius iuramẽto ſtetur cum uno teſte bonȩ famȩ.

De pœna Tintorum, & aliorum proijcientium maltatam, ſeu paſtatam & alias putredines. Rub. IX.

TIntores, & quæuis alia perſona non proijciant maltatam, ſeu paſtatã, uel alias putredines in Ciuitate Vrbeuetana prope domos habitantiũ in ipſa Ciuitate per quinquaginta paſſus, & qui contrafecerit puniatur pro qualibet uice in decem libris denariorum, & licitum ſit cuilibet accuſare.

De terra fundamenti tenenda per certum tempus, & de immundities Viarum. Rub. X.

SI quis de terra fundamenti, uel alia terra ſimili proiecerit in uijs publicis uel uicinalibus, teneatur infra quindecim dies à die proiectionis pœnitus eleuare, ad pœnam quadraginta ſolidorum, & nullus proijciat, ſeu proijci faciat in uijs publicis uel uicinalibus, nec in campo Bobum, nec in ſolo alterius, nec in Plateis Communis, nec Eccleſiarum, uel ſpiritualium perſonarum ſine licẽtia Domini: nec ponat uel poni faciat ſuzzurã, turpitudinẽ, immũditiã, uel letamẽ, nec aquã uaſcellorum, & qui contrafecerit, aut ante cuius domum inuenta fuerit ſoluat quadraginta ſolidos, & poſitam eleuare teneatur, cuius pœnæ medie-

medietas ſit Communis, & alia denunciatoris: aquæ uero mortidæ ſcorzæ gallę, & ſcotani poſsint proijci ſine pœna. Si quis uero Calzolarius uel alius pro eo depilauerit coria in dictis uijs, & ea inde non eleuauerit ſoluat quinque ſolidos, & quod ea die poſuerit ſtetur eius ſacramento. Cartarij uero & reffiarij non faciant cartas, ſeu roffias in uia à Porta Maiori, uſque ad Portam Puſterulam, nec morentur in uijs ſicut mittit per viam ſancti Iuuenalis, uſque ad Portam Puſterulam, & à Platea Populi, uſque ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & nullus guatum ma cinet uel ſiccet, uel faciat, nec piſtatum guati, nec malticcium pelliũ faciat in uijs publicis, nec pelles malticciatas tendat in Platea communi, nec Calzolarij coria attentare unde putredo exire poſsit in uijs publicis, & nullus proijciat aquam turpem, nec aliquam aquam, nec turpitudinem faciat ante aliquam Eccleſiam; & qui contra prædicta uel aliquo prędictorum pro quo pœna impoſita non eſt fecerit, in uiginti ſolidis puniatur, & quilibet poſsit accuſare & teneatur in credentia: Lanaioli uero, & mercatores cum trahunt pannos & lanam de vaſcellis, poſsint ipſos ponere ante domos eorum, & pro aqua quę inde exit pœna non exigatur: ſed ſi in aliqua platearum, uel Eccleſiarum & non appareat quis fecerit, uel ante cuius domum ſit factum, tunc quinque uicini proximiores ad locum ſoluant quinque ſolidos, quarum pœnarum medietas ſit Accuſatoris, & medietas ſit Communis: ſed ſi de terra muri alicuius ceciderit in uiam publicam uel uicinalem, teneatur eleuare infra quindecim dies, poſtquam fuerit ei denũciatum, ad pœnam uiginti ſolidorum, & nullus sãguinem proijciat ante Turrẽ Cõmunis, nec poſt ipſam, nec in aliqua uia, exceptis Maneſchalchis, nec in dictis locis porcus abruſchetur ad dictam pœnam, & ſtetur ſacramẽto cuiuslibet Accuſatoris, & denunciatoris.

De remuniendo ante Domum quolibet die Sabbati. Rub. XI.

QVolibet die Sabbati, maxime à Kalendis Maij uſque ad kalendas Octobris, quilibet ſpazzet, & remunituram eleuet ante domum in qua habitat propriam uel conductam, per uias publicas uel uicinales ad pœnam decem ſolidorum, & denuntiator habeat medietatem pœnæ: & ſi domus non habitaretur, & eſt aptum illis de Cõtrata, teneantur illi de Contrata, & qui immunditiam poſuerit, uel cuius domus fuerit teneatur reficere expenſas illis qui eleuauerint.

Quod

Quod nullus proijciat turpitudinem in Caſalenis aliorum, vel ſimilibus. Rub. XII.

QVicumque ad aliquam vineam, hortum, caſalenum, aut clauſuram poſitam in Ciuitate proijecerit, uel proijci fecerit immunditiam, turpitudinem, lapides, coccias, cornua, oſſa, & his ſimilia uel aliorum prædictorum, in decem ſolidis uice qualibet puniatur, & ſtetur iuramento Domini, uel Laboratoris, & hoc publice banniatur per Ciuitatem Vrbeuetanam.

De immunditia Plateæ Communis. Rub. XIII.

CAmagnaioli, & Pizzicaioli immunditiam non proijciant in Platea Communis, ſed ipſam ſemel in hebdomada remunire & bene purgare teneantur, quod ſi non fecerint uel facere noluerint, Poteſtas teneatur eos non permittere permanere ibidem ad exercēdum artem prædictam, & eos puniat in uigintiſolidis pro quolibet, & qualibet die Sabbati.

Quod nulla Beſtia magagnata vadat per Ciuitatem. Rub. XIIII.

SI qua beſtia magagnata de uermine, uel caprimorbo iret per Ciuitatē, uel Burgos, uel ad aliquem Fontē circūſtantē Ciuitatis ad bibendum, ſoluat Dominus beſtiæ centum ſolidos, & quilibet poſsit accuſare, & credatur iuramento ſuo, & teneatur ſecretus, & habeat medietatem pœnæ.

Quod nullus eleuet lapidem de aliquo Ponte, vel muro Communis. Rub. XV.

NVlla perſona eleuet lapidem uel lapides de aliquo pōte, uel muro Communis, ſeu de pectorali ipſorum, uel alicuius eorum, & qui cōtrafecerit pœna ſit quadraginta ſolidorum pro qualibet uice, & nihilominus teneatur quicquid inde eleuauerit reficere, & reponere ſuis expenſis.

De pœna trahentium Macinas per Pontes, & Vias ſaliciatas. Rub. XVI.

PEr uias ſaliciatas nulla perſona trahat, uel trahi faciat macinas, uel trahinum, ſi aliūde cōmode abſque damno alterius ire & trahi poterūt, & nullus trahat macinas per aliquē pōtē, nec per aſce

ſas

ſas de Sancto Iuliano, nec per uiã iuxta murum Fontis fratris Alberici, nec iuxta bottinum dicti Fontis, & qui contrafecerit in centum ſolidis pro uice qualibet puniatur: & Iudex teneatur ponere Cuſtodes priuatos, quorum dicto ſine nouo iuramento credatur, ſalua dicti Iudicis prouiſione, & habeat tertiam partem pœnæ: quilibet uero poſsit trahinare, & trahinari facere trahinos ligneos tantum per uias Silciatas & per aſceſas tantum ſine pœna.

De pœna lauantis, vel turpitudinem aliquam facientis in aliquo Fonte. Rub. XVII.

NVlla perſona lauet, uel lauari faciat, uel aliquã putrediné proijciat in aliquo Fonte ſeu abeueratorio Ciuitatis, uel eius circuitus, & qui contrafecerit ſoluat uiginti ſolidos pro qualibet uice, & quilibet poſsit accuſare, & credatur ſacramento Accuſatoris de prædictis, & habeat medietatem pœnę, & eius nomẽ habeatur ſecretũ: & Domini Conſeruatores teneantur & debeant, uinculo iuramẽti, Cuſtodes bonos facere ad quemlibet Fontem, & ad beueratorium dictę Ciuitatis, quorum accuſis & iuramento credatur, & habeat tertiam partem pœnarum de accuſis quas fecerit.

Quod Denunciator, vel Accuſator probet accuſam, & denunciationem quam vult facere contra ſuum denunciatorem, vel aliquem de ſua Familia per teſtes, & non ſtetur ſacramento ſolo. Rub. XVIII.

IN omnibus caſibus in quibus creditur ſacramento Accuſatoris, ſiquidem denunciatus uel accuſatus de dictis delictis, uel aliquo eorum quæ probantur per ſacramentũ, uel aliquo alio modo, uoluerit Accuſatoré uel denunciatorem ſuum accuſare, uel accuſationem uel inquiſitionem de eo porrigere de quocũque delicto, non ſufficiat probatio per ſacramentum, ſed duo teſtes bonæ conditionis & famę: & prædicta intelligantur, ſiue accuſatus, ſiue aliquis de ſua familia ſuum Accuſatorem accuſauerit, ſiue aliquem de ſua familia.

De Aqua non deriuanda per Viam. Rub. XIX.

ITem ſtatuerunt & ordinauerunt, quod quicumque deriuauerit aliquam aquam, per aliquam uiam non deriuet uel deriuari faciat, ſed aquæ ductus per aliquam formam cohopertam, & planam ad equalitatem

tatem viæ, ita quod uia non impediatur, & qui contrafecerit puniatur in centum ſolidis, & nihilominus prædicta facere teneatur, & poſsit à quolibet accuſari, & habeat medietatem pœnæ, & teneatur ei credentia, ſaluo quod huiuſmodi capitolus non præiudicet illis, qui uolunt aquare poſſeſsiones eorum.

De pœna tenentium lignamina in Vijs publicis. Rub. XX.

NVllus in Ciuitate Vrbiſueteris teneat uel tenere poſsit ſeu debeat trabicellos, arcacitias, uel alia lignamina groſſa in ſtrata publica à Porta Maiori, vſque ad Portam Puſterulam, uel in ſolcibus ſeu vijs publicis circumſtantibus Plateæ Communis dictæ Ciuitatis prope ipſam Plateam per centum paſſus, & contrafaciens uiginti ſolidorum pœna uice qualibet puniatur, niſi teneret pro domo ſua aptanda, uel ædificanda, quo caſu pœna non ſoluatur, & ſtetur de prædictis iuramento cuiuslibet accuſantis, & habeat tertiam partē pœnæ.

Quod nullus faciat Dominum in Tabernam. Rub. XXI.

NVllus faciat Dominum in Taberna, uel extra aliquem Dominū uel Procuratorem, qui ponat aliquo modo denarios pro expenſis factis, uel faciendis tabernis circa comeſtionem, uel potum, & qui contrafecerit puniatur in uiginti ſolidis, & duplicem pœnam ſoluat qui fuerit Dominus, uel mandator: & de prædictis ſtetur iuramento denunciatoris, qui habeat medietatē pœnæ, & eius arbitrium non ualeat.

De Vijs, Fontibus, Pontibus, & ſuprapræhenſis. Rub. XXII.

POteſtas, & eius Iudex teneatur cognoſcere de omnibus quæſtionibus ſtratarum, uiarum, & ſupra prȩhenſarum quarumcūque rerum, factorumque ſingularum perſonarum, tā in Ciuitate, quam extra Ciuitatē, citra omnē ſolēnitatē iuris, & punire pro qualibet ſupra prȩhēſa in centū ſolidos: & nulla tēporis prȩſcriptio obſtet in ſupraprȩhēſis Cōmunis, & teneatur facere aptare, ſeu de nouo fieri ſtratas, vias, & fōtes Ciuitatis & Comitatus, & muros, & ripas dictȩ Ciuitatis, & inquirere, & procedere ſuper ſupraprȩhēſis quarumcūque rerum, & ſuprahēſis uiarū, & ingōmoramine, & impedimēto aperturæ cuiuſcūque, ad

 petitio-

petitionē cuiuſcumque, uel retri publici, uel priuati, & faciat terminari apertos retros, & vias, & exgomberatos expenſis Communis, uel adiacentium ſecundum antiquum ſtatutum, & morem, & faciat eleuari omnia ſiſtoria quæ pendent à porticis inferius per omnes uias Ciuitatis Vrbeuetanæ, & perticas & baculos, qui excedunt diſcos qui ſtant in uijs publicis, & ita faciat quod amplius non ponantur, qui vero contrafecerit puniatur in uiginti ſolidos: poſsint autem Mercatores tenere coopertum ſuper arengum, & ſuper corticis, dummodo quilibet Mercator ante ſuam Apothecam teneatur facere feneſtram longitudinis & amplitudinis duorum pedum ſuper porticis, & tenere ſemper apertas: prohibeat etiam quod nulla perſona retineat tendam, uel trauaccam in Platea Communis niſi die Sabbati, ad pœnam decem ſolidorum pro qualibet uice: Retos autem, & vias vicinales faciant aptari & fieri amplas ſex pedum ad minus ad pedem Communis: vias publicas decem pedum ad minus: ſi uero ampliores fuerint uel eſſe fuerint conſuetæ, faciat eas conſeruari: Teneatur etiam dictus Poteſtas de menſe Ianuarij habere ſecum Conſules Mercatorum, & Lanaiolorum, & Merciantium, & Calzolariorum, & Pellipariorum, & cum eis uidere omnes diſcos qui ſunt ante apothecas, & domos Ciuium, & ſi reſtringendi uidentur eos faciat reſtringi: item reuideat cum eis omnes apertas poſitas ſuper curſum mercantiæ, & eas reaptari faciat ubi reaptandæ uidentur: qui Poteſtas, Iudex, uel Officialis ſi in prædictis fuerit negligens, pœnam uigintiquinque librarum incurrat.

Quod in Molendinis, & Aquis, & Hortis ſeruentur conſuetudines hactenus obſeruatæ. Rub. XXIII.

IN Molendinis, hortis, & poſſeſsionibus ſeruentur conſuetudines hactenus obſeruatæ.

De prouiſione habenda per Iudicem, quando per Viam Communis iri non poſsit. Rub. XXIIII.

SI quando per uiam Communis iri non poſsit, maneat in prouiſione Iudicis, an perſonę habeant tranſire per rem alterius propinquam dictæ uiæ, dummodo tranſitus fiat honeſte, & cum lęſione modica quam minori poterit, & an ſit damnũ datum, uel nõ per dictũ tranſitũ

rema-

remaneat in eius prouiſione, & de pœna tranſeuntis: & Iudex teneatur vinculo iuramenti, & ad pœnam uigintiquinque librarum, dictam uiam facere reaptari, ita quod tranſitus poſsit haberi.

Quod quis poſsit ædificare in muro Communi.
Rub. XXV.

QVicumque habet murum Communem cum aliquo ſuo Conſorte, & voluerit in dicto muro ædificare, liceat ei dictum murum ædificare capiendo dictum murum: & ſi Conſors voluerit poſtmodum in dicto muro ędificare, aut appodiare, aut aliam vtilitatē ex ipſo muro percipere, teneatur primo refundere medietatem omnium expenſarum factarum à ſuo Conſorte in dicto muro, & in ædificatione ipſius, videlicet pro ea parte teneatur talis Conſors reficere dictas expenſas, pro qua parte vtilitatem percepit.

De pœna ementis bladum in Platea cauſa reuendendi.
Rub. XXVI.

NVllus Treccholus, uel Reuenditor bladi audeat, uel præſumat in Platea Communis emere aliquod bladum cauſa reuendendi in dicto loco, ad pœnam uigintiquinque librarum, quam ei qui contrafecerit teneatur Poteſtas auferre uinculo iuramenti.

De Auibus, caſeo, & ouis non emendis cauſa reuendendi.
Rub. XXVII.

NVlla Perſona emat, uel emi faciat aues, oues, caſeum, caprettos, cæpas, nec aliqua poma, graſciam extra Portam Ciuitatis, ſcilicet à Platea intus, nec à Ripis Alpinæ intus, à Ripaſceno intus, à Riuo turbido intus, nec etiam in Ciuitate cauſa reuendendi, nec aliquod prædictorum in Ciuitate, & ſub Burgis retineat ad uendendum: ſed ille ſit venditor tantum qui ea detulerit ad uendendum & non alius, & contrafaciens in quadraginta ſolidos uice qualibet puniatur, niſi prędicta quis emerit, uel emi fecerit pro ſuo cōmedere, exceptis carnaiolis, tarbernarijs, & albergatoribus, qui eorum

artem exercent ſecundũ formam præſentium ſtatutorum, & nullus qui poma vendit teneat vinum aliquod ad vendendum, cuius appellatione non intelligatur caſeus ad dictam pœnam: & de prædictis ſtetur iuramento cuiuslibet denunciantis, qui habeat medietatem pœnæ, & Poteſtas ponat ſuper his, quibuslibet duobus menſibus, duos Cuſtodes quorum denunciationi credatur, & habeat tertiam partem pœnæ: & Poteſtas poſsit & debeat prædicta ex ſuo officio inquirere & punire, & eius Officiales qui fuerint negligentes, in vigintiquinque libris puniantur.

De carnibus diebus Feſtiuis non vendendis. *Rub. XXVIII.*

DIebus Dominicis, & primis & ſecundis diebus Paſcatis, carnes Macellarij, uel qui vis alius vendere non poſsint, & contrafaciens in viginti ſolidos puniatur, & ſtetur iuramento denunciatoris, qui habeat medietatem pœnæ.

De ornatu, & pompa Mulierum. *Rub. XXIX.*

CVm in Regimine Reipublicæ non minus conueniat occaſiones peccatorum tollere, & conſuetudines contra Diuinam Legem prohibere, quam temporalibus negocijs vacare, Domini ſtatuendo decreuerũt (ut promiſsio in Baptiſmatis Sacramento facta ſeruetur, in qua renunciamus Diabolo & pompis eius) quod nulla Mulier cuiuſcumque gradus, uel conditionis exiſtat, audeat de cætero uel pręſumat vllo unquam tempore ferre aliquod genus coronæ alicuius metalli: item ferre aliquod genus monilium ſiue uezzorum in collo, exceptis & reſeruatis ad hoc Puellis quæ nondum decimum ætatis annum attigerint: item quod nulla Mulier ſimiliter audeat portare in capite, ſiue in ueſtibus aliquod genus perlarum, gemmarum auri, ſiue argenti maioris valoris, & pręcij, niſi & dumtaxat trium Florenorum pro centenario ſuæ dotis & non ultra, ad æſtimationem Peritorum, nõ cõputandis in hac ſumma magliettis, zonis, uel anulis: item quod nulla Mulier (ut honor Dei præcipue ſeruetur) cuiuſcumque gradus uel conditionis exiſtat audeat, uel præſumat introire aliquam Eccleſiam, niſi tecto capite & ſpatulis, exceptis & dumtaxat reſeruatis Puellis quæ nõ dum duodecimum annum attigerint, & Nuptis dum ad domũ Viri primitus transducuntur, & per totam octauã à dicta transductione ſequẽtem, & excepta prima uice qua exirent domum cum primum fuerint de

ſpon-

ſpõſatæ, ita quod de cætero nulla Mulier poſsit ueſtiméta deferre aper tiora in collo & ſpatulis, niſi accollata ſecundum morẽ Florentinũ,uel duobus digitis inferius à fontanella gutturis ad plus, & poſterior pars ueſtis correſpõdeat honeſtati: & ſimiliter nulla Mulier poſsit aliquod genus ueſtiũ ferre cũ caudis, ſed rotundas, uel cum dimidio palmi ad plus,& nullus Sutor de cętero, Aurifex, uel alius Artifex cuius uis ſexus audeat uel præſumat laborare, ſuere, incidere, uel alio quouis modo conficere in totum uel in partem, pręter & contra formam dictorũ ordinamentorum, ad pœnã uigintiquinque librarũ denariorum pro quo libet contrafaciente,& qualibet uice, de facto auferendorum & applicandorũ prout infra, & contrafacientes Mulieres in prędictis, uel aliquo prædictorum in totum uel in partem, incidant in pœnam uigintiquinque librarum denariorum ipſo facto applicandorum pro quarta parte Accuſatori cui credatur cum uno teſte bonæ famæ & habeatur ſecretus, pro alia quarta Officiali exequenti, & pro duabus alijs quartis Monti Chriſti dictę Ciuitatis: & Poteſtas, uel eius Officiales teneãtur facere expeditam executionẽ, ad pœnam dupli retinendi de ſuo ſalario, ad requiſitionem Depoſitarij dicti Mõtis Chriſti, & cuiuscumque alterius petentis: quam pœnam niſi contrafaciens ad notificationem dicti Depoſitarij ſoluat infra decem dies incohandos à die notificationis, uel ſe defendat per ſententiam, per ipſum Depoſitarium deſcribi debeat in libro ſpeculi, ad pœnam dupli ſi ipſe Depoſitarius fuerit negligens: & Procurator in huiusmodi cauſis nõ admittatur ad pœnam prędictam, ipſo Procuratore procurare in huiusmodi uolente: & prędicta locum habeant tam in Ciuitate, quam in eius Comitatu & Diſtrictu, reſeruatis tantum à prędictis capitulis Mulieribus forenſibus quæ accederent ad hanc Ciuitatem, quæ terminum habeant unius menſis ad obſeruandum prædicta, & habitantes ſub eodem tecto & domo unà cum delinquẽte in prædictis, teneantur omnes ad pœnã ſupraſcriptam, ad electionem Officialium.

De Feſtiuitatibus cuſtodiendis. Rub. XXX.

NVllus audeat, uel præſumat laborare, uel aliquod exercitiũ facere in diebus Dominicis, in Paſcate Natiuitatis Domini noſtri, Epiphania, & in Paſcate Reſurrectionis cũ duobus diebus ſequentibus, in feſto Aſſuntionis, in Paſcate Pentecoſtis cum duobus diebus ſequentibus.

Finis Libri Quinti.

STATVTORVM VRBIS VETERIS.

LIBER SEXTVS GABELLARVM.

De ordine tenendo in venditione Gabellarum. Rub. prima.

GAbellæ dictæ Ciuitatis uendantur annuatim modo infraſcripto,& cum infraſcriptis pactis, & capitulis uidelicet: Magnifici Domini Cõſeruatores per quindecim dies ante finem dictarum Gabellarum, quolibet anno debeant banniri & ſubhaſtari facere in capite Plateæ maioris dictæ Ciuitatis, quod quicumque uult emere dictas Gabellas pro uno anno proxime futuro,incipiẽdo tali die, compareat coram ipſis Dominis Conſeruatoribus in Palatio Domini Poteſtatis, & ponat ſuam ſcriptam in baccile, & plus offerẽti ſeruatis infraſcriptis deliberabitur: & facta dicta ſubhaſtatione dicti Domini Conſeruatores accedant ad dictum Palatium, & pulſata campana Populi tribus diuerſis vicibus ſedeant ad ſolitum bancum, ſeu Tribunal ſalæ magnæ Palatij prædicti, & nouiter apud dictum Tribunal banniri, & ſubhaſtari faciant dictas Gabellas pro uno anno tunc proxime futuro, incipiendo ut ſupra, cum infraſcriptis pactis, & capitulis: & ipſi Domini Cõſeruatores ponãt ipſas Gabellas pro Communi ad unum certum & determinatum numerum, prout eis placebit, & inſpecta temporis qualitate vt melius dicto Communi uidebitur expedire, & plus offerens, abinde ſupra lucretur unum Anconitanum, uidelicet ſolidos quinque pro quolibet Floreno, cum retentione quinque ſolidorum pro quolibet Floreno lucrato, expendendorũ ut infra: & miſsis ſcriptis & oblationibus per quoſcũque uolentes offere, Cãcellarius Communis dictas omnes oblationes legat palam & alta ac intelligibili uoce, & illam oblationẽ, quæ alias ſuperaret in quantitate oblata, ponat & regiſtret in eius libro, alias autẽ laceret & proijciat: & ſi contigerit quod duo, uel plures oblationes cõcurrerent in pari quantitate & numero, ita quod inter eos non daretur exceſſus paruus uel minimus, tunc & eo caſu ſi dicti con-

ti concurrentes eſſent concordes contrahere ſocietatem in dictis Gabellis ſtatim, & antequam diſcedant de dicto loco, uel tranſeāt ad extraneos actus, eorū uoluntate declarata lucrētur dictas uices pro ęquali portione, uidelicet quod dictum lucrum dicti Anconitani diuidatur inter eos pro æquali portione: ſi autem non eſſent in concordia, tunc dicti plus offerentes, & concurrentes in pari numero & quantitate iterum, & antequam diſcedant dicti Domini Conſeruatores de dicto loco faciant eorum ſcriptas, & oblationes in bacile iterum ponere, & ille qui ex ipſis inuentus fuerit plus obtuliſſe, habeat dictum lucrum & regiſtretur in libro, & alij lacerentur: Debeant tamen omnes & ſinguli qui plus obtulerint in dictis Gabellis, uidelicet ille cui remanſerint pro tunc, & dicta uice, & cuius oblatio regiſtratur in libro, immediate dare effectualiter bonos & idoneos ac ſufficiētes fideiuſſores, qui ſint Artifices & ſoluendo, & habeant in bonis ſtabilibus ualorē in duplo, qui fideiuſſores obligent ſe pro dicto offerente in plena forma, & renuncient omnibus beneficijs, & exceptionibus, excuſsionibus diuiſionis, & moratorijs, ſaluis conductis, ceſsioni bonorum, priuilegijs, & ſint obligati, & obligati teneantur in ſolidum, & quod contra eos & quēlibet ipſorum de facto poſsit fieri executio realis & perſonalis, quod poſsit capi & arreſtari, ita & taliter quod Cōmuni ſit plenarie ſatisfactum tam pro ſorte principali, quam omni pœna quam incurrerēt principales dicti pro ſolutione non facta debitis temporibus. Et quod nullus Nobilis, nullus Miles, Comes, Doctor, uel non habitans, Principalis in Ciuitate, uel aliquis qui habet aliquod priuilegium, uel aliquam immunitatem, propter quod uel quam minus exigi poſsit, ſit idoneus fideiuſſor, uel acceptari poſsit: & quod contractus dictæ oblationis & fideiuſsionis ſit corroboratus, munitus, & celebratus cunctis & ſingulis clauſulis, iuramentis, pœnarum appoſitionibus, obligationibus, renuncijs, & alijs neceſſarijs & conſuetis, quę poſsint apponi ad ſenſum Communis: & ſi prędicta non eſſent expreſſa per Cancellarium, omnino omnia & ſingula ſupradicta intelligantur appoſita, & habeantur pro expreſsis in dicto inſtrumento oblationis, & fideiuſsionis: & quod tam in dicta oblatione prima, quam in deliberatione dictarum Gabellarum debeat interuenire Camerarius Sanctiſsimi Domini Noſtri, & tempore durante quo Sanctiſsimus Dominus Noſter contentaretur ad eius manus peruenire introitus dicti Communis: alijs uero tēporibus debeat interuenire præſentia Depoſitarij Cōmunis: quæ Gabellæ debeant ſubhaſtari & uendi cum infraſcriptis pactis. In primis.

QVod Emptores ipſarum Gabellarum teneantur & debeant ſuo reſico, periculo, & fortuna emere, & in ſe ſuſcipere, & ſuſcipiant omne reſicum, periculum, & fortunam, & omnem caſum fortuitum videlicet hoſtilitatis, guerræ, peſtis, caualcatæ, grandinis, zelatæ, diluuij, ſterilitatis, rotturæ Pontium, & ſtratarũ deſtructionum, inundationum Aquarum, mandatorum Papæ, & aliorum Superiorum, repræſaliarum ſuſpicionum ipſarum, & omnem alium caſũ fortuitum tam diuinum, quam humanum, & quod prætextu & occaſione dictorum caſuum, reſichi, periculi, & fortunæ, & caſuum fortuitorũ, ut ſupra ſpecificatorum & non ſpecificatorum, non poſsit nec debeat Emptor dictarum Gabellarum petere, nec peti facere à Communi Vrbeuetano per ſe, ſeu alium ſeu alios, aliquam remiſsionem, defalcationem præcij, ſeu mercedis dictarum Gabellarum, & damni, uel intereſſe in totum, uel in partem quæ ſubſtinuiſſet, ſeu paſſus fuiſſet occaſione ſupradictorum caſuum cõtingentium, ad pœnam & ſub pœna mille ducatorum auri de facto applicãdorum pro medietate Camerę Apoſtolicæ, & alia medietate Cameræ Communis Vrbiſueteris: & ſuſcipiat in ſe & teneatur ſuſcipere omne damnum, & intereſſe quod eueniret, vel emergeret ex caſu fortuito, & non conſueto alias eueniſſe, quomodocumque, & qualitercumque peruenerit, ſeu euenire contigerit: & in ſe ſuſcipiat omnem culpam, omnem negligentiam, & omne damnum ſiue defectum, quod eueniret ex culpa, & defectu Communitatis quomodocumque, & qualitercumque: & non poſsit dictus Emptor Communitatẽ modo aliquo moleſtare, inquietare, ſeu de euictione agere, nec in aliqua mora, culpa, ſeu negligentia accuſare, ſub dicta pœna applicanda ut ſupra: & teneatur ipſe Emptor facere pagã de menſe in mẽſẽ in pecunia numerata ſub dicta pœna: & ſi contingeret ex aliqua cauſa dictam Ciuitatem, uel Conſilium aliquid de nouo ſtatuere, ordinare uel reformare, quod incidenter, uel in conſequentiam eſſet in detrimẽtum dictarum Gabellarum, uel Emptoris ipſarum, ipſe Gabellarius uel Emptor nullam ex hoc petere poſsit remiſsionem, uel reſtaurationem præcij, uel mercedis damnum paſsi, uel lucri amiſsi: & quod teneatur ſeruare exemptiones factas, & fiendas per dictam Communitatem, & prætextu dictarum exemptionum factarum, uel fiendarum nullã poſsint petere remiſsionẽ, uel reſtaurationem, quas exemptiones dicta Communitas facere poſsit non obſtantibus uẽditionibus dictarum Gabellarum: Et ſi contigerit aliquem Præsbyterũ, Religioſum, uel Eccleſiaſticã perſonam, uel Fratres tertij ordinis, uel quemcumque aliũ, qui prætenderet habere aliquod priuilegium non ſoluendi, & qui recuſaret ſoluere dictas Gabellas, & ipſe exigere non poſſet, ſi uero nõ exigeret,

geret, uel qualitercũque ex dicta cauſa dãnum ſentiret, nõ poſsit petere à dicta Cõmunitate quod ipsũ defendat, nec quod ſibi aliquid remittat, uel reſtauret, nec prætextu alicuius ex dictis caſibus ſupra ſpecificatis, uel cuiuſcumque alterius caſus poſsit per uiã retẽtionis, reſtauratio nis, uel remiſsionis aliquid attentare cõtra dictã Communitatẽ uel ipsã moleſtare, ſed ipſis & quolibet ipſorũ nõ obſtãtibus, teneatur ad integrã ſolutionẽ præcij dictarũ Gabellarũ: & prædicta omnia capitula alta uoce declarẽtur per Prçconẽ ante quã dictç ſcripturç ponãtur in dicto bacile, & deinde fiat inſtrumentũ in forma per Cãcellarium Cõmunis, & accipiãtur fideiuſſores ſupraſcripti idonei, quod in caſu quo alter, uel alij nõ offerrẽt ultra dictũ prçciũ oblatũ, dictus Emptor obſeruabit dicta omnia ſupraſcripta capitula, & ſoluet prçciũ dictarũ Gabellarũ per ipſum oblatũ in ſupraſcriptis terminis: Deinde celebrato dicto inſtrumẽto, antequã diſcedãt à dicto Tribunali, poſsint bãnire dictas Gabellas, & ponere prædicta die, & augere uices uſque ad quatuor Anconitanos pro quolibet Floreno quod offerretur ultra ſupraſcriptum præcium oblatum, cum retentione uicium ut ſupra, & ipſum bannimentum faciat poſtmodũ pluries reiterari tam in capite plateç dictæ Ciuitatis, quam in alijs locis conſuetis, & ſecundum quod uiderint oblationes fieri in Gabellis, poſsint augere numerum Anconitanorũ, prout melius eis visũ fuerit pro utilitate dicti Cõmunis, & ſemper quãdo dicti Cõſeruatores uellẽt immittere maiorẽ numerũ Anconitanorũ, teneãtur prima uice augere in Palatio dicti D. Poteſtatis pulſata cãpana dicti Palatij tribus uicibus, ut moris eſt, & ſic gradatim banniendo, & augẽdo Anconitanos uſq; ad Anconitanos decẽ & nouẽ cum dimidio, ſemper cum retẽtione uiciũ in qualibet oblatione, fiet inſtrumẽtũ in forma, ut in prima oblatione cõtinetur, & dẽtur fideiuſſores idonei ut ſupra, alias dicta oblatio modo aliquo non acceptetur, & ille qui obtulerit, nõ datis fideiuſſoribus idoneis, nihil lucretur: & ſeruatis omnibus ſupraſcriptis in dicto Palatio Poteſtatis fiat deliberatio dicto qui plus in dictis gabellis obtulit, per diem ante principium ipſarũ gabellarũ, prçmiſſa dicta pulſatione cãpanç, & prçmiſsis ibidẽ ultimis ſubhaſtationibus, & perẽptorijs, ſaltim prima, ſecũda, tertia, & fiat inſtrumentũ in forma cũ dictis fideiuſſorib⁹, & alijs ſolẽnitatibus, & cũ deſcriptione omniũ ſupraſcriptorũ capitulorũ de uerbo ad uerbũ: Et ſi negligentia ipſorũ DD. Conſeruatorũ, uel aliqua malitia, dictç gabellç dicto die nõ deliberarẽtur plus offerẽti, habeãtur pro deliberatis dicto plus offerẽti, & poſsit ipſas gabellas exercere, & teneatur, & obligatus ſit ad omnia ſupraſcripta, ac ſi omnia ſupraſcripta fuiſſent rite obſeruata, ne dictum Commune aliquod dãnũ patiatur ex dicta deliberatione nõ facta.

LL De re-

De rebus pertinentibus ad Artem Mercatorum ſoluere debentium Gabellario Gabellæ Pedagij. Rub. 11.

DE pãnis ultramõtanis, ſiue franciſchis & ſimilibus, pro qualibet ſalma, quę intelligatur decẽ pannorũ, & ab inde ſupra, uel infra pro rata ſoluatur, & ſolui debeat. flo. 4.

De pannis Florentinis pro qualibet ſalma, quę ſalma intelligatur decem pannorum, ſoluatur & ſolui debeat, & ab inde ſupra, & infra pro rata. lib. 9.

De pannis Senẽſibus pro qualibet ſalma quę intelligatur decẽ pãnorũ ſoluatur, & ſolui debeat, vel ab inde ſupra, & infra pro rata. flo. lib. 8.

De pãnis Mediolanẽſibus, & Lõbardis pro qualibet ſalma, quę intelligatur decem pannorum, ſoluatur & ſolui debeat, & ab inde ſupra, uel infra pro rata. lib. 9.

De pãnis Peruſinis, & ſimilibus pro ſalma, quę ſalma intelligatur octo pannorum, & ab inde ſupra, & infra pro rata ſoluatur. lib. 6.

De pannis Agnelinis, Romandiolis, & ſimilibus pro qualibet ſalma, quæ ſalma intelligatur decem pannorum, & ab inde ſupra, uel infra ſoluatur pro rata. lib. 3.

De pãnis Carfagninis pro qualibet ſalma, quę ſalma intelligatur triũ pannorũ, & ab inde ſupra, & infra pro rata ſoluatur. lib. 3.

Mercatores autem Florentini, ſiue Senenſes, & omnes alij ſtantes, & morantes in Vrbeueteri, & morantes ad uendendum ad retaglium, ſoluant, & contribuant in prædictis collectis eo modo, & forma, ſicut ſoluunt, & contribuunt alij Mercatores Ciues Vrbeuetani.

Mercatores uero qui emerent in groſſum ad profictum à medio panno ſupra, licet ſint plures taglioni, & diuerſorum colorum, uel unius, ſoluant pro rata, ſicut ſupra dictum eſt ad miſſam.

Alij uero qui emerent ad retaglium, ſoluant pro rata pro qualibet libra præcij, & ualoris panni, denarios duos. den. 2.

De quolibet panno Albaſio ſaluatico, uel capezzo ſoluatur, & ſolui debeat. ſol. 5.

De centenario pennæ nouæ ad pondus. ſol. 15.

De qualibet ſalma pannorum Vrbeuetanorum ad tractam, quę ſalma intelligatur octo pãnorũ, & ab inde ſupra, & infra pro rata. lib. 3.

De ſalma acciarum filati. lib. 2.

De qualibet decina acciarum filati de lino. ſol. 1.

Et hoc non intelligatur de filato Ciuium Vrbeuetanorũ, qui miſiſſẽt linum extra ad filandum, de quo filato nihil ſoluatur.

De qualibet decina repis ad pondus librarum. ſol. 2.

De qualibet petia panni lini, quæ intelligatur uiginti quatuor brachiorum.

chiorum. ſol. 2.

Et hoc non intelligatur de huiuſmodi panno miſſo ad curam per Ciues Vrbeuetanos, uel ad faciendum texi ab extra, quo caſu nihil ſoluatur in introitu, vel exitu.

De qualibet ſalma panni lini libras tres. lib. 3.

De qualibet ſalma panni canapis libras duas. lib. 2.

De qualibet ſalma canapacci, uel ſtoppæ libram unam. lib. 1.

De qualibet petia dicti canapacci, quæ ſit 24. brachiorũ, & ab inde ſupra, & infra pro rata, ſolidos unum, & den. ſex. ſol. 1. den. 6.

De qualibet petia panni tacchulini, ſiue lazzi, quæ petia intelligatur de quinquaginta bracchijs, ſolidos quatuor, & den. ſex. ſol. 4. den. 6.

De qualibet ſalma Palliorũ, & bordium, quæ ſalma intelligatur duodecim petiarum, & ab inde ſupra, & infra pro rata, ſolidos quinquaginta duos. lib. 2. ſol. 12.

De quolibet centenario pannorum ueterorum, & uenalium ad pondus. lib. 1. ſol. 10.

De qualibet ſalma cultrarum, ſiue copertorium, mantorum cum ſtuppa. lib. 1. ſol. 10.

De illis uero extra ſalmã pro qualibet cultre dictarũ cultrarũ. ſol. 2.

De qualibet carpita ſolidos tres. ſol. 3.

De quolibet celone ſolidos duos. ſol. 2.

De qualibet cultra ſindonis panni lini, & Bucaraminis, & huiusmodi quæ laborata eſſet, ſolidos decem. ſol. 10.

De qualibet ſalma bambasinæ nouæ ſolidos triginta. lib. 1. ſol. 10.

De qualibet ſalma bambasinæ ueteris ſolidos octo. ſol. 8.

De qualibet ſalma bambaſiæ filatæ albæ, libras tres. lib. 3.

De qualibet ſalma bambaſiæ tinctæ filatæ, à libris tricentis ſupra, & infra pro rata, libras ſex. lib. 6.

De qualibet petia guarnelli albi pro fodra, ſolidos tres. ſol. 3.

De qualibet ſalma fœderæ coloratæ, quæ ſalma intelligatur ſexdecim petiarum, & ab inde ſupra, & infra pro rata, libras tres. lib. 3.

De qualiber ſalma guarnellorum gregiorum, ſiue alborum raſorum, uel accordellatorum, & ſalma intelligatur uiginti petiarum duplæ, & ab inde ſupra, & infra pro rata, librã unam, & ſolidos decẽ. lib. 1. ſol. 10.

De petia guarnelli dupli ſolidos duos. ſol. 2.

De petia guarnellorum piloſorum doppiorum, ſolidos unum. ſol. 1.

De quolibet farſetto, ſiue giubetto. ſol. 1.

Ad tractam uero de omnibus ſupradictis, & alijs quibuſcumque, de quibus non fit ſupra mentio, ad dictam artem pertinentibus, ſoluatur & ſolui debeat & pro ipſa tracta, ſicut ad miſſam.

De illis uero Mercãtijs & rebus, de quibus in præſenti uolumine nõ eſſet facta mentio ſpecialis, ſoluatur & ſolui debeat ad miſſam, & pro rata ad rationem duorum denariorum pro libra totius ualoris ipſarũ.

Ad Pedagium uero de prædictis omnibus, & eorum quolibet ſoluatur & ſolui debeat quartum minus totius eius quod ſoluitur pro tracta, & miſſa.

De cunctis Mercantijs, uel rebus mobilibus quibuſcũque, exceptis dumtaxat uino quod uenditur ad minutum, beſtijs, & carnibus quæ macellarentur, & uenderentur, de quibus ad introitum fuiſſet ſoluta gabella, poſtea de uenditione ipſarum rerum, & mercantiarum vcellariorum, cacciaſcionum nihil ſoluatur, ſaluo & reſeruato quod ſi in præſenti uolumine ſtatutorum diſponeretur ſeu reperiretur aliquod capitulum ſpeciale ſuper quacumque re, illud tale ſpeciale capitulum ſit ratum & firmum, & per hanc clauſulam generalem non derogetur.

De rebus pertinentibus ad Artem lanæ. Rub. III.

DE ſalma lanæ noſtratæ matricinæ, maconæ, & mageſis ſoluãt ſolidos ſexdecim.	ſol. 16.
De ſalma lanæ uiſtuſciæ ſol. duodecim	ſol. 12.
De ſalma lanæ gentilis libram unam.	lib. 1.
De ſalma ſtaminis filati lanæ, pro miſſa & futura uenditione Florenum unum.	flo. 1.
Et hoc non intelligatur de Lanaiolis habitantibus & morantibus in Ciuitate Vrbeuetana, mittẽtibus lanam ad filandum extra dictam Ciuitatem, quæ lana tunc nihil ſoluere teneatur.	
De qualibet ſalma telarum filati lanæ.	
De qualibet tela filati lanæ ſolidos vndecim.	ſol. 11.
De quolibet panno lanæ qui portatur ad Valcheriam ad ualcandum ſolidos unum.	ſol. 1.
De qualibet ſalma granæ Florenos ſex.	flo. 6.
De qualibet ſalma racinæ, & gommæ ſolidos ſexdecim.	ſol. 16.
De ſalma robbiæ groſſæ ſolidos octo.	ſol. 8.
De qualibet ſalma robbiæ tritę ſolidos ſexdecim.	ſol. 16.
De centenario ad numerum panis guati.	ſol. 1. den. 6.
De qualibet ſalma guati macerati.	ſol. 12.
De qualibet ſalma cardorum.	ſol. 3.
De ſalma pulueris uriſcelli.	lib. 2.
De ſalma cineris.	ſol. 11.

De ſal-

De ſalma vriſcelli lib. 1. ſol. 10.
De ſalma herbæ rozzæ, ſiue giniſtrelli. ſol. 3.
De centenario ſaponis ſodi ad pondus. ſol. 11.
Ciues uero Vrbeuetani qui facerent ſaponem in Ciuitate cauſa uendendi, teneantur ſoluere pro centenario ad pondus dicti ſaponis. ſol. i.
De ſalma aluminis groſsi. ſol. 12.
De ſalma pulueris aluminis. ſol. 8.
De qualibet libra uerzini ad pondus. den. 6.
De ſalma aluminis fecis. ſol. 3.
De quolibet pari pettinorum nouorum, & magiſtrorum ad artem lanæ. ſol. 1.
De ueteribus pro pari. ſol. 1.
De pari ſcardaſſorum, & pettinorum nouorum, & ueterorũ. den. 3.
Quilibet Conciator pannorum lanæ ſoluat in anno pro quolibet cẽtenario pannorũ quos ipſe conciauerit, & plus & minus pro rata. lib. 1.
De quolibet pari pettinum lini. den. 2.
De ueteribus pro pari. den. 1.
Ad tractam uero de omnibus ſupradictis ſoluatur, & ſolui debeat illud quod ſoluitur pro miſſa.
Ad pedagium uero ſoluatur quartum minus quod ſoluitur pro miſſa.

De rebus pertinentibus ad artem Calzolariorum. Rub. IIII.

DE ſalma coiorum piloſorum ad miſſam. ſol. 16.
De ſalma coiorum conciorum. lib. 1.
De ſalma pellium piloſarum crudarum quę mitteretur, uel extraheretur de, uel in Ciuitate, ſolidos ſex. ſol. 6.
De ſalma ſcotani radicis, & ſimilium. ſol. 6.
De ſalma pellium piloſarum, & crudarum pertinentium ad dictam artem, quæ mitteretur ad mollandum. ſol. 2.
In reditu uero, uel in mittendo ad calcinaccium de dictis pellis nihil ſoluatur.
De ſalma quirici. ſol. 14.
De ſalma uirguli. ſol. 4.
De ſalma gallæ, pigliæ, & ſimilium. ſol. 8.
De ſalma ſuuarorum, ſiue lecciarorum. ſol. 4.

De ſal-

De ſalma pili caprioli, aſinini, & huiuſmodi. ſol. 2.
De quolibet pari ſtiualium uenalium. den. 6.
De quolibet pari ſcarpettarum, & planellarum, uſque ad numerum duodecim pro quolibet pari. den. 4.
De paruis uero pro pari. den. 2.
De pari calzarettorum uenalium: den. 6.
De ſalma coiaminis laborati, & facti, & ab inde ſupra & infra, ut ſupra proxime eſt expreſſum. lib. 2
De qualibet pelle bufalina non concia. ſol. 3.
De pelle bouina non concia. ſol. 1.
Itē de quolibet calcinario, ſiue malticcio ſaluat in anno libras duas ſi operaretur, ſi autem non operaretur nihil ſoluatur.
Ad tractam uero dictarum rerum ſoluatur ſicut in miſſa.
Ad pedagium uero de omnibus ſupradictis, ſoluatur quartum minus, totius eius, quod ſoluitur pro miſſa, & tracta.

De rebus pertinentibus ad Artem Merciariorum. *Rub. V.*

De qualibet libra ſirici, ſeu ſitæ filatæ in cordonibus, fittis, grillandis, burſcis, & ſimilibus. ſol. 6.
De qualibet libra finoſtelli, ſiue ſitæ tractæ. ſol. 3.
De qualibet libra auri Venetiani filati friſicorum, & ſimilium. ſol. 9.
De libra auri, & argēti lachenſis filati, & friſicorum, & ſimiliū. ſol. 4.
De libra argenti laborati in ſcaialibus, ſmaltis, & bottonibus. ſol. 12.
De qualibet uncia perlarum. ſol. 6.
De centenario ad numerum foliorum auri. ſol. 1.
De folijs autem de argento pro centenario ut ſupra. den. 6.
De qualibet donzina bendarum, uelettorum de ſeta, ſiue de bambaſio. ſol. 2.
De donzina infularum, ſeu cappeliorum de ſirico, uel bābaſio. ſol. 1.
De qualibet libra ad pondus drappi laborati, ſiue non uelluti, taffattæ, aut ſimilium de ſeta. ſol. 5.
De petia ſindonis integra, & ab inde infra pro rata. ſol. 8.
De petia ſaiæ odande integra, & ab inde infra pro rata. ſol. 6.
De petia bucaraminis, ſeu billexi. ſol. 1. den. 6.
De qualibet toualia venali magna. ſol. 1. den. 6.
De mediocre. ſol. 1.
De quolibet ſciucatorio venali. ſol. 1.
De quolibet tobaglieto venali. den. 6.

De

De quolibet centenario ad pondus bronzi, uel metalli fracti, uel nõ laborati. ſol. 4.

De metallo laborato pro centenario ad pondus. ſol. 6.

De centenario ad pondus argenti uiui. ſol. 12.

De qualibet ſalma ceroſſæ, ſeu biacchæ. ſol. 14.

De centenario ceroſſæ, ſeu biacchæ ad pondus. ſol. 3. den. 6.

De ſalma ſogatti. lib. 1.

De ſalma carmoſſij. lib. 2. ſol. 4.

De qualibet donzina guantorum de carmoſcio Vinetarum, calcetta rum, & ſimilium. ſol. 6.

De ſalma coriggiarum, tappetorum de lecto, flaſcorum de ſtagno, flaſcorum de corio, coltellinorum, cappellorum gentilium, filorum de ferro, acuum, detaliũ, ſperonorum, ſpatarum, manaiarum, falcionum, & ſimilium ſpatarum, mannaiarum, falcinorum, & ſimilium. lib. 4.

De ſalma tabulacciarum, paueſorum, cappellorum non gentilium, biſacciarum, & ſimilium, & armorum de corio. lib. 2. ſol. 10.

De ſalma lignaminis laborati pertinẽtis ad artem mercantiũ. ſol. 6.

De ſalma lanciorum, bordonorum, & ſimilium ſine ferro. ſol. 6.

De ſalma uitri laborati. ſol. 12.

De ſalma mazzatotti. ſol. 6.

De ſalma ſaponis tabulati, picis, & ſulfuris. ſol. 10.

De ſalma ſtamegnæ, quæ intelligatur ſexdecim petiarum, & petia cẽ tum brachiorum, & ab inde ſupra, & infra pro rata. lib. 5.

De quolibet centenario plumbi laborati, ſiue ſtagni ad pondus, & rerum huiuſmodi. ſol. 10.

De ſalma armorum nouorum cuiuslibet generis piaſtrarum, & magliarum. lib. 3.

De ſalma fuſtorum ſellarum Equorum. lib. 1.

De ſalma armorum veterum. lib. 1.

De ſalma cegnarum, & ſimilium. lib. 1. ſol. 4.

De qualibet ſella Equorum fornita lib. 1.

De quolibet pari cophanorum, & forzeriorum nouorum magnorum. ſol. 6.

D quolibet cofanetto paruo uenali. den. 6.

De ſalma cornium Animalium. ſol. 8.

De matto palmæ qui ſit quingentum ſpicarum, & ab inde ſupra, & in fra pro rata. ſol. 10.

De qualibet ſalma cartarum bambaginarum. lib. 1. ſol. 4.

De ſalma cartarum pecudinarum nouarum. lib. 2.

De ſalma mozzaturæ cartarum pecudinarum. ſol. 4.

De ſal-

De centenario collæ ad pondus. ſol. 3.

De centenario ad pondus buccinarum,& cordarum, ſurarum ad battendum. lib. 1.

De centenario ad numerum arcorum, & lignorum taxi pro baliſtis non laboratorum, & de centenario ut ſupra tenentium arcones prædictos. ſol. 7.

De donzina ſcarſellarum maioris fogiæ, ſol. 6.

De mediocribus pro donzina. ſol. 4.

De centenario ad pondus flaſcorum,& cuiuslibet generis uaſorum ſtagni laborati. ſol. 8.

De centenario ad pondus baccinorum, uaſcellorum bronzorum, miſceroborum, filioctonis, raminis,& ſimilium. ſol. 12. den. 6.

De ſalma bolonorum, bolettarum, clauarum, mogliarum, ferrorum Equorum, & Aſinorum, ſerraturarum, fibbiarum, quatrellorum, ferrorum lanciarum, & ſimilium. lib. 1.

De ſalma lanciarum cum ferro. ſol. 12.

De qualibet ceruelleria uenali noua. ſol. 2.

De ſalma ferri in uergonibus non laborati. ſol. 9.

De ſalma plumbi non laborati. ſol. 5.

De ſalma ſtagni noui non laborati. lib. 1.

De ſalma acciari. ſol. 15.

De centenario ad pondus ferri ſtagnati, uel laborandi. ſol. 8.

De centenario ad pōdus lanternarum de oſſo,& ferro, pettinorum de oſſo, colomaiorum, & ſtricatoiorum. ſol. 10.

De centenario ad pondus coſpellorum, elzarum, pomorum, ſtaffarum, frenorum, pellarum teſtenarum. ſol. 8.

De centenario piperis ad pondus, cinamomi,& zinziberis. ſol. 15.

De libra garoſanorum ad pondus. ſol. 1.

De ſalma cenciorum. ſol. 4.

De ſcarſellis minoribus pro donzina. ſol. 2.

De libra nucium muſcatarum ad pondus. ſol. 1.

De libra zaffarani ad pondus. ſol. 2.

De rebarbari ad pondus. ſol. 4.

De centenario zuccari ſodi ad pondus. lib. 1.

De centenario pulueris zucchari ad pondus. ſol. 10.

De libra indici cenabrij, & azurri ad pondus. den. 6.

De ſalma cimini. ſol. 8.

De centenario riſi ad pondus. ſol. 3.

De ſalma mellis. ſol. 7.

De urcio mellis. ſol. 1. den. 6.

De ſal-

De ſalma ceræ. lib. 2.
De centenario dragantorum, maſticis, incenſi, & ſimiliũ. ſol. 15.
De centenario uiſchi ad pondus. ſol. 2.
De ſalma uuarum paſſarum. ſol. 12.
De ſalma amigdolarum ſiccarum ſine cocculis. ſol. 10.
De caſsia, & alijs ſpetiebus ad ipſam Artem pertinentibus hic non ſpecificatis, ſoluatur ad præcium, & ualorem pro libra. den. 2.
De libra ripis albi & tinti, ad præcium & ualorem. den. 4.
Ad tractã uero de omnibus ſupradictis ſoluatur, & ſolui debeat quẽ admodum & ad miſſam.
Ad pedagium uero rerum prædictarum ſoluat, & ſolui debeat quartum minus eius quod ſoluitur pro tracta, & miſſa.

De rebus pertinentibus ad Artem Fabrorum. Rub. VI.

DE palis, vanghis, zappis, uomerijs, forconibus, bidentibus, & ſimilibus, ſoluant ad miſſam ad ualorem pro libra. den. 4.
De ſalma raminis laborati. lib. 2.
De ſalma raminis ſodi, ſiue rotti. lib. 1.
Ad tractam uero de dictis, & alijs pertinentibus ad Artem Fabrorũ ſoluatur, & ſolui debeat quemadmodum ad miſſam.
Et liceat Fabris, & Caldararijs Vrbeuetanis Ciuibus, portare ramen & ferramenta laborata ad Nundinas extra Ciuitatem, & ſi non potuerint uendere ipſa in totum, uel in parte, nihil in exitu uel redditu ſoluere teneantur, ita tamen quod dicti Fabri, & Caldararij dictum ramẽ & ferramenta extrahentes, remittere in octo dies teneantur à die exitus computandos, alias elapſis octo diebus pro miſſa dictarum rerum, ut ſupra dictum eſt, ſoluere teneantur.
Ad pedagium uero rerum prędictarum ſoluatur quartum minus eius quod ſoluitur pro tracta, & miſſa.
De ſalma pellium crudarum ad dictam Artem pertinentium. ſol. 6.
De ſalma pellium laboratarum. lib. 11.
De cẽtenario pellium conigliorũ, & ſcoiorũ ad numerũ. ſol. 1. dẽ. 6.
De qualibet fodera noſtrata fornita. den. 5.
De centenario panzarum, & uaiorum ad numerum. ſol. 12.
De fodera Inghilterræ. ſol. 2.
De qualibet pelle uulpis. den. 2.
De centenario pellium leporum ad numerum. ſol. 1. den. 11.
De qualibet pelle lupi. den. 6.

De qualibet pelle gatti ſaluatichi. den. 3.

De centenario pellium caprettorum ad numerum. ſol. 3. den. 4.

Ad tractam uero de rebus prædictis, & alijs pertinentibus ad artem pelipariorum, ſoluatur illud quod ſoluitur in miſſa.

Ad pedagium ſoluatur, & ſolui debeat quartum minus quod ſoluitur pro tracta.

De rebus pertinentibus ad Artem Procacciantium. Rub. VII.

DE ceruo & paro ſilueſtre, ponderis centum librarum, & ab inde ſupra ad miſſam. ſol. 10.

A centum libris infra, ſoluatur pro ipſo ceruo, & porco. ſol. 5.

De quolibet capreolo. ſol. 3.

De qualibet lepore, ſiue uulpe. den. 6.

De taſcione, ſpinoſa, & ſimilibus pro quolibet. den. 6.

De quolibet pari caponum, gallinarum, anatrum, anſerum, germanorum, & grugarum. den. 4.

De quolibet pari facianorum. den. 6.

De quolibet pari perdicum, cotornicum, pollaſtrorum, palomborum & ſimilium. den. 2.

De decina merlorum, & turdorum. den. 2.

Et ab inde infra nihil ſoluatur.

De piſcibus marinis, ſoluatur pro libra ad pondus, pro miſſa & futura uenditione in Platea. den. 1.

De ſalma piſcium Lacus Vulſini, Peruſini, & aliorum Lacorum, recentium & ſalatorum, exceptis anguillis ſalatis quæ remanerent in Ciuitate, ſoluant pro uenditione ipſorum piſcium in Platea pro libra ad põdus ipſorum piſcium. den. 2.

De ſalma dictorum piſcium quæ non remaneret, & ſalma intelligatur quatricentarum librarum ad pondus, ſoluatur pro tracta, ſeu pedagio. lib. 1.

De qualibet ſalma tondinæ, quæ intelligatur trium tinellorum. lib. 1.

De calcinis uero pro quolibet centenario ad pondus. ſol. 8.

De ſalma uuzonaiæ oſſorum tondinæ. ſol. 10.

De gammaris, & ſaltarellis pro centenario ad pondus. ſol. 4.

De re.

De rebus pertinentibus ad Artem Salaiolum. *Rub. VIII.*

DE ſalma caſei. lib. 1.
De pari caſeorum formæ. den. 4.
De caſeis factis ad manum pro pari. den. 1.
De decina caſeorum recentium factorum, & caſicis. den. 2.
De decina ouorum. den. 1.
De ſalma lardi, & carnium ſiccarum. ſol. 16.
De ſalma aſugnæ. ſol. 16.
De ſalma oliuarum. den. 8.
De brocca olei puri. ſol. 4.
De urceo olei mediæ brocchæ. ſol. 2.
De quartengo ſalis pro miſſa. ſol. 1.
Pro tracta. ſol. 5.
De ſalma anguillarum pro qualibet ſalitarum. lib. 1.
Ad tractam uero omnium prædictorum ſoluatur & ſolui debeat duplum, quemadmodum ſoluit pro miſſa. ſol. 8.
De qualibet ſalma olei.
Ad pedagium uero ſoluatur id quod ſoluitur pro miſſa.

De rebus pertinentibus ad Artem Funariorum. *Rub. IX.*

DE ſalma funium, ſiue retium, & canapis conciæ pro tracta ſoluatur, & ſoluere teneatur. ſol. 15.
De quolibet centenario ad pondus lini incigliati. ſol. 2.
De ſalma lini non incigliati ad miſſam. ſol. 1.
De centenario ad pondus lini ſcotulati. ſol. 4.
De ſalma canapis non incigliatæ. ſol. 1.
De qualibet ſalma canapis conciæ allegulatæ. ſol. 12.
De ſalma canapis incigliatæ. ſol. 11.
De ſalma canapis amaccatæ. ſol. 3.
De ſalma ſtoppæ, & burlæ. ſol. 6.
Ciues uero Vrbeuetani qui mitterent canapem, linum, & ſtoppam extra Ciuitatem ad filandum, nihil ſoluere in introitu, uel exitu ipſorũ teneantur.
Ad tractam uero de omnibus prædictis, illam collectam ſoluere teneantur, quemadmodum & in miſſa.
Ad pedagium uero omnium prædictorum ſoluatur, & ſolui debeat quantum minus totius quod ſoluitur pro tracta.

De rebus pertinentibus ad Artem Muratorum. Rub. X.

DE quolibet pari macinarum ad molendum bladum, quę trahinaretur per boues, uel bufalas. ſol. 6.
De qualibet ſalma dictarum macinarum. ſol. 1.
De qualibet ſalma rotarum. ſol. 1.
De ſalma lapidum teuertinorum, & macinellorum. den. 4.
De lapidibus, & rebus quibuſcumque operis. S. Mariæ nihil ſoluere teneatur in introitu, uel in exitu.
De qualibet ſalma lapidum toforum. den. 2.
Ad tractam uero ſoluatur id quod ſoluitur pro miſſa.

De rebus pertinentibus ad Artem Lignaminis. Rub. XI.

DE quolibet ſoſpediano, caſſa magna, archaprędula, uegete, uel tina. ſol. 2.
De paruis uero. ſol. 1.
Exceptis Ciuibus, & Incolis Vrbeuetanis, qui dictas res uel alias, aut maſſaritias, quocumque nomine nuncupatas, reducerent aliquali actu uel caſu, de podere ipſorum ad Ciuitatem, uel mitterent de Ciuitate ad ipſorum poderia, quo caſu prædicti Ciues, & Incolæ de dictis rebus uel aliqua ipſarum, nihil ſoluere teneantur in exitu, uel introitu.
De ſalma dogarum uegetum, ſeu tinarum. den. 6.
De ſalma cerchiorum. den. 8.
De ſalma arcionorum, ſcagliarum de baſtis. ſol. 2.
De pari barilium, & bigonzorum nouorum. den. 6.
De ſalma cullarum, treſpularum, & ſalaiolarum. ſol. 1.
De ſalma dentalium, & templalium. den. 6.
De ſalma tabularum albeti, ſiue nucis. ſol. 1.
De ſalma tabularum oppiorum, caſtanearum, & ſimilium. den. 8.
De quolibet trahino pro uno pari bouorum. ſol. 1.
Ab uno pari bouum ſupra, pro quolibet pari in uno & eodem trahino, ſoluatur occaſione dicti trahini ſupra xij. denariorum. den. 6.
Ad tractam uero de omnibus ſupradictis ſoluatur quemadmodũ & ad miſſam.
Ad pedagium uero de prædictis ſoluat quartũ minus eius quod ſoluitur pro tracta.

De rebus pertinētibus ad Artem Vaſcellariorum, & Tebulariorum. Rub. XII.

DE ſalma raſorum, uaſcellorum, & ſimilium: ſol. 3.
De centenario ad pondus terræ iettæ. ſol. 1. den. 8.
De ſalma tebularum, canalium, pianellarum, mattonorum, & ſimilium. den. 4.
De ſalma tebularum, & canalium ueterum, quę portarentur à Ciuitate uel burgis eius, extra Comitatum Vrbiſueteris. lib. 1.
De illis uero tebulis, & canalibus nouis & ueteribus, qui portarentur extra ad uineas & poderia, ad reficiendum, & reparandum domos & ædificia Ciuium, nihil ſoluatur.
Quilibet autem tebularius teneatur, & debeat facere tebulas, mattones, canales, & pianellas ad menſuram Communis ſolitam, & antiquam, & bene cottos, ad pœnam uigintiquinque librarum denariorū pro qualibet fornaciata, & dare & uendere pro præcio competenti.
De ſalma calcinæ. den. 4.
Ad tractā uero dictę calcinę extra Comitatū de qualibet ſalma. ſol. 1.
Præcium uero calcinæ de tempore in tempus declaretur, & ponatur per Dominos Conſeruatores, & Officialem collectæ Vrbeuetanæ.
Ad tractam uero ipſarum rerum ſoluatur quemadmodū & in miſſa.
Ad pedagium uero ſoluatur medietas eius quod ſoluitur pro tracta.

De vigliarijs, & corbellis. Rub. XIII.

DE ſalma corbellorum, & vigliaiarum, & mapparum. ſol. 6.
De ſalma ſtoiarum ſcarciarum, & bichieriarum. ſol. 2. den. 6.
De ſalma concorum marinorum. ſol. 2.
Ad tractam uero duplum, ad pedagium ſicut ad miſſam de prædictis omnibus perſoluatur: ſi uero Ciues mitterent ad poderia ſua pro ſe & familia ſua uinum, uel acetum, poſsint & eis liceat ipſum mittere ſine aliqua ſolutione collectæ.

De rebus pertinentibus ad Artem Pomaiolum. Rub. XIIII.

DE ſalma fichuum recentium uenalium. ſol. 1.
De caniſtro magno ipſorum fichuum uenalium. den. 4.
De caniſtro paruo ipſorum fichuum uenalium: den. 2.
De ſalma pirorum uiridorum, malarum, ceraſiorum, perſicorum, & hu-

& huiuſmodi: ſol. 1.

De caniſtris magnis, & paruis ipſorum pomorum uenalium ut ſupra, ſoluatur de ſalma.

De ſalma nucum, & amigdolarum uiridarum, ſanarum & integrarum. ſol. 1.

De ſiccis uero ipſorum pomorum, ſoluatur pro ſalma. ſol. 2.

De ſalma caſtanearum. ſol. 2. den. 8.

De ſalma fichuum ſiccarum. ſol. 4.

De ſalma lumonum, citronorum, aranzorum, & ſimilium. ſol. 8.

Ad tractam uero omnium prædictorum ſoluatur duplum, quemadmodum ſoluitur in miſſa.

Ad pedagium uero prædictorum ſoluatur id quod ſoluitur in miſſa.

De ſalma cæparum, ſcalognarum, porrorum, & his ſimilium, & hoc Ciuibus. ſol. 1.

De ſiccis uero ipſorum: ſol. 2.

De tracta ipſarum duplum Forenſes ſoluant pro ſalma ipſarum rerum: ſol. 3.

De ſalma agliorum: ſol. 1.

Ad tractam uero pro ſalma agliorum: ſol. 3.

De ſalma ſpinacis, caulorum, lattucę, & cuiuslibet alterius generis oleris, ſeu fogliæ. den. 6.

Ad tractam uero duplum.

De ſalma poponorum. ſol. 1.

Pro tracta ipſorum. ſol. 5.

De ſalma capitinorum, zuccharum, & citronorum. den. 6.

Ad tractam uero ipſorum pro ſalma. ſol. 3.

De faſcio uero dictæ oleris, & fogliæ. den. 2.

Ad tractam uero duplum, ad pedagium uero omnium prædictorum, ſoluatur medietas eius quod ſoluitur pro tracta.

Pro qualibet ſalma grani, ſecalis, & leguminis. ſol. 1. den. 4.

Pro qualibet ſalma alterius bladi. ſol. 1.

De qualibet ſalma muſti, uel uini cuiuſcũque generis ſit quod fuiſſet recollectum in loco qui nõ ſit quo ad omnia Comitatus, & Diſtrictus Vrbiſueteris, & Communi prædicto ſubiectum quo ad merum, & mixtum Imperium, ſi mitteretur in Ciuitate, uel prope per quinque milliaria. lib. 2.

Et ſi mitteretur in Comitatu longe à Ciuitate per quinque milliaria. ſol. 5.

De uino autẽ uel muſto, ſiue acquato, quod recoligeretur in locis immediate ſubiectis dictę Ciuitati quo ad omnia, pro qualibet ſalma. ſol. 2.

De qua-

De qualibet ſalma uuarum. ſol. 1. den. 6.

De qualibet ſalma aceti. ſol. 3.

De qualibet ſalma grechi de Neapoli, & Marini quod aportaretur. ſol. 10.

De qualibet ſalma pallorum. den. 2.

De qualibet ſalma carbonum. den. 6.

De qualibet ſalma palearum. den. 2.

De qualibet ſalma ferri. den. 4.

De qualibet ſalma ioncorum ad ligandum uites. den. 6.

De qualibet ſalma cannarum. den. 4.

De agnis uero & caprettis, ſi non uenderentur prout ſupra dictum eſt, occaſione pedagij pro quolibet ſoluatur. den. 1.

De quolibet porco ſiue ſcropha ſupra annũ, pro exitu, & totidẽ pro pedagio. ſol. 1.

De porcellis à quatuor menſibus ſupra, uſque ad annum. den. 6.

De porcellis paruis quatuor menſium, & ab inde infra pro quolibet. den. 2.

De qualibet pecude, caſtrone, capra, ſiue hirco. den. 4.

Pro quolibet centenario beſtiarum pecudinarum, quæ ducerentur ad paſcua tam in acceſſu, quam in reditu, ſoluatur uice qualibet.

Pro qualibet beſtia groſſa ſupra annum. ſol. 1. den. 6.

Et teneantur Conductores huiuſmodi beſtiarum curare de damno dato non inferendo per idoneas cautiones coram Officiali collectæ, & ſi aliquod damnum datum reperiretur per ipſos tranſeuntes, uel beſtias, quod ipſum debeant cum effectu integraliter emendare.

Ciues uero, & Comitatiui Vrbiſueteris de ipſorum beſtijs proprijs nihil ſoluere teneantur, habita fide ne fraus in his poſsit committi circa ipſum pedagium.

De omnibus, & ſingulis rebus, & mercantijs de quibus in præſenti volumine non eſſet facta mentio ſpecialis, de ſimili ad ſimilia procedatur, & ſoluatur & ſolui debeat pro paſſaggio quartũ minus eius quod ſoluitur pro tracta.

Quæ quidem res & mercantiæ, occaſione pedagij poſsint in Ciuitate & eius Burgis mitti, & ibi per dies quinque teneri, & deinde in dicto termino extrahi abſque aliqua alia ſolutione collectæ, ſoluto tãtum paſſagio de prædictis.

De quibuſcumque rebus & mercantijs, miſſa intelligatur ſi, & quando mittantur in Ciuitate, uel Comitatu Vrbiſueteris, & ibi remanendo ultra terminum quinque dierum ſupradictum.

Quæcumque perſona Ciuis, uel habitator Ciuitatis duceret aliquas

beſtias, uel ducit ad Ciuitatem,& eas extrahit de Ciuitate ad paſturandum, nihil pro eis ſoluere teneatur tam in exitu, quam in reditu.

Caueant ſibi diligenter Cuſtodes, & Officiales Portarum, quod in prædictis nulla poſsit fraus committi.

Quanti ponderis ſit ſalma. Rub. XV.

SAlma cuiuslibet mercantiæ & rerum quarumlibet, excepto blado, & legumine, intelligatur & ſit quatricentarum librarum ad pondus ad Mulum, ad Somarium vero ſit tricentarum librarum ponderis, & ſic quilibet Victuralis, & Mercator, uel quæuis alia perſona pro ſalma qualibet, ut præmittitur, ſoluere debeat, & cogatur, & ab inde ſupra, & infra pro rata ſoluere teneatur.

Omnes & ſingulæ res & mercantiæ cuiuſcumque generis, uocabuli exiſtant, quæ mitterentur in Ciuitate, uel Burgis Vrbiſueteris cauſa vendendi & non uenderentur, uel ex eis aliquod pactum non fieret, ſoluta de ipſis rebus & mercantijs primo collecta ad introitum pro miſſa, poſsint à die dicti introitus Ciuitatis, & Burgorum ibi per quindecim dies teneri, & poſtea in dicto termino & infra ipſum terminum, fraude, dolo, & mala machinatione ceſſatis in totum, uel in parte extrahi, uel portari exinde, abſque aliqua ſolutione fienda pro extractione pręđicta, vbicumque Dominus ipſarum rerum portaret: ſi uero, quod abſit, tempore guerræ, auſteritatis, hiemis, & uadationis aquarum, dictę res in dictum tempus quindecim dierum extrahi, uel portari nō poſſent, tunc & eo caſu de prorogatione dicti termini remaneat diſcretioni Officialis collectæ, qui tunc prorogare, uel non, poſsit ſicut ei videbitur conuenire.

Quod nulla Mercantia poſsit diſigillari. Rub. XVI.

MErcantiæ uel res quæcumque conducerentur, uel mitterentur in Ciuitate, Burgis, in ſalmis, ballis, uel fardellis, uel in alijs rebus ligatis, ſeu interclusis, deſigillari, ſolui, ſeu aperiri non poſsint, nec debeant abſque licentia Officialis collectæ, ad pœnam decē librarum denariorum pro quolibet cōtrafaciente, & qualibet vice.

Declaratio.

ITem quod de omnibus & ſingulis mercantijs & rebus, de quibus ad introitum fuiſſet ſoluta collecta, poſtea de uenditione ipſarū nihil ſoluatur, exceptis dumtaxat vino quod uenditur ad minutum, ac etiam

ac etiam de beſtijs & carnibus quæ uenduntur, uel baracłantur, ſeu macellantur, de quibus etiam ſoluatur collecta, ſicut ſupra declaratū eſt, ſaluo quod infra proximo ſequenti capitulo notatur.

Item quod de una eadem re & mercantia, una uice ſoluta collecta, amplius de ipſa nulla collecta ſoluatur, niſi ipſæ Mercantiæ, uel res eſſent translatæ poſtea de una in aliam perſonam, & tunc, & eo caſu ille qui eam rem emeret, ſeu uenderet, aut extraheret, ſoluat ſecundū formam, & ſeriem pręſentium ſtatutorum.

Pedagium Pertinens ad Artem Mercatorum. Rub. XVII.

SAlmarum quę portantur per Ciuitatem, uel Comitatum Vrbiſuetcris, Cōductores ſoluant & contribuant pro collecta, & pedagio infraſcriptas pecunię quantitates uidelicet.

Pro ſalma pannorum ultramontanorum Franciſcorum, & ab inde infra pro rata.	flo. 2.
Pro ſalma pannorum Florentinorum, Lombardorum, & Mediolanenſium.	lib. 4. ſol. 10.
Pro ſalma pannorum Senenſium.	lib. 4.
Pro ſalma pannorum Peruſinorum, & ſimilium.	lib. 3.
Pro ſalma pānorum Agnellinorum, Romandiolorum, & ſimilium, & ab inde infra pro rata.	lib. 1.
Pro ſalma pānorum Carfaginorum, & ab inde infra pro rata.	ſol. 15.
Pro ſalma acciæ.	lib. 1.
Pro ſalma repis.	lib. 2.
Pro ſalma panni lini.	lib. 2.
Pro ſalma panni canapis.	lib. 1.
Pro petia panni Tacculani, ſiue lazzi.	ſol. 2. den. 6.
Pro ſalma paliottorum, & bordorum, quę ſalma intelligatur duodecim petiarum, & ab inde ſupra, & infra pro rata.	lib. 1. ſol. 10.
Pro centenario ad pondus pannorum Veterū uenalium.	lib. 1. ſol. 10.
De ſalma cultrarum cum ſtuppa.	lib. 1. ſol. 5.
De qualibet dictarum cultrarum extra ſalmam.	ſol. 2.
De ſalma bambaſiæ nouæ.	lib. 1.
Pro ſalma bombaſiæ ueteris.	ſol. 5.
Pro ſalma bambaſiæ tinctæ, & ab inde ſupra, & infra pro rata.	lib. 2.
Pro ſalma bambaſiæ albę filatæ.	lib. 1. ſol. 10.

Pro ſalma federę coloratę, & ſalma intelligatur ſexdecim petiarum, & ab

& ab inde ſupra, & infra pro rata. lib. 2.

Pro ſalma guarnellorum gregiorum, ſiue alborum raſorum, uel accordellatorum, & ſalma intelligatur uiginti petiarum, & ab inde ſupra & infra pro rata. lib. 1.

Pro quolibet farſitio, ſiue giuppeto. ſol. 1.

Pro ſalma farſetorum, ſiue giuppetorum. lib. 1. ſol. 10.

De rebus pertinentibus ad Artem Lanæ. *Rub. XVIII.*

PRo ſalma Lanę noſtratæ, matricinæ, & mageſis. ſol. 16.

Pro ſalma lanæ veſtuſiæ. ſol. 12.

Pro ſalma lanæ gentilis, & non noſtratæ. lib. 1.

Pro ſalma lanæ ſardeſchæ. ſol. 10.

Pro ſalma ſtaminis filati, lanæ, telæ, & cuiuſcumque filati lanæ. lib. 2. ſol. 10.

Pro ſalma granæ. flo. 3.

Pro ſalma robię groſſæ. ſol. 4.

Pro ſalma robiæ tritæ, & macinatæ. ſol. 12.

Pro centenario ad numerum panis guati. ſol. 1. den. 6.

Pro ſalma guati maceri. ſol. 12.

Pro ſalma cardorum. ſol. 3.

Pro ſalma pulueris vaſtrelli. lib. 1. ſol. 10.

Pro ſalma herbę rozzæ, ſiue aguiſtrelli. ſol. 3.

Pro ſalma cineris. ſol. 2.

Pro centenario ſaponis ſodi ad pondus. ſol. 2.

Pro ſalma aluminis groſsi. ſol. 12.

Pro ſalma pulueris aluminis. ſol. 8.

Pro ſalma uerzini ad pondus. ſol. 4.

Ad Artem Calzolariorum.

PRo ſalma coiorum piloſorum. ſol. 10.

Pro ſalma coiorum conciorum. ſol. 15.

Pro ſalma pellium piloſarum. ſol. 4. den. 4.

Pro ſalma ſcotani radicis, & ſimilium. ſol. 3.

Pro ſalma ſuarorum, ſiue lignacciorum. ſol. 3.

Pro ſalma coiaminis laborati. lib. 1.

De rebus pertinentibus ad Artem Merciantium. *Rub. XIX.*

PRo centenario mercium minutarum, & maioris æſtimationis videlicet, ſirici,& rerum cum ſirico laboratarum, auri,uel argenti, uel rerum cum eis laboratarum. flo. 6.

De alijs uero mercibus mediocris æſtimationis uidelicet, coregiarum, tappetorum de lecto, & flaſcorum, cappellorum, cultellinorum, filorum de ferro, ſcarſellarum, ſpatarum, forficiarum,ſpiedorum, & ſimilium armorum nouorum piaſtræ, & maglię. lib. 2.

De alijs uero mercibus minoribus uidelicet, tabulacciorum, paueſorum, capellorum non gentilium, biſacciarum, & ſimilium pro ſalma. lib. 1. ſol. 10.

Pro ſalma uitri laborati. ſol. 10.
Pro ſalma cartarum bambaſinarum. lib. 1.
Pro ſalma cartarum pecudinarum nouarum. lib. 2.
Pro ſalma cartarum pecudinarum uidelicet mozzature. ſol. 4.
Pro ſalma cinciorum. ſol. 4.
Pro ſalma ferri in uirgonibus non laborati. ſol. 16.
Pro ſalma acciari. ſol. 12.
Pro ſalma ſtagni noui non laborati. ſol. 16.
Pro ſalma plumbi non laborati. ſol. 5.
Pro centenario ad pondus ferri ſtagnati, uel laborandi. ſol. 5.
Pro centenario piperis ad pondus. lib. 1.
Pro libra zaffarani ad pondus. ſol. 2.
Pro centenario zuccari ſodi ad pondus. ſol. 16.
Pro ſalma ceræ. lib. 2.
Pro ſalma mellis. ſol. 5.
Pro urceo mellis. ſol. 1.
Pro ſalma uuarum paſſarum. ſol. 16.
Pro ſalma raminis ſodi, ſiue rotti. ſol. 16.
Pro ſalma raminis laborati. lib. 1. ſol. 4.
Pro ſalma pellium crudarum. ſol. 4.
Pro ſalma pellium laboratarum. lib. 1. ſol. 10.
Pro centenario pellium conciorum ad numerum. ſol. 1. den. 6.

De rebus pertinentibus ad Artem Procacciantium. *Rub. XX.*

PRo quolibet ceruo, ſiue porco ſilueſtre à centum libris ſupra. ſol. 10.
A centum libris infra. ſol. 5.

Pro quolibet capreolo. ſol. 5.
Pro quolibet lepore, uulpe, taſcione, ſpinoſa, & ſimilibus. ſol. 1.
Pro quolibet pari caponum, gallinarum, gruarũ, & anatrum. den. 8.
Pro ſalma lini incigliati. ſol. 6.
Pro ſalma lini ſcotulati. ſol. 8.
Pro ſalma canapis incigliatæ. ſol. 7.

De omnibus uero rebus hic non ſpecificatis ad pedagium ſoluatur & ſolui debeat quartum minus eius quod ſoluitur ad miſſam.

Pro qualibet ſalma arnenſium, & plus, & minus ſecundum diſcretionem Officialis collectæ. ſol. 6.

Et ſi in dicta ſalma arnenſium eſſent libri Iuris ciuilis, uel Canonum, uel Medicinę, ſoluatur pro quolibet libro. ſol. 3.

De alijs uero libris ſoluat̃ medietas, uidelicet pro quolibet. ſol. 1. d. 6.

De omnibus & ſingulis rebus quæ mitterentur in Ciuitate, uel extraherentur de Ciuitate, ſoluatur & ſolui debeat collecta ſecundũ formam & tenorem præſentium ſtatutorum: Et quicumque fraudem cõmiſerit contrafaciendo, extrahendo, uel mittendo ſine ſolutione, uel apodixa, incurrat pœnas prædictas. Si quis reperierit talem portantẽ contra prædicta, & præſentauerit, ſeu denunciauerit ipſum, habeat tertiam partem pœnæ. Et ſi fuerit Officialis, habeat quartam partem pœnæ eius quod occaſione prædicta peruenerit in Commune.

De Pœna euntium contra deuetum Collectæ. *Rub. XXI.*

NVlla perſona contra deuetum collectæ cum ſalmis, uel ſine conducat, uel portet aliquam mercantiam, uel rem de qua debeat aliquid ſolui collectæ, ab octo denarijs ſupra, abſque apodixa collectæ, uel ſolutionis; & qui contrafecerit, & inuentus portare fuerit aliquas res contra deuetum collectæ, ſoluat & ſoluere teneatur, nomine pœnæ, uigintiquinque libras denariorum uice qualibet, & nihilo minus ſoluat pro quolibet denario, duodecim denarios, ultra quod ſoluere teneatur pro debita collecta de rebus illis quas portaret contra deuetum prædictum, & nihilominus debitam collectam ſoluere compellatur: & intelligatur portare contra deuetum à Ponte Riui turbidi, & à Ponte. S. Illuminatæ ultra, & à Ponte Riui clari: De rebus uero quæ portarentur in ſalmis, uel ſine, per Comitatum Vrbeuetanum, infra ipſum Comitatum intelligatur contra deuetum portare faciẽdo uoluere rem, uel beſtiam cum re, contra domum habitationis deferentis, uel loci ad quem res portarentur, per duo miliaria prope fines Comitatus,

aliter non intelligatur contra deuetum portare. Et quiſque qui aliquē ex dictis fraudatoribus inueniret, & coram Officiali collectæ præſentaret, uel denunciaret, de omni eo quod prætextu huius deueniret in cō mune, habeat & habere debeat tertiam partem: & quod Officialis collectæ quartam partem delicti inuenti per ipſum, uel ſuos Officiales, Notarios, & Familiam, uidelicet quartam partem pœnę quæ occaſione delicti inuenti, ut ſupra dictum eſt, deuenerit in commune habeat: de alijs uero pœnis, & executionibus idem Officialis, Notarius, & Familia nullam partem habeāt, nec habere poſsint, niſi in caſibus conceſsis per formam ſtatutorum prę́ſentis uoluminis: & ſi dictus Officialis per ſe, uel eius Notarium, & Familiam contrafecerit, ſoluat nomine pœnę quatruplum eius quod occaſione prædicta acceperit, uel receperit à quolibet

Et quicumque aliquam fraudem, ſeu dolum committeret in nō prę ſentando, uel aſsignando res quæ mitterentur, & non dicendo ueritatem Officiali collectæ aliquo modo in totum, uel in partē, ſoluat ultra illud quod ſoluere debebat debitę collectæ, pro quolibet denario duodecim denarios, & debitam collectam ſoluat, & hoc remaneat in diſcretione Domini Vicarij, & Officialis collectæ, conſiderata qualitate perſonæ, & quantitate delicti.

Quilibet Ciuis Vrbeuetanus, ſiue de Burgo, uel Comitatu, & alij omnes ſtantes, & uenientes in fortiam dicti Communis teneantur, & debeant dicto Iudici, & eius Officialibus, & Familię obedire in omnibus præceptis factis per eum, uel ſuos Officiales, uel balitores, unum, uel plures ex eorū parte, uel alicuius ipſorum: Si quis autem fuerit inobediens, aut rebellis mandatis Iudicis prædicti, ſuorumque officialium, aut balitorum, ex eorum, & cuiuſcumque ipſorum parte factis, puniantur in uiginti ſolidis denariorum pœnæ nomine uice qualibet.

Si uero fuerit Vniuerſitas, Communitas, uel Ars inobediens ut præfertur, puniatur pœnæ nomine in cētum ſolidos denariorum uice qualibet.

Si quis autem dicto uel facto, aliquam offenſam uel iniuriam fecerit, uel dixerit Iudici prædicto, Notarijs, ſeu alicui de Familia ſua, uel alicui Officiali collectæ Ciui, uel Forenſi, uel de ipſo Officio collectę, uel contra ipſum Officium, uel contra ſtatutum uel ordinamētum collectæ, uel aliquid dixerit, uel fecerit, quod redundare poſsit in diminutionē, uel derogationē Officij prædicti, ad arbitrium D. Vicarij puniatur cum moderamine ſemper, & conſiderata conditione perſonæ, & quantitate delicti.

Nulla perſona Ciuitatis, uel Comitatus Vrbiſueteris, Officialis, uel non, publice uel priuate audeat, uel prę́ſumat apponere aliquod ſignū, uel ali-

uel aliquam apodixam, ſiue licentiam dare tranſeundi, uel ducendi aliquas beſtias, de quibus collecta ſolui debeat.

Liceat tantum dare licentiam, & apodixas facere & ſigillare, ſoli Officiali & Camerario collectæ, ſecundum ordinamenta & ſtatuta pręſentis uoluminis: Si quis uero contra prædicta fecerit, pœnam uigintiquinque librarum denariorum incurrat: & prædicta locũ habeant etiã in Portinarijs, & Officialibus Mercati, qui ſigillum Officialis collectæ conſueuerunt tenere, qui dictum ſigillum non apponant aliter quã per Officialem collectæ fuerit ordinatum, ad prædictam pœnam.

Quia diſsidentes leges in uarijs uoluminibus & ſtatutis ordinauerunt & iniunxerunt hucuſque in Officio collectæ pro declarando dubium, pro quo homines & perſonæ conquerebantur, & merito, & ad ſuccidendum ambiguitates, & dubitationes huiuſmodi, & quod lex una, & æqua, & manifeſta exiſtat, quod in collecta iſtius præſentis uoluminis ſtatim & omnia contenta in eo uigeant & vires habeant, omni alio ſtatuto, & uolumine capitulorum, & ordinamentorum collectæ deinceps poſtergato, caſſo, annullato, & irrito remanente nullius efficaciæ, uel ualoris.

De Beneficio Confeſsionis. Rub. XXII.

ITem quod in cunctis caſibus collectę, per quos aliqua pœna imponitur, beneficium confeſsionis locum habeat, & propter huiuſmodi confeſsiones detrahatur & detrahi debeat quarta pars pœnæ, quẽadmodum in maleficijs.

Gabella Carnium. Rub. XXIII.

OFficialis collectæ poſsit & ualeat cognoſcere, caſtigare, & punire illos qui macellarent, uel aliquo modo uenderent carnes malſanas, & præcium facere reſtitui ut decet, & pœnam decem librarum auferre.

Qui carnes domeſticas recentes macellabũt, & minutatim uendẽt, uel occident cauſa uendendi ad minutum, ſoluant & ſoluere teneãtur collectæ, ut infra continetur uidelicet.

De quolibet porco ponderis cẽtum decem librarum, & ab inde ſupra. lib. 1.

Et ab inde infra, uſque ad quinquaginta librarum. ſol. 16.

Si uero porcus, uel porcella fuerit ponderis à quinquaginta libris infra. ſol. 10.

De quo-

De quolibet caſtrone, pecude, capra, hirco, uel agno graſſo. ſol. 5.
De cordeſco, & agnello pro quolibet. ſol. 2.
De quolibet capretto. ſol. 2.
De manza, ſiue uitella tenetur. lib. 1. ſol. 13.
De uitella de lacte. ſol. 16.
De camerone. lib. 3. ſol. 6.
De qualibet porchetta. ſol. 2. den. 6.

Quando autem ſubſidium dictę Ciuitatis ſolueretur ſuper carnibus, prout nunc, dicti Macellarij ſoluere teneantur duplum pro qualibet beſtia, prout declaratum eſt ſuperius.

Et ſimili modo Macellarij Ciuitatis, de beſtijs quas macellabunt in Comitatu, ſoluere teneantur.

Vendantur etiam carnes prædictæ, ſecundum affectam fiendam per Iudicem, & Executores collectæ, & non aliter: & qui contrafecerit, in quinquaginta ſolidorum uice qualibet puniatur.

Et affectum quod fit de carnibus domeſticis, intelligatur de ſilueſtribus hoc modo uidelicet, libra apri uendatur ſicut libra porci domeſtici. lib. 5.

Libra capreoli ut libra Caſtrati, libra Ceruij ſicut libra carnium camoroni, & non ultra pro pluri præcio uendi poſsit quinque librarum.

Nullus autem dictas carnes uendat niſi fuerint ſcriptæ, & aſsignatę Iudici collectæ: & qui contrafecerit in decem librarum denariorū uice qualibet puniatur.

Nemo uendat, nec poſsit uendere alicui unam carnem pro alia, nec carnes generis maſculini, cum fœminino genere in uno ſimul banco tenere, ad pœnam pro quolibet contrafaciente & qualibet uice. lib. 2.

Et quilibet eorum teneatur & debeat dare, & uendere de carnibus quæ uenduntur, cuilibet petenti ad pondus iuſtum & æquum, ad pœnā ſupradictam pro quolibet, & qualibet uice.

Et teneantur, & debeant dicti Macellarij dare & uendere cuilibet petēti, carnes cuiuslibet generis in eo pōdere quo petitum fuerit, uſque ad mediam libram, ad pœnam pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice. lib. 2.

Ne fraus per Macellarios & carnes uendentes in cōtrafactione carnium committatur, quod quicumque contrafecerit carnes uel beſtias, ita quod una beſtia generis fœminini, pro maſculo genere uendatur, & ſic ex aduerſo, Macellarij prædicti teneantur & debeant beſtias quas macellauerint & uendiderint ſine fictione, uel contrafactione, aut aliqua doloſitate, publice tenere & uendere, ita quod cunctis uidentibus beſtias ſiue carnes utrum ſint maſculini, uel fœminini generis clarius

rius ueritas elucescat: & qui contrafecerit ſoluat, & ſoluere teneatur nomine pœnæ, uice qualibet auferendę de facto, cuius pœnæ quarta pars ſit Officialis prædictæ collectæ. lib. 5.

Carnes morticinas nullus Macellarius uendat in uno bãco ſimul cũ alijs carnibus, nec ipſas uendere poſsit in Ciuitate, ad pœnã uice qualibet, cuius pœnæ quarta pars ſit Officialis collectę ſupradictæ. lib. 5.

Si quis macellauerit carnes morticinas, ſoluat quartum totius eius quod ſoluitur de ſanis carnibus.

Item quod liceat dicto Emptori exigere dictã collectam carnium, quæ in Ciuitate prædicta, & Burgis uenditur ad minutum, ſecundum formam præſẽtium ſtatutorum, & alijs ſtatutis uti non poſsit: & quod Burgi dictæ Ciuitatis, quo ad executionem dictæ Gabellæ & collectæ, intelligantur ab Eccleſia S. Iuliani uerſus Ciuitatem, & à Riuo Marino, uſque ad Riuum Pouarum, & à Riuo Pouaro, uſque ad arcum muri fontis Communis, & à dicto arco ad Eccleſiam S. Petri in Vetera, & ab inde, uſque ad Pontem Riui clari, & à dicto Ponte uſque ad Põtem Riui turbidi, & à dicto Ponte Riui turbidi, uſque ad dictam Eccleſiam S. Iuliani, prout mittit ſtrata Communis uerſus Ciuitatem.

Gabella Vini. Rub. XXIIII.

ITem quod nulla Perſona audeat uel præſumat uẽdere uinum ad minutũ in dicta Ciuitate & eius Burgo infra terminato, niſi prius collectari fecerit per ipſum Emptorem dictæ Gabellę, ad pœnam decẽ librarum denariorũ pro qualibet menſura, applicandorũ pro dimidia dicto Emptori, & pro quarta parte dicto Communi, & pro quarta parte Officiali facienti executionem: & dicta pœna poſsit tolli, & exigi per quoſcumque Officiales Ciuitatis prædictæ de facto, omni ſolemnitate iuris omiſſa, dummodo coſtet per unum teſtem omni exceptione maiorem de dicta uenditione.

Item quod uẽdens vinum ad minutum, poſtquam uẽdiderit, teneatur infra terminum unius menſis à die collectationis, & calculi facti de vino uendito, ſoluere dicto Emptori collectam ſiue Gabellam pro dicto uino uẽdito, & collectato: alias elapſo dicto termino, poſsit dare ipſum uendentem in extractu, & executionem fieri facere contra eum.

Item quod uendens uinum ad minutum teneatur dicto Emptori ſoluere pro dicta Gabella ad rationem duorum ſolidorum pro qualibet ſalma, pro quolibet denario quo uenderetur foglietta dicti uini uidelicet, ſi uenderet uinum ad rationem ſex denariorum pro foglietta, tẽ

neatur

neatur ſoluere pro dicta collecta duodecim ſolidos, & ſi uenderetur octo denarios pro foglietta, ſoluere teneatur pro ſalma ſolidos ſexdecim, & ſic plus & minus ſecundum quod uenderetur ad ratam prædictam, & computum.

Item quod ultra dictam Gabellam, ut ſupra limitatam, uendentes uinum ad minutum per eos emptũ ab alijs perſonis, & non recollectũ in eorum bonis, ſoluere teneãtur dicto Emptori ſex ſolidos pro qualibet ſalma uini quod uenderent: Et poſsint huiuſmodi Venditores, ſeu Tabernarij hoſpitare quoſcumque pedites, & dare eis panem, carnes, & alia neceſſaria, ac etiam lectos, abſque eo quod aliquid contribuere teneantur Arti hoſpitatorum dictæ Ciuitatis: & hoſpitatores non poſſint tenere in hoſpitio, abſque ſolutione dictæ Gabellę. Foreſes qui ſtarent continue ultra quindecim dies ad faciendum aliquod exercitium in dicta Ciuitate, & retinendo teneantur ſoluere dicto Emptori, prout ſoluunt alij uendentes uinum ad minutum.

Item quod licitum ſit dicto Emptori uel deputádo ab eo, intrare domos quorumcumque uendentium uinum ad minutum in Ciuitate prędicta, uel Burgis dictę Ciuitatis ſine aliqua pœna, ad omnem petitionẽ ipſorum, & cuiuſcumque ipſorum.

Item quod dictus Emptor teneatur ſoluere dictam Gabellam & pręcium eius, Camerario dicti Communis de menſe in menſem, prout tãgit, ad pœnam quarti pluris: cuius pœnæ medietas ſit Fabricæ S. Marię, quarta pars Cameræ Communis, & alia quarta pars Officialis facientis executionem.

Item dictus emptor teneatur ſoluere uices illis qui lucraſſent eas in oblationibus dictæ Gabellæ factis per quoſcumque: & etiã ſoluere infra dictum terminum omnes retentiones uicium Camerario dicti Cõmunis, expendendas in acconcimine Cannellatus.

Item quod dictus Emptor habeat terminum ſex menſium ad exigẽdum, finito tempore emptionis, & ad faciendũ executionem de debẽtibus ſoluere: & elapſo dicto termino, non poſsit amplius exigere, & ſi quid reſtabit exigendũ, intelligatur eſſe dicti Communis, & omne id quod exigeretur, Domini Conſeruatores expendi faciant in acconcimine Aquæductus.

Item quod uinum hoſpitalis S. Mariæ de Stella, debeat & poſsit uẽdi ad minutum ſine ſolutione dictę collectæ.

Item quod nulla perſona poſsit immittere uinum Forenſem in dicta Ciuitate ſine licentia DD. Conſeruatorum, & Conſilij Duodecim, ad pœnam uiginti ſolidorum pro qualibet ſalma, applicandorum pro dimidia dicto Emptori, pro alia dimidia Cameræ Communis.

Item quod dictus Emptor teneatur & debeat, ad petitionem cuiuſcumque petentis, diſcollectare vinum per eum collectatum, prout petitum fuerit, ad pœnã uigintiquinque librarum denariorum, applicãdorum Cameræ dicti Communis.

Item quod in quibuſcumque caſibus, in quibus per formam ſtatutorum pœna imponitur, dicta pœna poſsit tolli per Officiales Cõmunis abſque aliqua iuris ſolemnitate.

Itẽ quod uendentes vinum ad barile, uel ſalmas, quod acciperetur ad flaſcos, uel cum alio inſtrumento, uel uaſe maiori pititro, uel minori barile, quod tales uendẽtes teneantur ſoluere dicto Emptori ſex ſolidos pro qualibet ſalma.

Item quod uendentes vinum in dicto Campo Nundinarũ, nihil ſoluere teneantur Gabellario pedagij pro exitu dicti vini, uel pro introitu dicti uini quod non eſſet uenditum.

Item quod liceat dicto Emptori fieri facere executionẽ contra Forenſes qui uẽdidiſſent uinum ad minutum, ad omnem eius inſtantiam & petitionem, & dare in extractum prout ei placuerit.

Itẽ quod nõ liceat alicui uẽdenti uinũ ad minutũ tenere cannellã ad aliquã uegetẽ, quæ nõ eſſet collectata, & quæ maneret in eodẽ cellario ſeu cãtina, uel in eadẽ domo ubi eſſet uinũ collectatum, ad pœnã quinquaginta librarum denariorũ pro qualibet uegete, applicandorũ pro medietate dicto Emptori, & pro alia medietate Camerę Communis.

Item quod Hoſpitatores infra ſupraſcriptos limites, nõ poſsint uẽdere uinum ad minutum ſub prætextu hoſpitij, quod non eſſet collectatũ per ipsũ Emptorem, niſi hoſpitantibus, & cõmedentibus in dicto hoſpitio, ad pœnã cẽtum ſolidorũ pro qualibet mẽſura, applicandorũ pro medietate dicto Emptori, & pro alia medietate Camerę Cõmunis

Item quod liceat dicto Emptori exigere dictam collectã uini, quod in Ciuitate prędicta, & Burgis vẽditur ad minutũ, ſecundum formã pręſentium ſtatutorum, & alijs ſtatutis uti nõ poſsit: & quod Burgi dictæ Ciuitatis, quo ad executionẽ dictæ Gabellæ & collectę, intelligãtur ab Eccleſia. S. Iuliani uerſus Ciuitatẽ, & à Riuo Marino uſq; ad Riuũ Pouarũ, & à Riuo Pouaro uſque ad Arcũ muri fontis Cõmunis, & à dicto Arcu ad Eccleſiam. S. Petri in Vetera, & ab inde uſque ad pontẽ Riui clari, & à dicto Ponte uſque ad Pontem Riui turbidi, & à dicto Ponte Riui turbidi uſque ad dictam Eccleſiam. S. Iuliani, prout mittit ſtrata Cõmunis uerſus Ciuitatem.

Item quod uendentes uinum in Campo Nundinarum, temporibus Nundinarum tantum ſint exempti & liberi à ſolutione dictæ Gabellæ, & moleſtari non poſsint aliquo ingenio.

Item

Item quod quęlibet perſona, temporibus Nundinarũ, poſsit hoſpitari quoſcumque hoſpites, equites,& pedites,& dare eis uinum, panẽ, carnes, piſces, & omnia neceſſaria, dummodo uendant uinum collectum per dictum Emptorem, abſque eo quod aliquid cõtribuere teneãtur Arti hoſpitatorum, uel alteri perſonę ex dicta cauſa.

Item quod liceat dicto Emptori, dictam Gabellam uenditam cũ omnibus iuribus, actionibus ſuis, pro toto tempore anni prędicti habere, tenere, & poſsidere, uti, frui, petere, & recipere ſecundum formam prędentium ſtatutorum.

Item quod Hoſpitatores intelligantur illi qui hoſpitãtur omnes publice, & tenent inſignia,& ſunt matriculati in Arte hoſpitatorum: alij uero non intelligantur Hoſpitatores, & teneantur ad ſolutionem dictæ Gabellæ, ut ſupra diſponitur.

Item quod Albicherius, ſeu menſurator vegetum, ſit idoneus, fidelis, & ſufficiens ad dictum exercitium, & approbatus per Dominos Cõſeruatores dictæ Ciuitatis, omni ſuo labore dictus Emptor pro medietate, & pro alia medietate ille qui uendiderit uinum ad minutum, inter ambos ſoluere teneantur, pro qualibet uegete menſurata per eum, ſolidos quinque.

Item quod liceat omnibus uolentibus extrahere uinum de dicta Ciuitate, & eius Comitatu, libere extrahere abſque contradictione dicti Emptoris, niſi per Conſilium generale, ſecundum temporis uarietatẽ aliter reformaretur.

Gabella Mercatus *Rub. XXV.*

IN primis quod quicumque Ciuis Comitatiuus, Diſtrictualis, uel Forenſis cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, aut dignitatis, qui uendideret ſeu uenderit in Ciuitate, Burgis, & Territorio Vrbeuetano, ſeu emerit aliquod genus beſtiarũ, infra terminũ octo dierum proxime futurorum, à die talis emptionis, uel uenditionis computandorũ, tã Emptor, quã Venditor teneantur & debeant talẽ emptionem & uenditionem effectualiter aſsignare, intimare, & manifeſtare Gabellario Gabellæ caſſettæ Mercatus dictæ Ciuitatis pro tẽpore exiſtenti, ſub pœna, & ad pœnam infra declarandam.

Itẽ ꝙ tã dictus Emptor, quã Vẽditor teneãtur ſoluere Gabellario prædicto denarios quatuor ꝓ qualibet ipſorũ parte cuiuslibet librę prętij totius quãtitatis beſtiarũ uẽditarũ, ſiue emptarũ, ita ꝙ inter ambas par

tes ſoluantur octo denarij pro qualibet libra præcij prædicti, exceptis Becchariјs qui emerent ipſas beſtias pro reuendendo ad macellum, nõ teneantur aliquam ſoluere pro ipſis beſtijs Gabellam Mercatus, ſed uendentes teneantur pro eorum parte, exceptis Ciuibus, & alijs habitatoribus Ciuitatis prædictæ, & Comitatiuis alibi uendentibus, quod aſcenderet ad uiginti quinque ſolidos, & ab inde infra quod tam uenditor, quam Emptor ſint exempti à dicta Gabella, & nihil ſoluere, ſiue aſsignare teneantur.

Item quod quæcumque perſona ut ſupra in ſolutum daret aliquod genus beſtiarum ex quacumque cauſa, tam ille qui daret, quã recipiẽs teneatur ad dictam collectam ut ſupra, ſicut de emptione, & uenditione ut ſupra.

Item quod quicumque baractaret aliquod genus beſtiarũ, ita quod in dicto baracto interuenirent beſtiæ hinc inde, quælibet ipſarum Partium teneatur ſoluere quatuor denarios pro qualibet libra totius quãtitatis dictarum beſtiarum, & earum æſtimationis.

Item quod quicumque faceret aliquam ſoccitam cum aliquo Ciue, uel Comitatenſe, uel Forẽſe in qua fieret admiſſa, teneatur ſoluere, & aſsignare ſicut ſi emerent, uel uenderent de omnibus beſtijs, & quod tempore diuiſionis dictæ ſoccitæ cum admiſſa, nulllam aliam Gabellã ſoluere teneantur.

Item quod quicumque daret ſoccitam ad baſtonem aliquod genus beſtiarum, tam dans, quam recipiens nullam Gabellam ſoluere teneãtur, niſi tempore diuiſionis fiendæ poſt finitam ſoccitam: & tam dans, quam recipiens teneantur ſoluere dicto Gabellario medietatẽ totius præcij, & æſtimationis dictarum beſtiarum diuiſarum, ita quod inter ambas partes ſoluantur quatuor denarij pro qualibet libra, & ſi diuideretur dicta ſoccita durante dicto tempore, teneantur ſoluere pro rata ad dictam rationem.

Item quod quicumque diuideret aliquod genus beſtiarum, & non eſſet in ſoccitam, nec ad miſſam inter fratres, uel ſocios tempore diuiſionis, pro ipſa diuiſione nihil ſoluere teneantur.

Item quod quicumque Ciuis, uel Diſtrictualis contraxerit cum aliquo Forenſe de aliquo genere beſtiarum, de quo ueniret ſoluenda Gabella, quod Ciuis & Diſtrictualis teneantur pro dicto Forenſe pro rata Gabellæ, quæ tangeret ipſum Forenſem.

Item quod quicumque Ciuis uel Diſtrictualis contraxerit cum aliquo Ciue uel Comitatiuo extra dictũ Territorium in quocumque loco de aliquo genere beſtiarũ, quomodocum que, & qualitercumque, teneantur ad ſolutionẽ dictę Gabellæ, iuxta formã dictorũ capitulorũ

ac ſi

ac ſi cõtraxiſsét in Territorio Vrbeuetano, dummodo dicti contrahen
tes non fuerint abſentes à dicto Territorio Vrbeuetano per menſem an
te celebrationem dicti contractus.

Item quod fraudantes dictam Gabellam aliquo modo in non aſsi-
gnando infra dictum tempus, quod ut ſupra dictum eſt, ſi ęſtimatio be
ſtiarum de quibus fuiſſet factus contractus, non aſcenderet ultra uigin
tiquinque libras, ſed eſſet prædicti ualoris, & ab inde infra, quod frau-
dans teneatur ſoluere debitam Gabellam, & duodecim denarios pro
quolibet denario debitę Gabellæ: Si autem æſtimatio ipſarum beſtia-
rum, uel præcium non aſcenderet ultra quinquaginta libras, ſed eſſet
dicti ualoris, & ab inde infra, quod fraudans teneatur ſoluere debitã
Gabellam, & decem libras denariorum tantum: Si autem præcium, uel
æſtimatio dictarum beſtiarum aſcenderet ultra dictam ſummam quin-
quaginta librarum denariorum, fraudans teneatur ſoluere debitam Ga
bellam quam teneretur ſoluere, & ultra ipſam Gabellam libras uigin-
tiquinque denariorũ: Quarum omnium, & ſingularũ pœnarum medie-
tas ſit Communis, & alia medietas Gabellarij, & ſi interuenerit Accu-
ſator, quod concordet ſe cum Gabellario, & ſi non eſſet in concordia
cum dicto Gabellario, habeat medietatem partis pœnæ tangentis dic-
tum Gabellarium, ita quod Commune nihil ſoluere teneatur.

Item quod Poteſtas dictæ Ciuitatis, & eius Officiales qui pro tem-
pore fuerint teneantur, & debeant dicto Gabellario Ius ſummariũ fa-
cere, & eidem præſtare auxilium, conſilium, & fauorem uiſa ſolummo-
do facti ueritate per probationes plenas, uel ſaltim ſemiplenas, uel per
legitima indicia, & facere executionem cõtra omnes, & ſingulos frau-
dantes prædictos, eos capiendo, cogendo, & arreſtando ad petitionẽ
dicti Gabellarij realiter, & perſonaliter, donec, & quouſque talis frau
dans ſatisfecerit integraliter de dicta fraude, & Gabella: & dictus Offi-
cialis non poſsit, nec debeat pro tali executione petere, exigere, uel
habere niſi ſolidum unum pro qualibet libra, quando executionem fa-
ceret in Comitatu uel Territorio dictę Ciuitatis, diſtãte à dicta Ciuita-
te per unum miliare.

Item quod quicumque Ciuis Comitatiuus, Diſtrictualis, uel Forẽſis
temporibus quibus ſunt Nundinę in Ciuitate Vrbeuetana ſint, & intel-
ligantur exempti à dicta Gabella, tam in diuidendo ſoccitas, uendẽdo,
emendo, permutando, ad miſſam faciendo, uel aliter quomodolibet
contractando de aliqua re, de qua alias ſi non eſſent Nundinę deberet
ſolui Gabella: & prędicta locum habeant ſi fierent in campo Nundina
rum dictę Ciuitatis, uel per ſtratas, uel uias, per quas itur ad campum
Nundinarum ad Ciuitatem Vrbiſueteris, uel in aliqua parte dictę Ciui
tatis,

tatis, tam in ſtratis, quam extra, uel ſi fierent in aliquo loco qui non diſtaret à dicto campo Nundinarum per tractum baliſtæ: & quod dicta animalia de quibus contractus fieret, ſint in ipſis locis, uel aliquo ipſorum, dictis temporibus Nundinarum.

Nundinę autem intelligantur eſſe in iſtis temporibus in dicta Gabella uidelicet: Dies Officij Corporis Chriſti cum octo diebus præcedentibus, & octo ſequentibus, ita quod ſint decem & ſeptem dies cōtinui: Dies Aſſumptionis Beatæ Marię Virginis de menſe Auguſti cum quatuor diebus præcedentibus, & quatuor ſequentibus, ita quod ſint & intelligãtur eſſe nouem dies continui: Dies. S. Britij cum tribus diebus præcedentibus, & tribus diebus ſequentibus, ita quod ſint & intelligantur eſſe ſeptem dies continui.

Gabella Extraordinariorum.

De ſalario Ponderatoris. Rub. XXVI.

PONderator ponendus, & deputandus per Commune Vrbeuetanum adponderandum, habeat & habere debeat pro ponderatione & ſuo labore, ſex denarios pro qualibet ciſta piſcium: & pro quolibet centenario librarum aliarum rerum ponderandarum, ſex denarios pro qualibet parte.

De rebus quæ venduntur ad pondus. Rub. XXVII.

ITem ſtatuimus & ordinamus, quod quicumque uendiderit ad pōdus aliquam rem ponderis à uigintiquinque libris ſupra, teneatur & debeat ipſam rem facere ponderari per Ponderatorem dictæ collectæ ad hoc deputatum, & deputandum, ad pœnam centum ſolidorũ pro quolibet pondere à uigintiquinque libris ſupra, & pro qualibet uice: & habeat, & habere debeat ipſe Ponderator ſex denarios pro quolibet centenario ponderis, ut ſuperius eſt expreſſum.

De Emptoribus Canapis. Rub. XXVIII.

EMptores uero canapis ſoluãt, & ſoluere teneãtur Gabellario dictæ collectæ pro qualibet libra præcij, & quãtitatis pecunię emptionis dictę canapis, denarios quatuor: & de qualibet alia re in præſentibus ordinamentis non declarata, quæ uenderetur ad pondus à uigintiquinque libris ſupra, Emptor ſoluere teneatur dicto Gabellario

rio duos denarios pro qualibet libra præcij & quantitatis pecuniæ dictæ rei: & prędicta non intelligantur in Emptoribus lanæ, qui pro emptione dictæ lanę nihil ſoluere teneantur: Nec intelligantur prædicta in Emptoribus canapis, uel alterius rei, qui ipſam canapem, uel aliã rem emptam infra octo dies à die dictæ emptionis ipſius rei extraxerint de Ciuitate, uel Comitatu Vrbiſueteris in eadẽ forma qua emerint, ſi ex ipſa canape, uel alia re empta, ſoluta fuerit collecta pedagij, dictas collectas quatuor denariorum, & duorum denariorum pro libra minime ſoluere teneantur.

Talliæ Artium Anno quolibet perſoluendæ. *Rub. XXIX.*

ARs Fabrorum, & homines ipſius Artis, ſoluere teneantur quolibet anno pro ipſa Gabella dicto Gabellario, libras quadraginta quinque denariorum.

Ars ſutorum, & homines ipſius Artis ſoluant quolibet anno dicto Gabellario libras uiginti duo, & ſolidos decem denariorum.

Ars Muratorum, & homines ipſius Artis teneãtur ſoluere dicto Gabellario libras ſeptem denariorum.

Ars Barbitonſorum, & homines ipſius Artis ſoluant quolibet anno dicto Gabellario libras nouem denariorum.

Ars Calciolariorum cum malticijs, & calcinarijs ad conciandũ coiamen eorum Artis, ſoluat dicto Gabellario libras quinquaginta quatuor denariorum quolibet anno.

Albergatores, & homines ipſius Artis dictæ Ciuitatis, & eius Burgi, & ſuburgi & pendicum ipſius, & alij omnes Albergatores à petrorio incluſiue infra, & à Ponte S. Illuminatę citra per rectam ſtratam uerſus dictam Ciuitatem, ita tamen quod præfati Albergatores omnes pro uenditione uini ad minutum quod uendunt eorum hoſpitibus in eorũ hoſpitijs, nihil ſoluere teneantur: ſoluant & ſoluere debeant anno quolibet Gabellario dictę collectæ extraordinariorum, libras quadraginta: in qua ſumma non teneantur contribuere illi qui tenẽt godiellos, dummodo ipſi tenentes godioli obſeruent hactenus obſeruata, uidelicet quod non poſsint alloggiare aliquem equeſtrem, nec tenere aliquem ad ſcottum, ſed tantummodo pedites per unam noctem.

Ars Aurificum, & homines ipſius Artis teneantur ſoluere dicto Gabellario libras nouem denariorum.

Horthulani adacquãtes terras pro hortis, de aqua exeũte de rupibus Ciuitatis, uel de quibuſcumque riuis, ſoluant quolibet anno dicto Gabellario libras triginta ſex denariorum.

Et præ-

Et prædictæ taliæ,& quantitates pecuniarum pro dicta collecta ſoluantur & ſolui debeant per ſupradictas Artes, & earum Artifices quolibet anno in duabus paghis uidelicet: medietas per totum menſem Aprilis, & alia medietas per totum menſem Septembris, ad pœnã quarti pluris cuilibet Arti non ſoluenti infra dictos terminos.

Et aliæ infraſcriptæ perſonæ & Artifices, ſoluere teneãtur infra terminos eis aſsignatos,& ut inferius annotatur, ad pœnam quarti pluris eius quod ſoluere tenerentur ubi certa pœna non declaratur.

De Valcherarijs, & Tiratorijs. Rub. XXX.

VAlcherarij ſoluant & ſoluere teneãtur pro qualibet Valcheria, quolibet anno dicto Gabellario de mẽſe Nouembris, ſolidos quadraginta denariorum: Tenentes uero Tiratoria ſoluant & ſoluere debeant quolibet anno de menſe Nouembris,pro quolibet Tiratorio, dicto Gabellario ſolidos uiginti.

De Vendentibus Pannos ad retaglium Rub. XXXI.

EMptores pannorum Vrbeuetanorum lanæ pro retagliando, ſi ipſos pannos retagliauerint ſoluant, & ſoluere teneãtur pro quolibet panno, & intelligatur pannus duodecim cãnarum, ſolidos ſeptem denariorum, & ſi minus ſeu plus fuerit pannus, ſoluatur pro rata: Et ſimiliter ſoluant, & ſoluere teneantur omnes uendentes pannos Vrbeuetanos ad retaglium qualitercumque à Platea herbarum, uſque ad Eccleſiam.S. Mariæ Maioris eũdo recta linea,ſolidos ſeptem denariorum pro quolibet panno, ut dictum eſt: ita tamen quod prædicti ementes, & uendentes teneantur, & debeant huiuſmodi pannos, ante retaglium, aſsignare & ſcribi, & menſurari facere per Officialẽ ad hoc deputandum, ad pœnam centum ſolidorum denariorum pro quolibet panno retagliato, & non ſcripto, & non menſurato ut dictũ eſt: & nihilominus dictam quantitatem ſeptem ſolidorũ pro quolibet pãno ſoluere teneantur.

De ſalario Menſuratoris Pannorum. Rub. XXXII.

ITem quod Menſurator dictę collectæ, ad prædicta & alias menſuras ponendus & deputandus, habeat & habere debeat pro ſuo ſalario ſex denarios pro quolibet panno, uidelicet tres à Venditore,& totidem ab Emptore: & ſi pannus menſuraretur, quamquam non fuerit uẽ

ditus

ditus illud pręcium mēſurator habere, & percipere debeat ab eo qui pā num fecerit menſurari.

De vendentibus carnes ſalitas. *Rub. XXXIII.*

SAlaioli, Olearij, & alij omnes uendentes carnes ſalitas, aſſungiam ſeu lardum ad minutum, uel in groſſum in Ciuitate Vrbeuetana, vel eius Comitatu ſoluant, & ſoluere teneantur vnum denarium pro qualibet libra carnium aſſugnæ, ſeu lardi, & teneantur, & debeant dicti ſalaioli, olearij, & alij omnes uendentes, & uenditores præfati ante venditionem ipſarum rerum, ipſas res quas uenales haberent, aſsignare Officiali dictæ collectæ ad hoc deputando, cum ponderis declaratione ipſarum rerum, ad pœnam uigintiquinque librarum denariorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet uice, & minus, prout diſcretioni Officialis collectæ uidebitur cōuenire, habito reſpectu ad qualitatē, & quantitatem rei non aſsignatæ.

De Molendinarijs macinantibus Oliuas & Guatū. *Rub. XXXIV.*

QVilibet tenens molendinum ad macinandum oliuas, ſeu guatum ſoluat, & ſoluere teneatur dicto Gabellario quolibet anno pro quolibet molendino macinante, ſeu cum quo macinauerit oliuas, uel guatum, ſolidos viginti denariorum de menſe Nouembris.

De Tintoribus. *Rub. XXXV.*

TIntores vero ſoluāt, & ſoluere teneātur quolibet anno pro qualibet caldaria Artis maioris, dicto Gabellario ſolidos quadraginta denariorum: & pro quolibet caldaiolo in quo tingitur endicum, uel uerzinum, pro quolibet anno ſolidos quinque denariorum: Et pro qualibet tina in qua tingitur guatum, pro quolibet anno ſolidos quindecim denariorum: & prædictæ pecuniæ & quantitates pecuniarum ſoluantur dicto Gabellario de menſe Nouembris.

De Fornaciarijs. *Rub. XXXVI.*

FOrnaciarij uero fornacem collentes teneantur, & debeant ſoluere ſupradicto Gabelllario pro dicta collecta, pro qualibet fornaciata vrciorum, uaſorum, & panatarum, cotarum pictarum, & nō pictarum, & fiat & fieri debeat ſolutio dicto Gabellario antequam accendatur fornax, ſolidos quatuor denariorum.

Et pro qualibet fornaciata tebularum, canalium, mattonorum, ſiue pianellarum, antequam accēdatur fornax, ſolui debeat dicto Camerario ſolidos decem denariorum.

Et pro qualibet fornaciata calcinæ quę per venditorē mēſurari de-

beat ad iuſtum quartengum Communis, ſolidos decem denariorum:& vbi verteretur dubium quot quartengorum ſit ſalma calcinæ, intelligatur ſalma calcinæ de quatuor quartenghis.

Et de omnibus dictis fornacibus, ſeu fornaciatis ſoluatur collecta per prædictos, vt ſuperius dictũ eſt antequam ignis accendatur in fornace, ad pœnam centum ſolidorum pro quolibet contrafaciente,& qua libet uice.

Gabella piſcium. Rub. XXXVII.

NVlla perſona cuiuſcumque ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtat audeat vel præſumat aliquo modo, uel quæſito colore uendere aliquod genus piſcium in dicta Ciuitate Vrbiſueteris, & & eius Burgis,& ſuburgis:& Burgi, & ſuburgi intelligantur ut ſupra declaratur in Gabellis carnium, & vini, niſi prius per venditorem fuerint aſsignati Emptori dictæ Gabellæ piſcium, & in præſentia dicti Gabellarij põderati per Ponderatorẽ Cõmunis Vrbiſueteris, qui fuerit Emptor Gabellæ extraordinariorum, & ad præcium quod imponeretur per Dominos Conſeruatores pro tempore exiſtentes:& teneatur ſoluere dicto Gabellario Gabellæ piſciũ ſolidos ſexdecim, &denarios octo pro quolibet centenario dictorum piſcium: De calcinis autem ſaltarellis teneatur ſoluere ſolidos octo, & denarios quatuor pro quolibet centenario per eum uendito, immediate poſt dictam venditionem factam: Et contrafaciẽs in aliquo prædictorum incurrat pœnã decem librarũ, pro medietate applicandarũ dicto Emptori, & pro quarta parte Officiali executionem facienti, & pro alia quarta parte Cameræ Communis Vrbiſueteris: De piſcibus autem qui caperentur in flumine Paleæ, ſeu in alijs Fluminibus, ſeu Foſſatis, aut alijs locis non diſtantibus à dicta Ciuitate per tria miliaria, nihil ſoluatur dicto Gabellario, dummodo capiens ipſemet uendat Ciuibus in loco deputato, & non alijs qui dictos piſces reuenderent, quo caſu teneatur ad omnia ſupradicta.

Item uendens piſces teneatur vendere in locis congruis, & deputatis, & conſignandis per Dominos Conſeruatores dictæ Ciuitatis pro tempore exiſtentes, ad dictam pœnam.

Itẽ ſi quis uẽdiderit piſces, & non dederit iuſtum pondus incidat in pœnam quadraginta ſolidorum pro qualibet vice, applicãdorũ ut ſupra.

Item ſiquis ex dictis vendentibus vẽdiderit piſces putridos, ſiue macilẽtos, aut aliquem defectũ habentes, incidat in pœnã decẽ librarũ denariorũ applicãdorum ut ſupra: Et an ſint alicuius defectus, ſtetur declarationi Dominorum Conſeruatorum pro tempore exiſtentium.

Gabella

Gabella Signi Menſurarum, & Ponderum. Rub. XXXVIII.

QVicumque teneret bilanzas, marchios, pondera, ſtateram, ſeu alias menſuras cum quibus emeretur, uel uēderetur, teneatur & debeat ipſas bilanzas, pōdera, ſtateram, & alias menſuras quolibet anno adiuſtari, & ſigillari facere ſemel tantum in anno, uidelicet de menſe Ianuarij per Officialem ad hoc ponendum, qui habeat pro ſuo ſalario & labore, quatuor denarios, exceptis Aromatarijs, à quibus nō poſſit petere uel habere pro adiuſtatione, & ſignatura eorum ponderum, ultra duos denarios pro quolibet petio pōderis, uidelicet pro quolibet ſigno, ut hactenus extitit conſuetum, & reformatum manu Ser Ioannis Antonij Ferentini, tūc Cancellarij dicti Communis: Et talis faciēs adiuſtari, & ſigillari ſoluat, & ſoluere teneatur Gabellario dictæ collectæ pro ipſa collecta, pro huiuſmodi adiuſtatione, & ſigillatione, quolibet anno infraſcriptas pecuniarum quantitates.

Pro quolibet marco cuiuſcumque generis exiſtat, ſolidos duos.

Pro quolibet pari bilanzarum, ſolidum unum.

Pro quolibet baſſetto ſolidum unum: Pro qualibet menſura lignea uel uaſea, ſolidum unum: Pro qualibet ſtatera ponderis centum librarū, & ab inde ſupra, ſolidos decem: Pro qualibet ſtatera ponderis à centum libris infra, ſolidos tres: Et quicumque teneret aliquam menſuram vel pondus cuiuſcumque generis fuerit, non adiuſtatum, uel non ſigillatum, vt dictum eſt ab Officiali Communis, ſeu dictæ collectæ, qui ad hoc poſitus fuerit, cum qua menſura, uel pondere menſuraretur, uel pōderaretur cauſa emendi, uel uendendi, ſoluat & ſoluere teneatur dicto Gabellario nomine pœnæ pro qualibet menſura, uel marcho, uel alio pondere, ſolidos uiginti denariorum: & ſi pondus, uel menſura non ſigillatum, uel non ſigillata reperiretur non iuſtum, uel non iuſta, quadraginta ſolidos denariorum pro quolibet pondere, uel menſura ſoluere teneatur: Et prædicta locum non habeant, quo ad paſſettum, in mercatoribus pannorum lanæ, qui pro adiuſtatura, & collecta paſſetti nihil ſoluere teneantur, nec ipſum paſſettum teneantur facere adiuſtari, uel ſigillari per Officialem ſupradictum: dummodo paſſettus ipſorum, & cuiuslibet eorum ſit iuſtus, & ſigillatus ſigno deputato per Artem ipſorū, & ſi iuſtus non fuerit, retinens eum, & cum eo menſurans, ſoluat pœnam in præſentibus ordinamentis contentam.

Gabella Columnæ. Rub. XXXIX.

NVlla perſona cuiuſcumque ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtat, audeat uel præſumat uendere in dicta Ciuitate, & eius Burgis, & ſuburgis infraſcriptas res, niſi primo aſsignauerit Gabellario Gabellæ Columnæ, & teneatur ſoluere, facta uenditione, infraſcriptas denariorum quantitates uidelicet.

Pro qualibet ſalma piſcium recentium.	ſol. 2.
Pro quolibet tinello tonninę.	ſol. 4.
Pro quolibet tinello polzonaghæ, & ſardellarum.	ſol. 3.
Pro qualibet decina auium minutarum.	den. 2.
Pro qualibet decina turdorum, & merularum.	den. 4.
Pro quolibet pari ſtarnarum.	den. 6.
Pro quolibet faſiano, & grug.	den. 6.
Pro quolibet pari columborum magnorum.	den. 3.
Pro quolibet pari columborum paruorum.	den. 2.
Pro quolibet pari anatrarum.	den. 4.
Pro quolibet centenario piſcium, & anguillarum inſalatarum.	ſol. 3.

Si quis uero portaret in Platea poma cuiuſcũque generis, ſoluat pro qualibet ſalma dicto Gabellario denarios ſex.

De qualibet ſalma herbarum, caparum, allij, porrorum, carotarum & cuiuſcumque alterius generis, ſoluat dicto Gabellario denarios ſex, & ab inde infra pro rata: liceat tamen Hortulanis qui ſoluunt extraordinarium dicto Communi, prædicta portare & uendere ſine aliqua ſolutione dictę Gabellæ.

Pro quolibet centenario circulorum qui uenderentur in Platea, ſolidos quatuor, & ab inde infra pro rata.

Pro quolibet apro cignali, & quolibet ceruo.	ſol. 10.
Pro quolibet taxone, ſiue ſpinoſa.	den. 6.
Pro quolibet capreolo.	ſol. 4.
Pro quolibet lepore.	ſol. 1.
Pro quolibet lupo ceruerio.	ſol. 3.
Pro qualibet uulpe.	ſol. 1.
Pro quolibet pari turtulorum.	den. 2.

Et quilibet contrafaciẽs incidat in pœnam uiginti ſolidorum, applicandorum pro tertia parte Cameræ Communis Vrbiſueteris, pro alia tertia parte dicto Gabellario, & pro alia Officiali executionẽ faciẽti.

Item quod nullus poſsit dictas res emere cauſa reuendendi, niſi primo ſteterint affixæ ad columnas per quatuor horas, ſub dicta pœna: & quilibet poſsit accuſare, & credatur cum iuramento, & uno teſte teſtificante

ficante de uiſu, & habeat quartam partē pœnæ in dicto caſu dictus Accuſator, uel Denunciator.

Item quod in omnibus & ſingulis ſuperius non ſpecificatis procedatur, & exigatur de ſimilibus ad ſimilia: & Notarius extraordinariorum faueat dicto Gabellario: & ſi aliquod dubiū eſſet inter pręfatos Gabellarios, & quoſcumque alios, ſtetur declarationi fiēdę per Dominos Conſeruatores, & Notarium extraordinariorum, qui tunc in Officio erunt.

Gabella Menſurarum Plateæ. Rub. XL.

IN primis ſtatuerunt, & ordinauerunt quod nulla perſona cuiuſcumque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat, audeat uel præſumat uēdere aliquod genus frumenti, leguminis, & aliorum fructuū in Platea Populi dictæ Ciuitatis, niſi cum menſuris Communis aſsignatis, & aſsignandis per Dominos Conſeruatores pro tēore exiſtentes, Emptori dictæ Gabellæ menſurarum, ad pœnam uiginti ſolidorum pro quolibet contrafaciente: & teneatur quilibet Vēditor ſoluere dicto Gabellario, pro qualibet mēſuraquā fecerit de dictis rebus, denarios duos pro labore & mercede ipſius Gabellarij: & portans granum, uel aliud bladum, uel legumina ad uendendum in dicta Ciuitate ab extra, non poſſit uendere in aliquo alio loco, quam in Platea Populi, ſub dicta pœna.

Item quod liceat cuilibet Ciui tam in Ciuitate, quam in Comitatu uendere omne genus bladi, & leguminum, ſeu fructuum cum mēnſuris iuſtis in eorum domibus, & ubi eis placebit, niſi in Platea in qua debeat menſurare cum dictis mēſuris Communis, & ſoluere prout ſupra: ſi uero aliquis repertus fuerit uendere cum menſura non iuſta, teneatur ad ſupradictam pœnam: cuius pœnę medietas ſit dicti Gabellarij, quarta Communis Vrbiſueteris, & alia quarta Officialis executionem faciētis de prædictis.

Gabella ſigni Barilium. Rub. XLI.

DE menſe Septembris anno quolibet uendatur Gabella ſigni barilium, & dictus Gabellarius teneatur ad inſtantiam cuiuslibet petentis adiuſtare, & ſigillare omnia barilia, & non poſsit pro dicta adiuſtatione & ſignatura ab aliquo petere ultra duos ſolidos denariorum pro quolibet pari barilium, ad pœnam centum ſolidorum: & ſub dicta pœna non poſsit adiuſtare aliquod barile quod tranſcenderet ultra duas foglie ttas ſupra menſuram debitam, quę menſura debita intelligatur,

telligatur, & ſit uigintiſeptem pittitorum pro quolibet barile, & ſi inueniret aliquod barile tenere unam, uel duas fogliettas ultra ſupraſcriptam menſuram poſsit petere, & accipere ultra duos ſolidos, ſolidum unũ pro qualibet foglietta, & dictum barile habeat pro iuſto.

Si autem eſſet aliquod barile maioris capacitatis, & minoris uigeſimiſeptimi pittitorum, non poſsit nec debeat dictus Gabellarius dictum barile adiuſtare ſub dicta pœna centum ſolidorum, applicandorum pro medietate Cameræ Communis Vrbiſueteris, pro quarta parte Officiali facienti executionem, & pro alia quarta parte Accuſatori uel denunciatori.

Item ſi quis uoluerit emere uinum, teneatur ſignari facere ipſa barilia per dictum Gabellarium, ad pœnam uiginti ſolidorum pro quolibet pari barilium, & ſoluere ſupraſcriptam Gabellam pro dicta adiuſtatione & ſignatura: Ad quam pœnam non intelligãtur Forenſes, & Comitatiui, & alij non habitantes in dicta Ciuitate.

Item quod nullus poſsit uendere uinum dictis Forenſibus, & Comitatiuis, niſi cum barilibus ſignatis, ſub dicta pœna uiginti ſolidorum: & facta dicta menſuratione, ſeu emptione cum dictis barilibus ſignatis, liceat dictis Comitatiuis, & Forenſibus portare, & portari facere in barilibus, brocchis, & quocumque alio genere menſurarum, etiam ſi non eſſent ſignatæ.

Item quod tenentes barilia pro eorum uſu, non teneantur facere ſignare, niſi cum dictis barilibus uenderent, uel emerent uinum, quo caſu teneantur ad omnia ſupraſcripta.

De venditione Piſcationis Paleæ, & Clanarum. Rub. XLII.

MAgnifici Domini Conſeruatores pro tempore exiſtentes teneãtur, & debeant per totum menſem Aprilis uendere piſcationẽ fluminis Paleæ, & Clanarum pro uno anno plus offerenti: & nullus poſsit facere in dictis fluminibus ſine licentia dicti Emptoris aliquã cannicciam, ſeu immittere martauellos, uel aliquod genus retium attrauerſantium integrum lectum fluminis, ſub pœna decẽ librarum, & de nocte duplicetur, & nihilominus elleuare teneatur, & dicto Emptori liceat de facto deuaſtare, & accipere dicta retia: Liceat tamen omnibus perſonaliter cum quocumque alio genere retiũ, ſeu lamorum piſcari in ipſis fluminibus abſque aliqua alia ſolutione, ſeu licẽtia dicti Emptoris: cuius pœnæ medietas ſit dicti Emptoris, quarta pars Communis Vrbiſueteris, alia Officialis facientis executionem de prędictis.

Quod

Quod Gabellarij teneantur facere bannire eorum Capitula. Rub. XLIII.

NE prætextu ignorantiæ aliquis ualeat ſe excuſare, ſtatuerunt, & ordinauerunt quod quilibet Gabellarius teneatur , & debeat in principio ſui Officij bãniri facere omnia, & ſingula ſtatuta,& capitula ſuæ Gabellę, maxime pœnalia, in locis publicis & conſuetis, ita & taliter quod omnibus innoteſcant.

Quod Molendinarij macinantes bladum ſoluant Collectam Gabellario Pedagij. Rub. XLIIII.

MOlendinarij uero Molendinorum Ciuitatis, & Comitatus Vrbiſueteris macinantium bladum, ſoluant & ſoluere teneantur Gabellario Pedagij pro quolibet molẽdino, quolibet anno, libras quatuor denariorum: & ſi molendinum macinauerit ad accoltam, ſoluat quadraginta ſolidos denariorum pro ipſo molendino quolibet anno de menſe Nouembris.

De Fraudantibus Gabellas. Rub XLV.

ITem ſtatuerunt, & ordinauerunt quod in omnibus & ſingulis pœnis, ſeu delictis in ſupraſcriptis Gabellis nõ expreſsis, & in quibus nõ eſſet facta mẽtio ſpecialis, fraudantes ipſas Gabellas, ſi debita Gabella eſſet uſque ad octo denarios, & ab inde infra, teneatur fraudans ſoluere pro quolibet denario duodecim denarios: Si autem debita Gabella eſſet ab octo denarijs ſupra, ſoluat fraudans libras uigintiquinque denariorum, & ultra dictas xxv. libras, duodecim denarios pro quolibet denario debitę Gabellę, applicandos pro medietate Emptori, pro quarta parte Camerę Communis Vrbiſueteris, & pro alia quarta parte Officiali de prædictis facienti executionem.

Quod omnes Gabellarij habeant terminum ſex Menſium ad exigendum poſt finitum tempus Gabellarum. Rub. XLVI.

ITem quod omnes & ſinguli Gabellarij quarumcumque Gabellarum, habeant terminũ ſex mẽſium poſt finitam Gabellam ad exigendum: poſtea uero nullum Ius eis competat ad exigendum, nec liceat exigere aliquo modo ab aliquo aliquid occaſione dictarum Gabellarum: & illud quod ſupereſſet ex dictis Gabellis, elapſo dicto termino, ſpectet & pertineat pleno iure ad Montẽ Pietatis dictæ Ciuitatis, & per Depoſitarium dicti Montis pro ipſo Monte exigatur omni meliori modo.

Finis Libri ſexti.

TABVLA RVBRICARVM STATVTORVM MAGNIFICÆ CIVITATIS VRBISVETERIS

LIBER PRIMVS.

De regimine Ciuitatis.

DE Officio DD. Conſeruatorum Pacis.	fol. 5. Rub. 1.
De electione imbuſſulatorum, & Buſſulo Officiorum.	8. Rub. 2.
De electione, iuramento, & Officio Poteſtatis.	10. Rub. 3.
De iuramento Iudicis Poteſtatis.	20. Rub. 4.
De iuramento Socij Militis, & eius Officio.	21. Rub. 5.
De electione, iuramento, & Officio Cancellarij Communis.	24. Rub. 6.
De Officio Tubatorum Communis.	26. Rub. 7.
De Officio Maſſarij Communis.	eod. Rub. 8.
De electione Camerarij Communis, & eius Notary, & eorum Officio.	27. Rub. 9.
De electione Sindici ad defendendum cauſas Communis.	30. Rub. 10.
De Officio Reuiſorum Camerarij Communis, & aliarum rationum.	31. Rub. 11.
De electione Depoſitarij Communis.	33. Rub. 12.
De Superſtitibus, & Depoſitario Montis Pietatis.	35. Rub. 13.
De electione Anterionum Ciuitatis.	38. Rub. 14.
De Balitoribus Communis & eorum Officio.	eod. Rub. 15.
De Camerario, Superſtitibus, & Notario Operis & Fabricæ Sanctæ Mariæ.	39. Rub. 16.
De Rectore Hoſpitalis Sanctæ Mariæ de Stella, & eius Superſtitibus, & Notario.	41. Rub. 17.
De Superſtitibus Cannellatus, & ſtratarum.	42. Rub. 18.
De Medianis & Pacerijs eligendis.	eod Rub. 19.
Quod nullus poſſit inſeruire in aliquo Officio per ſubſtitutum.	43. Rub. 20.
De Maneſchalchis eligendis ad Ronzinos æſtimandum.	eod. Rub. 21.
De electione Notarij qui habeat remittere donationes, & de donationibus inſinuandis.	44. Rub. 22.
De electione Notarij Cataſteriorum.	eod. Rub. 23.
De electione Partitorum & Viariorum Communis, & eorum Iudicis, & Notarii, & eorum Officio.	45. Rub. 24.
De Conſilio generali, & Duodecim.	48. Rub. 25.
De Vicecomitibus, Vicariis, & Poteſtatibus Caſtrorum Comitatus.	51. Rub. 26.
De Officio Ponderatoris farinę.	52. Rub. 27.
De Correctoribus Statutorum Artium, & Pleberiorum Ciuitatis Vrbiſueteris.	54. Rub. 28.
De Fontaneriis eligendis pro aquæductu.	eod. Rub. 29.
De Oratoribus ſeu Ambaſciatoribus Communis.	55. Rub. 30.
De Officio Cultoris tertiariarum ſubſidii.	56. Rub. 31.
De Cultore ſalis, & Diſpenſatore.	58. Rub. 32.

TABVLA.

De Scriptoribus librorum. fol. 60. Rub. 33.
De Aſſignatore Aſsignę. eod. Rub. 34.
De Cultore Aſsignæ. 61. Rub. 35.
De Cultore libri ſpeculi. 62. Rub. 36.
De æſtimatoribus Communis. 63. Rub. 37.
De Notarijs cauſarum ciuilium. eod. Rub. 38.
Quod Notarii ſcribant bona fide integre, & non per ſillabas & dictiones, & de mercede ſcripturarum. 64. Rub. 39.
Quod omnes Carnaioli, & Macellarii habeant vnum ſtatutum. 66. Rub. 40.
Quod beſtiæ vendi poſsint ubique in Ciuitate, exceptis locis infraſcriptis. 67. Rub. 41.
De Venditoribus piſcium. eod. Rub. 42.
Quod Poteſtas teneatur facere iurare Treccolos, & Olearios de menſe Ianuarii. 68. Rub. 43.
De iuramento Molendinariorum, & dictam Artem exercentium. eod. Rub. 44.
Quod Fornarii iurent eorum Artem legaliter exercere. 69. Rub. 45.
Quod Poteſtas teneatur facere iurare Teſtores & Teſtrices. eod. Rub. 46.
De Officio Superſtitum Nundinarum, & de ipſis Nundinibus. 70. Rub. 47.
Quod Petraioli, & Conciatores lapidum, & Cariatores arenæ iurent eorum Artem legaliter exercere. 71. Rub. 48.
Tegularii, & Macinarii iurent eorum Artem. 72. Rub. 49.
Quod Calcinarii, & Carriatores iurent. 73. Rub. 50.
Quod Macinarii teneantur laborare. eod. Rub. 51.
De conſuetudinibus Artium conſeruandis. eod. Rub. 52.
De legum Doctoribus, & Magiſtris liberalium Artium, & Scolaribus eorundem. 74. Rub. 53.
De Proxenetis. eod. Rub. 54.
De venditione Piſcationis fluminum Paleæ, & Clanarum. eod. Rub. 55.
De illo qui abſtulerit terras de aliqua Communantia. 75. Rub. 56.
De immunitate concedenda Hominibus venientibus ad habitandum ad Ciuitatem noſtram. eod. Rub. 57.
Quod Ciues habentes poſſeſsiones in Diſtrictu noſtro, habeant eas liberas. 76. Rub. 58.
De nouis ædificiis faciendis in Ciuitate, & Comitatu. 77. Rub. 59.
De Guerra mota, & damno dato noſtris Ciuibus extra Iurisdictionem noſtram. eod. Rub. 60.
De Officio Cataſteriorum Communis. eod. Rub. 61.
Quod Artes Ciuitatis in proceſsionibus Corporis Chriſti, & Aſsumptionis Beatæ Mariæ, debeant pręcedere, & de pœna facientis contra. 79. Rub. 62.
Quod Ciues non habitantes continuò in Ciuitate, teneãtur ſoluere omnia onera & factiones quas ſoluunt Homines loci in quo habitant. eod. Rub. 63.
Quod Villa Sancti Leonardi de Montanea Carnaiolæ, ſit ſub Iurisdictione, & Pleberio Pineti. 80. Rub. 64.
Quod nulla perſona cogatur ſeruire niſi per libram. eod. Rub. 65.
De cautione recipienda à Comitibus, & alijs ſuſpectis ne offendant Ciuem. eod. Rub. 66.
Quod Pecudarii extranei curent de damno non faciendo. eod. Rub. 67.
De cura recipienda à Ciuibus euntibus ad Officia. 81. Rub. 68.
De inſtrumentis & iuribus Communis. eod. Rub. 69.
Qualiter requirantur Pleberia, & Caſtra, quod veniant ad Feſtum Sanctæ Mariæ de Menſe Auguſti. 82. Rub. 70.
Quod Conſules, & Camerarii Artium teneantur in Feſto Corporis Chriſti, & in vigilia Sanctæ Mariæ de menſe Auguſti, facere & offerre Cereos, & de pœna facientis contra. eod. Rub. 71.
De Repreſaliis concedendis. 83. Rub. 72.
Quod Domini Conſeruatores in primo generali conſilio faciant prępoſitam de Tenutis Communis recuperandis. eod. Rub. 73.
Quod Comitatiui venientes ad Ciuitatem infraſcriptis diebus, non poſsint capi. eod. Rub. 74.
De Arte Hoſpitatorum. 84. Rub. 75.
Quod nullus habeat Officium, qui datia & banna Communi Vrbeuetano non præſtet. eod. Rub. 76.
De pœna beſtiarum paſcuantium in Agro Vrbeuetano. eod. Rub. 77.
Quod Notarius decedens committat abbreuiaturas ſuas. 89. Rub. 78.

Quod

TABVLA.

Quod ille qui emit res, vel Gabellas, & non ſoluit præcium cogatur ad ſolutionem. fol.90. Rub.79.
De illo qui recepit præcium à Communi de aliqua re vel opere faciendo. eod. Rub.80.
Quod contractus celebrati inter Commune Florētię, & Commune noſtrum obſeruentur. eod. Rub.81.
Quicumque operatur Artem teneatur iurare Artem Conſulibus Artium. 91. Rub.82.
Quod non recipiatur aliquid de Arte lanæ in pignore. 92. Rub.83.

Liber ſecundus cauſarum ciuilium.

De modo & ordine procedendi in cauſis ciuilibus. 93. Rub. 1.
De productione mandatorum & legitimatione perſonarum. eod. Rub. 2.
De interrogationibus faciendis ad præparationem litis. 95. Rub. 3.
De Libelli oblatione, & citatione. 97. Rub. 4.
Ordo agendi contra hęredes incertos. 98. Rub. 5.
De Curatore dando ad lites. 99. Rub. 6.
De Aduocato, & Procuratore dando Partibus. 101. Rub. 7.
De iuramento litis deciſiuo. 102. Rub. 8.
De contumacia Actoris vel Rei. 103. Rub. 9.
De tenuta danda ex primo Decreto. 104. Rub. 10.
De reuocatione tenutæ datæ ex primo Decreto. 105. Rub. 11.
De refectione expenſarum. eod. Rub. 12.
De ſecundo Decreto & venditione tenutę datę ex primo Decreto. 106. Rub. 13.
De proceſſu fiendo Parte comparente, de litis conteſtatione, & iuramento calumnię. 107. Rub. 14.
De termino ad probandum. 108. Rub. 15.
De poſitionibus & articulis, & reſponſione facienda per Partes. eod. Rub. 16.
De productione interrogatoriorum, & teſtium examinatione. 109. Rub. 17.
De Teſtibus examinandis. eod. Rub. 18.
De publicatione proceſſus. 110. Rub. 19.
De productione exceptionum contra teſtes, & proceſſum. 111. Rub. 20.
De productione inſtrumentorum, & exceptionibus cōtra ipſos, & probatione ipſarum. eod. Rub. 21.
De tempore ferendę ſententiæ. 112. Rub. 22.
De Conſilio ſapientis in cauſa dando. eod. Rub. 23.
De termino inſtantiæ cauſę ordinarię. 113. Rub. 24.
De tertio Contradictore. 114. Rub. 25.
Quod Victus Victori condemnetur in expenſis. eod. Rub. 26.
Quod prædicta ſtatuta ſeruentur. 115. Rub. 27.
De cauſis ſummarie cognoſcendis. eod. Rub 28.
De cauſis pertinentibus ad Militem ſocium. 116. Rub. 29.
De cauſis Sindicatus Officialium. 117. Rub. 30.
De cauſis compromittendis & compromiſsis. eod. Rub. 31.
Quod ordo prædictus ſit ordo iudiciarius, & ſeruetur. 119. Rub. 32.
De limitatione feriarum. eod. Rub. 33.
De termino dando ad ſoluendum. 121. Rub. 34.
Quod pro debito ciuili, uel criminali non mittatur in carcerem ſi idonee ſatisdederit, uel ſatisdare voluerit de non diſcedendo de Palatio, & de requiſitione pręſentiæ. 123. Rub. 35.
De ſuſpecto fugitiuo capiendo. eod. Rub. 36.
Quod pro debito Vniuerſitatis quilibet de dicta Vniuerſitate poſsit capi. 124. Rub. 37.
Quod boues, & vaccæ ferentes graſciam, & abreuiaturę alicuius Notarij non accipiantur in tenutam pro aliquo debito. 125. Rub. 38.
De debito vnde appareat publicum inſtrumentum. eod. Rub. 39.
De pœna petentis debitum iam ſolutum. 126. Rub. 40.
Qualiter reddatur ius Forenſi contra Ciuem. eod. Rub 41.
Quod Debitor cogatur ſeruare promiſsionem Creditori ſuo. eod. Rub. 42.
Quod fideiuſſor à fideiuſſore conſeruetur indemnis. 127. Rub. 43.
De illo qui voluerit cedere bonis. 128. Rub. 44.

TABVLA.

Quod Ciues habitantes in Ciuitate, non poſsint conueniri in Comitatu. fol. 128. Rub. 45.

Quod nullus recipiat ab extraneo iura contra Ciuem. 129. Rub. 46.

Quod alienatio facta occaſione maleficii perpetrandi non valeat. eod. Rub. 47.

De illo qui malefecerit facta ſua. eod. Rub. 48.

Qualiter procedatur in quæſtionibus liuellarijs & emphiteoticis, & alijs præſtationibus. 130. Rub. 49.

Qualiter & quando ad Poteſtatem appelletur. 131. Rub. 50.

De appellationibus & quærelis interponendis ab interlocutoria, & alijs grauaminibus. eod. Rub. 51.

De appellationibus interponendis à diffinitiuis. eod. Rub. 52.

Quod nullus inuadat ſua authoritate tenutam bonorum alicuius Defuncti. 132. Rub. 53.

De illo qui rem aliquam poſſedit bona fide ſpatio decem annorum. eod. Rub. 54.

De ſucceſsione ab inteſtato. 133. Rub. 55.

Quod nulla Mulier dotata uel dotanda ſuccedat in bonis paternis, nec maternis ſi ſuperſunt fratres carnales. 134. Rub 56.

Quod Mulier non poſsit renuntiare bonis paternis, neque maternis. eod. Rub. 57.

De Muliere decedente. 135. Rub. 58.

Quod tutela tutricis nubentis concedatur proximiori, & digniori conſanguineo. 136. Rub. 59.

Quod Tutor teneatur reddere rationem. 137. Rub. 60.

De probatione conſanguinatis, affinitatis, mortis, ætatis, vel Notariatus. eod. Rub. 61.

Quod in vltimis voluntatibus non requiratur numerus teſtium à lege introductus. eod. Rub. 62.

De hærede quando quis ſe hæredem facit. eod. Rub. 63.

Quod decedens viuente filio, vxori aliquid legare vel donare non poſsit. 138. Rub. 64.

De vſufructu vxori relicto à viro. eod. Rub. 65.

Quod Filia bona paterna occupare poſsit, donec de relicto fuerit ſibi ſatisfactum. eod. Rub. 66.

Quod filij pro vitæ neceſsarijs de bonis hæreditatis vendere poſsint, non obſtante fideicommiſſo & donatione. 139. Rub. 67.

Quod inſtitutus, & ſubſtitutus integram habeant hereditatem. eod. Rub. 68.

Quod nulla perſona audeat maritare pupillam. eod. Rub. 69.

Quod Auus, & Patrui teneantur dotare Nepotes. 140. Rub. 70.

Quod Maritus bona Vxoris noſtræ iuriſdictionis alienare non poſsit. eod. Rub. 71.

Quod Mulier alterius iuris dictionis poſsit relinquere dotem ſuam cui voluerit. eod. Rub. 72.

De terminanda re dotali cum aliqua re coniuncta. 141. Rub. 73.

De dote reſtituenda Matrimonio ſoluto. eod. Rub. 74.

De dote reſtituenda Mulieri propter maleficium à Viro commiſſum. 142. Rub. 75.

De Vxore volente agere contra Virum vergentem ad inopiam. eod. Rub. 76.

Quod Ciues non vendant poſſeſsiones alicui extraneo. 143. Rub 77.

Quod ſi Paterfamilias maior quattuordecim annis contraxerit coram Iudice, contractus teneat. eod. Rub. 78.

Quod contractus Filij familias non teneat niſi publice negociaretur. eod. Rub. 79.

De Famulis certa mercede conductis. 144. Rub. 80.

Contra illos quibus eſt bonis interdictum. eod. Rub. 81.

Quod qui laborauerit in maeſe laboret in culte. eod. Rub. 82.

De illis qui conduxerint ſiluas ad ſterpandum. 145. Rub. 83.

Quod Paſtinarius perdat poſtitium ſi non laborauerit congruo tempore. eod. Rub. 84.

Quod Poteſtas ſeruet & ſeruari faciat pacta & cõuentiones inter dominos, & manẽtes. 146. Rub. 85.

De permutatione facta cum aliquo extraneo ab homine noſtrę iuriſdictioni ſubiecto. eod. Rub. 86.

De ſoccita facta cum ruſtico. 147. Rub. 87.

Quando contractus præſumuntur ſimulati. eod. Rub. 88.

De iure congrui. eod. Rub. 89.

De exceptione preſcriptionis perſonalium actionum. 149. Rub. 90.

De Molendinis. eod. Rub. 91.

De arredio, & dotis interuſurio. 150. Rub. 92.

De parietibus communicandis. eod. Rub. 93.

TABVLA.

Liber tertius Maleficiorum.

DE Officio Iudicis. fol.151. Rub. 1.

Qualiter procedatur in delictis contra contumaces. 152. Rub. 2.

Qualiter procedatur in delictis contra Reum comparentem. 153. Rub. 3.

De pœna imponēda Anterionibus, & Sindicis Comitatus nō deferētibus maleficia. 155. Rub. 4.

De mitigatione pœnarum. 156. Rub. 5.

In quibus caſibus pœnę duplicentur. eod. Rub. 6.

De pœna non probantis accuſam. 157. Rub. 7.

De abolitione concedenda, vel non. eod. Rub. 8.

In quibus caſibus quis poſsit poni ad torturam. 158. Rub. 9.

De ſententijs ferendis, & modo in ipſis retinendo. 159. Rub. 10.

De executionibus ſententiarum per Officiales ferendarum. eod. Rub. 11.

De pœna Blasfemantium Deum, & Virginem Mariam, & alios ſanctos. 160. Rub. 12.

De pœna homicidij, & veneficij. eod. Rub. 13.

De offenſionibus & percuſsionibus factis cum armis & lapidibus, & quod liceat percuſſo repercutere percuſſorem ſuum. 161. Rub. 14.

De pœna percutientium ſine armis, & ſpuentium in facie, vel alia parte corporis. 163. Rub. 15.

De aſſaſsino, & fieri faciente aſſaſsinariam & delicta. eod. Rub. 16.

De pœna inſultantis aliquem cum armis & ſine armis, & de pœna prohibentis alicui ne tranſeat ante domum ſuam. 164. Rub. 17.

De pœna dicentis alicui verba iniurioſa. 165. Rub. 18.

De pœna inceptoris rixæ. eod. Rub. 19.

De pœna ponentis ſeu mittentis aliquid turpe in os, ad collum, vel aliter in perſonam alicuius. 166. Rub. 20.

De pœna derobantis, & de fractoribus domorum, & de receptatoribus furum. eod. Rub. 21.

De facientibus alicui priuatum carcerem. 168. Rub. 22.

De pœna committentis falſitatem in ſcripturis monetis, vel alijs rebus quibuſcumque. 169. Rub. 23.

De pœna proditorum Communis Vrbiſueteris. 170. Rub. 24.

De Exbannitis, & eorum receptatoribus. 173. Rub. 25.

De pœna committentis adulterium, ſtuprum, aut inceſtum. 174. Rub. 26.

De pœna committentis ſcælus ſodomiticum. eod. Rub. 27.

De pœna Lenonum, ſiue Lenarum Mulierum. 175. Rub. 28.

Quod nulla Mulier teneat filiam, vel aliam in poſtribulo. eod. Rub. 29.

De Maleficis, & Mathematicis. eod. Rub. 30.

De Hęreticis, & Receptatoribus eorundem. 176. Rub. 31.

De Magnatibus, & alijs Nobilibus, Populares Ciues, & Comitatenſes offendentibus, vel offendi mandantibus. 178. Rub. 32.

Quod illa quæſtio dicatur criminalis pro qua pœna imponitur. eod. Rub. 33.

Quod procedatur de ſimilibus ad ſimilia, vbi certa pœna non reperitur. 179. Rub. 34.

De pœna offendentium Conſultorem, & alios Officiales. eod. Rub. 35.

De armis non portandis. eod. Rub. 36.

De pœna euntium poſt tertium ſonum campanæ. 180. Rub. 37.

De pœna ludentium ad taxillos, vel alium ludum in taberna, vel alibi. 181. Rub. 38.

De pœna dantis auxilium, conſilium, vel fauorem. 182. Rub. 39.

De modo mulctarum. eod. Rub. 40.

Quę pœna auferatur pro Filio delinquente. 183. Rub. 41.

De fractoribus pacis factæ. eod. Rub. 42.

De illo qui offenderit aliquem ex conſanguineis ſui offendentis. 185. Rub. 43.

De pœna illius qui ſe incaſtellauerit ſeu rebellauerit contra Commune Vrbeuetanum. eod. Rub. 44.

De pœna laborantium terras bannitorum ſitas in noſtro Diſtrictu. eod. Rub. 45.

De pœna percutientium aliquem de alto cum lapide vel alia re, & de pœna proiicientium lapides, vel aliud ſuper domum alicuius. 186. Rub. 46.

De pœna turbantis & moleſtantis aliquem in tenuta & poſſeſsione. eod. Rub. 47.

Quod habitatores noſtri Comitatus, poſſeſsiones Ciuiū, & Comitatēſiū laborare teneātur. 187. Rub. 48.

De pęna

TABVLA.

De pœna facientium eaualcatam contra Ciuitatem. ſol.187. Rub.49.
Quod homines & perſonæ noſtri Comitatus & Diſtrictus, & Sindici teneantur proſequi malefactores. 188. Rub.50.
De creatione Sindicorum Comitatus, & eorum Officio. 189. Rub.51.
De pœna amouentium terminos, & ſupraprehendentium de poſſeſsionibus alterius. 190. Rub.52.
De apontimine præcario conceſſo. 191. Rub.53.
De igne non faciendo in aliqua Feſtiuitate, & lignis non auferendis. eod. Rub.54.
De pœna vulnerantis uel interficientis Animal uel beſtias alicuius. eod. Rub.55.
Quod nullus prohibeat alium ædificare niſi ſecundum iura. 192. Rub.56.
Quomodo Minores quattuordecim annorum in delictis puniantur. eod. Rub.57.
Quod nulla Communantia noſtri Diſtrictus recipiat aliquem Officialem, niſi eum qui mitteretur à Communi noſtro. 193. Rub.58.
De adiuuando exfortiatum, & de repræſaliis. eod. Rub.59.
De pœna tenentis aliquem Notarium extraneũ in aliquo Officio Diſtrictus Vrbiſueteris. 195. Rub.60.
De pœna corrumpentis Officiales. 196. Rub.61.
De pœna periurantis. eod. Rub.62.
De pœna ementinm bladum in Platea cauſa reuendendi. 197. Rub.63.
Quod nullus trahat Ciuem, vel Comitatenſem ad aliam Curiam. 197. Rub.64.
De pœna prohicientium lapides, & bructuras in Eccleſiam S. Mariæ. eod. Rub.65.
Quod nullus vendat rem quam alius poſsidet. 199. Rub 66.
Quod nullus in noſtra Ciuitate condẽnatus, vel bannitus poſsit habere aliquod Officium. eod. Rub.67.
Quod Officiales, & Domini Conſeruatores noſtræ Ciuitatis teneantur quolibet menſe fieri facere Conſilium generale. 200. Rub.68.
Quod nullus audeat aliquid facere vel procurare contra noſtrum Commune. eod. Rub.69.
De non offendendo aliam perſonam, quam perſonam offendentem condemnatam. 201. Rub.70.
De modo tenendo quando campana Populi pulſatur ad martellum. 202. Rub.71.
Quod nullus confinatus, aut bannitus à cẽtum libris ſupra, poſsit habere aliquod Officium. eod. Rub.72.
Quod nullus Nobilis poſsit accipere tenutam de bonis alicuius Popularis. 203. Rub.73.
Quod nulla perſona debeat contra Officium Dominorum Conſeruatorum, vel Capitanei conſpirationem facere. eod. Rub.74.
De pœna fugientis de manibus Familiæ, & de fractoribus carcerum. eod. Rub.75.
De pœna extrahentis bladum vel graſciam. 204. Rub.76.
De pœna auferentium paſſagium vel collectam. 205. Rub.77.
De pœna deſtruentium domos. eod. Rub.78.
De vſurpantibus terras, & Caſtra noſtræ iuris dictionis. 206. Rub.79.
Si quis aliunde quam per Portas exierit, vel introierit. 207. Rub.80.
De pœna accedentium ad Monaſteria Monialium. eod. Rub.81.
Quomodo, & quæ moneta expendi debeat in noſtra Ciuitate, & iurisdictione. eod. Rub.82.
Quod liceat Domino vel Magiſtro Familiam ſuam verberare. 208. Rub.83.
De arbore pendente ſupra rem alterius. eod. Rub.84.
De lega Aquaiali, ſciaquatorio, & canali non claudendo, frangendo, vel aperiendo. 209. Rub 85.
Quod nullus deferat ligna niſi de menſura. eod. Rub.86.
Quod nulla Communantia noſtri Diſtrictus eligat in eius Officialem aliquam perſonam, niſi de Ciuitate Vrbiſueteris. 210. Rub.87.
De condemnationibus exigendis. eod. Rub.88.
Quod vnicuique liceat capere exbannitum. 211. Rub.89.
De gratiis faciendis de pœnis ſupradictis. 212. Rub.90.
Qualiter Apodixæ in condemnationibus debeant compenſari. eod. Rub.91.

Liber quartus damnorum datorum.

DE modo & ordine vendendi Officium D. D. 213. Rub. 1.
De Officio Emptoris Damnorum datorum. 214. Rub. 2.
De Officio Iudicis. 215. Rub. 3.
De Officio Notarij. 216. Rub. 4.

De Ba-

TABVLA.

De Baiulo, & eius Officio. fol. 216. Rub. 5.
De æſtimatoribus, & eorum Officio. 217. Rub. 6.
De Cuſtodibus celatis, & eorum Officio. 218. Rub. 7.
De Executoribus dicti Officij. 219. Rub. 8.
De Loco ius reddendi. eod. Rub. 9.
De modo & ordine procedendi in cauſis. 220. Rub. 10.
De modo procedendi contra Forenſes. 221. Rub. 11.
De modo denunciandi per Cuſtodes celatos. eod. Rub. 12.
In quibus caſibus procedi poſſit ex Officio. eod. Rub. 13.
Qui poſſint accuſare ſeu inquiſitionem facere. 222. Rub. 14.
De quibus locis, & quando poſſit accuſari. eod. Rub. 15.
De Inquiſitione formanda. 223. Rub. 16.
De inſtantia cauſarum dicti Officii. eod. Rub. 17.
De proſecutione cauſarum. 224. Rub. 18.
De excuſationibus, & defenſionibus admittendis. eod. Rub. 19.
Quando quis excuſetur ratione licentię. eod. Rub. 20.
De exceptionibus ratione perſonæ admittendis. 225. Rub. 21.
Qui excuſentur ratione loci. eod. Rub. 22.
Qui excuſentur ratione temporum. 226. Rub. 23.
Qui excuſentur ratione ætatis. eod. Rub. 24.
Vbi nullum eſt damnum, ibi nulla ſit pœna. eod. Rub. 25.
De teſtibus, & eorum examine. 227. Rub. 26.
De teſtium comparitione. eod. Rub. 27.
De iuramento damnum paſſi. eod. Rub. 28.
De pignoribus, & eorum conſignatione & fide. 228. Rub. 29.
De eo qui per uim recuperat pignora ablata. eod. Rub. 30.
De beneficiis admittendis in Officio. 229. Rub. 31.
De extractione accuſę. eod. Rub. 32.
De ſententiis, & earum notificatione. 230. Rub. 33.
De appellationibus, & earum inſtantia. eod. Rub. 34.
De extractu, & eius ſubſcriptione. 231. Rub. 35.
De pœna non probantis accuſam. 232. Rub. 36.
De eo qui in Officio deierauerit. eod. Rub. 37.
De diuiſione pœnarum. eod. Rub. 38.
De duplicatione pœnarum. 233. Rub. 39.
De emendatione damni. eod. Rub. 40.
De pœna accedentium, ſeu deuaſtantium Fontes. eod. Rub. 41.
De pœna ingredientium Hortos poſitos in Ciuitate, ſiue extra. 234. Rub. 42.
De pœna damnum dantium in Vineis, & Hortis ſine beſtijs. eod. Rub. 43.
De pœna damnum dantium in Vineis, & Hortis cum quocumque genere Animalium. 235. Rub. 44.
De ſubditis, & priuilegiatis Eccleſiæ D.D. in bonis Laicorum. eod. Rub. 45.
De pœna colligentium, & aſportantium fructus maturos, & non maturos. 236. Rub. 46.
De pœna aſportantium vuas ante vindemiam. eod. Rub. 47.
De pœna facientis raſpellum. 237. Rub. 48.
De pœna incidentium cippos vitium, ſeu arbores domeſticas. eod. Rub. 49.
De pœna auferentium vites, ſeu palos. 238. Rub. 50.
De pœna D.D. in Canneto. eod Rnb. 51.
De pœna D.D. in oliuetis cum beſtiis, vel ſine. eod. Rub. 52.
De pœna D.D. in clauſuris. eod. Rub. 53.
De Bannita, ſeu Diſtrictu. 239 Rub. 54.
De pœna D.D. in Pratis. 240. Rub. 55.
De pœna beſtiarum porcinarum intrantium poſſeſsiones afformatas. eod. Rub. 56.
De pœna D.D. cum beſtijs, uel perſonaliter in remiſsiccia, ſeu Palaria. 241. Rub. 57.
De pœna D.D. in lino, canape, ſeu canaponibus. eod. Rub. 58.

Qui

TABVLA.

Qui poteſt uendere herbam, ſeu alia paſcua. fol.241. Rub.59.
De pœna D.D. cum beſtiis, vel ſine in ſiluis, etiam incidendo. 242. Rub. 60.
De pœna auferentium ligna de poſſeſsione aliena. eod. Rub. 61.
De pœna D.D. in ſodis, & camporilibus. 243. Rub. 62.
De pœna D. D. in campo bladato. eod. Rub. 63.
De pœna immittentium Animalia in griptis, ſeu domibus alienis. 244. Rub. 64.
De pœna interficientium columbas. eod. Rub 65.
De pœna deuaſtantium Alueos Apum. eod. Rub. 66.
De pœna deuaſtantium ſæpes, aut muros, & ingomberantium alienas poſſeſsiones. 245. Rub. 67.
De pœna D.D. in hortis olerum ſeu poponorum. eod. Rub. 68.
De incendiariis, & incendiis. eod. Rub. 69.
De damnis illatis ab aliqua Vniuerſitate. 246. Rub. 70.
De damnis illatis à perſonis incertis. eod. Rub. 71.
De pœna negantis nomen ſuum. 247. Rub. 72.
Quando quis accuſatur habere plures beſtias, quam in ueritate habuerit. eod. Rub. 73.
Quod introitus cum D. D. non confundatur. eod. Rub. 74.
De interpetratione ſtatutorum. eod. Rub. 75.
Quod unum ſtatutum non tollat aliud. 248. Rub. 76.
Quibus ſtatutis debet vti Officialis. eod. Rub. 77.
Quod de damno dato non cognoſcatur per aliud Tribunal. 249. Rub. 78.
De libro Officii D.D. eod. Rub. 79.
De Sindicatu, & remiſsione librorum dicti Officii. eod. Rub. 80.

Liber Quintus extraordinariorum.

DE pœna eicientis, uel mittentis putredinem uel ſozzuram. 251. Rub. 1.
De pœna eicientis carnatum uel ſozzuram. eod. Rub. 2.
Quod nullus mittat manus immundas, vel vas in fontem. 252. Rub. 3.
Quod nulla perſona trahat aquam de aliquo fonte Ciuitatis cum tinella. eod. Rub. 4.
De pœna deferentis, uel remittentis intra Portam carnes morticinas. eod. Rub. 5.
Quod nullus prohiciat de Rupibus Ciuitatis ſozzuram in rem alterius. 252. Rub. 6.
Quod nullus porcus uel ſcropha uadat per Ciuitatem. 253. Rub. 7.
Quod nullus poſsit ſanguinare aliquod Animal in ſtrata à porta maiori, uſque ad portam puſterulam. eod. Rub. 8.
De pœna Tintorum, & aliorum prohicientiũ maltatam ſeu paſtatã, uel alias putredines. eod. Rub. 9.
De terra fundamenti tenenda per certum tempus, & de immunditiis Viarum. eod. Rub. 10.
De remuniendo ante domum quolibet die Sabbati. 254. Rub. 11.
Quod nullus prohiciat turpedinem in caſalenis aliorum, uel ſimilia. 255. Rub. 12.
De immunditia Plateæ Communis. eod. Rub. 13.
Quod nulla beſtia magagnata uadat per Ciuitatem. eod. Rub. 14.
Quod nullus eleuet lapidem de aliquo Ponte, uel muro Communis. eod. Rub. 15.
De pœna trahentium macinas per Pontes, & eius ſalciatas. eod. Rub. 16.
De pœna lauantis, uel turpitudinem aliquam facientis in aliquo fonte. 256. Rub. 17.
Quod Denunciator, uel Accuſator probet accuſam & denunciam quam uult facere cõtra ſuum denunciatorem, uel aliquem de ſua familia, per teſtes, & non per iuramentum. eod. Rub. 18.
De aqua non deriuanda per viam. eod. Rub. 19.
De pœna tenentium lignamina in viis publicis. 257. Rub. 20.
Quod nullus faciat Dominum in Taberna. eod. Rub. 21.
De Viis, Fontibus, Pontibus, & ſuprapræhenſis. eod. Rub. 22.
Quod in Molendinis, Aquis, & hortis ſeruentur conſuetudines Hactenus obſeruatæ. 258. Rub. 23.
De prouiſione habenda per Iudicem, quando per viam Communis iri non poſsit. eod. Rub. 24.
Quando quis poſsit ædificare in muro Communi. 259. Rub. 25.
De pœna ementis bladum in Platea cauſa reuendendi. eod. Rub. 26.
De auibus, caſeo, & ouis non emendis cauſa reuendendi. eod. Rub 27.
De carnibus diebus feſtiuis non uendendis. 260. Rub. 28.
De ornatu & pompa Mulierum. eod. Rub. 29.

De feſti-

TABVLA.

De feſtiuitatibus cuſtodiendis. fol.261. Rub.30.

Liber ſextus Gabellarum.

De ordine tenendo in venditione Gabellarum. 262. Rub. 1.
De rebus pertinentibus ad Artem Mercatorum ſoluere debentium Gabellario Gabellę pedagij. 266. Rub. 2.
De rebus pertinentibus ad Artem lanæ. 268. Rub. 3.
De rebus pertinentibus ad Artem calzolariorum. 269. Rub. 4.
De rebus pertinentibus ad Artem Merciariorum. 270. Rub. 5.
De rebus pertinentibus ad Artem Fabrorum. 273. Rub. 6.
De rebus pertinentibus ad Artem procacciantium 274. Rub. 7.
De rebus pertinentibus ad Artem ſalaiolum 275. Rub. 8.
De rebus pertinentibus ad Artem Funariorum eod. Rub. 9.
De rebus pertinentibus ad Artem Muratorum 276. Rub.10.
De rebus pertinentibus ad Artem Lignaminis. eod. Rub.11.
De rebus pertinentibus ad Artem Vaſcellariorum, & Tebulariorum. 277. Rub.12.
De vigliarijs & corbellis. eod. Rub.13.
De rebus pertinentibus ad Artem Pomariorum. eod. Rub.14.
Quanti ponderis ſit ſalma. 280. Rub.15.
Quod nulla Mercantia poſsit diſigillari. eod. Rub.16.
Pedagium pertinens ad Artem Mercatorum. 281. Rub.17.
De rebus pertinentibus ad Artem lanæ. 282. Rub.18.
De rebus pertinentibus ad Artem Merciantium. 283. Rub.19.
De rebus pertinentibus ad Artem procacciantium. eod. Rub.20.
De pœna euntium contra deuetum collectæ. 284. Rub.21.
De beneficio confeſsionis. 286. Rub.22.
Gabella carnium. eod. Rub.23.
Gabella vini. 288. Rub.24
Gabella mercatus. 291. Rub.25.
De ſalario Ponderatoris 294. Rub.26.
De rebus quæ venduntur ad pondus eod. Rub.27.
De emptoribus canapis. eod. Rub.28.
Tallee Artium anno quolibet ſoluendæ. 295. Rub.29.
De Valcherarijs, & Tiratorijs. 296. Rub.30.
De vendentibus pannos ad retaglium. eod. Rub.31.
De ſalario menſuratoris pannorum. eod. Rub.32.
De vendentibus carnes ſalatas. 297. Rub.33.
De Molendinarijs macinantibus oliuas, & guatum. eod. Rub.34.
De Tintoribus. eod. Rub.35.
De Fornaciarijs. eod. Rub.36.
Gabella piſcium. 298. Rub.37.
Gabella ſigni menſurarum, & ponderum. 299. Rub.38.
Gabella Columnæ. 300. Rub.39.
Gabella menſurarum Plateæ. 301. Rub 40.
Gabella ſigni barilium. eod. Rub.41.
De venditione piſcationis paleæ, & clanarum. 302. Rub.42.
Quod Gabellarij teneantur facere bannire eorum capitula. 303. Rub.43.
Quod Molendinarij macinantes bladum ſoluant collectam Gabellario pedagii. eod. Rub.44.
De fraudantibus Gabellas. eod. Rub.45.
Quod omnes Gabellarii habeant terminum ſex menſium ad exigendum poſt finitum tempus Gabellarum. eod. Rub.46.

Finis Rubricarum.

314

ERRATA SIC CORRIGE.

Fol.5.ver.1.ibi Vrbeueterano,lege Vrbeuetano:fol.17.ver.22.ibi nec aliquàm, lege nec aliquem:& fol.eod.ver.24.ibi omnibus conſilij,lege conſiliis:fol.18.ver.21.ibi quæ ſi Poteſtas, lege quem ſi Poteſtas:fol.29.ver.fi.ibi refutationes factas,lege factæ:fol.44. ver. fi.ibi poſſeſſione canſanda,lege caſſanda:fol.48.ver.6.ibi acconcimine cancellatus,lege cannellatus : fol. 53.ver.13.ibi ſalma immittenda,lege immittendorũ:fol.eod.ver.25.ibi auferẽda,lege auferedorum:fol.59.ver.penult.ibi applicanda,lege applicandarum:fol.62.ver.12.ibi aliorum, lege aliarum:fol.68.Rub.43.ibi Trucculos,lege Trecculos:fol.70.ver.1. ibi teneatur, lege teneantur:fol.74.ver. 8.ibi primo menſes, lege menſe: fol. 82. ver. vlt. ibi falcuas,lege falculas:fol.85.ver.30.ibi Comitenſes,lege Comitatenſes:fol.85.ver.35 ibi quatenus prauas, lege quatuor prauas:fol.94.ver.5.ibi quinque ſolidos,lege ſolidis:fol.105.ver.10.ibi preſente ſtatuti,lege preſentis:fol.eod.ver.vlt.ibi ad omnes eius, lege omnem:fol.108.ver.6.ibi incumbentiam.lege incumbentia:fol.115.ver.30.ibi comparitione,lege comparatione:fol.135.ver.18. ibi veſtitutum,lege veſtitum:fol.143.ver.3.ibi Sactamentum,lege Sacramentũ:fol.149. ver. 23.ibi probrare,lege probare:fol.173.ver.19.ibi intelligatur,lege intelligantur : fol. 174. ver. 23.ibi punirẽtur vir,lege puniretur:fol.175.ver.16. ibi de lenocino, lege de lenocinio: fol. 185. ver.14.ibi quã,lege quæ:fol.192.ver.16.ibi de opere de emoliẽdo, lege demoliendo:fol. eod. ver.pen.ibi à vigintiquinque libras infra,lege libris:fol.195.ver.2.ibi ad ſimplicẽ verbũ, lege ſimplice:fol. 214. ver. 22.ibi applicanda, lege applicandorum:fol.eod.ver.25.ibi iniure, lege iniuriare:fol. eod. uer.33.ibi paſcentibus,lege paciſcẽtibus: fol.257.ver.pen. ibi ſuprahenſis, lege ſupraprehenſis:fol.291.uer.26.ibi uendideret, ſeu uenderit, lege uenderet ſeu uendiderit: fol.300. uer.19.ibi caparum,lege cæparum:fol.301.uer.12.ibi pro temore,lege pro tempore.

Reliqua leuiora per ſe quiſque facile corriget.

REGESTVM.

*ABCDEFGHIkLMNOPQRSTVXYZ.
AA BB CC DD EE FF GG HH II kk LL MM NN
OO PP QQ RR.

315




A·BLA·IMPR
ESS·CAMER

317

REFORMATIONES ET DECRETA CIVITATIS VRBIS VETERIS

SVPER MERCEDIBVS OFFICIALIVM,
AC MODO PROCEDENDI
IN QVIBVSCVMQVE CAVSIS.



DILECTIS FILIIS COMMVNITATI CIVITATIS NOSTRÆ VRBEVETANEN.

PAVLVS PAPA IIII.

DILECTI Filij Salutem & Apoſtolicam benedictio-
nem. Veſtræ fidelitatis, & deuotionis integritas, qua
nos, & Romanam reuerimini Eccleſiam promeretur,
vt ea quę pro veſtris honore, & commodo proceſſerũt,
noſtrę approbationis munimine roboremus, ac alias il
lis vobis fauorabiles & gratos exhibeamus: Ea propter
veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula ſtatuta,
& reformationes etiam per uos nuper de nouo edita, quatenus ſint lici
ta & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria: nec non priuilegia in-
dulta, immunitates, exemptiones, conceſsiones, & alias gratias per
quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac ſedẽ Apo-
ſtolicam illiuſque Legatos aut ab eis poteſtatem habentibus, uobis &
iſti Ciuitati noſtræ Vrbeuetanę, ac ueſtris illiuſque Officialibus ſub qui-
buſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ
derogatorijs, alijſque capitulis & decretis conceſſa, quorũ, nec non ſta
tutorum & reformationum prędictarum omnium tenores, ac ſi de uer-
bo ad verbum inſererentur, pręſentibus haberi uolumus pro expreſſis,
& inſertis, quatenus priuilegia ipſa ſint in uſu, Apoſtolica authoritate
tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illaque perpetuę fir-
mitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obſeruari debere, ac eos ad
quos pertinet, ad eorum obſeruationem teneri & compelli poſſe de-
cernimus. Mandantes dilecto filio moderno, ac pro tempore exiſtẽ-
ti dictæ Ciuitatis Gubernatori, quatenus ſtatuta, reformationes, pri-
uilegia, indulta, immunitates, exemptiones conceſsiones, gratias,
ac alia præmiſſa per eos ad quos ſpectat ſub pecuniarijs, & alijs de qui-

bus

bus ſibi videbitur pœnis, inuiolabiliter obſeruari faciat & mandet, ac uobis in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtat: contradictores quoſlibet & rebelles per eaſdem pœnas aliaque iuris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die decimaſeptima Maij. M.D.LVI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

DE MODO ET ORDINE SERVANDO, per Dominum Gubernatorem Vrbiſueteris eiuſque Officiales in quibuſcumque cauſis. Rub. I.

STatuimus & ordinamus Quod Mag.[cus] Gubernator omneſque Officiales Ciuitatis noſtræ Vrbiſueteris, pro tempore exiſtentes, in omnibus & ſingulis cauſis tam ciuilibus, quàm criminalibus, tam ordinarijs, quam delegatis, & mixtis, tã in procedẽdo, quam in ſententiando & exequẽdo teneantur, & debeant ſeruare in primis & ante omnia ſtatuta decreta & reformationes noſtrę Ciuitatis, quatenus per ea prouiſum reperiatur: Sin autem conſtitutiones Marchiæ, & demum Ius commune, quatenus neque per ſtatuta, neque per conſtitutiones Marchiæ non prouideatur, exceptis tantum ciuilibus cauſis forenſium, & miſerabilium perſonarum, non excedentibus ſummam decem ſcutorũ, quas eiuſdem D. Gubernatoris arbitrio reſeruamus quo ad modũ procedendi tantũ: declarantes nihilhominus quod in blaſphemijs in Deũ, eiuſque Matrem, & Sanctos, & in delationibus armorum, & offenſionibus in Officiales, uidelicet D. Gubernatorem, Conſeruatores, Poteſtatem eorumque miniſtros, ac etiam in perſonas egregias, habita conſideratione loci & temporis, pœnæ poſsint per D. Gubernatoris proclamata alterari.

De non proferendis ſententijs prout in cedula. Rub. II.

CVm re ipſa iam compertum ſit, quod, & quale damnum & preiudicium oriatur ex prolatione ſententiarum prout in cedula, ſtatuimus & reformando decernimus quod idem Dominus Gubernator ſiue eius Locumtenens, non poſsint nec ualeant neque in ciuilibus, neque in criminalibus cauſis aliquo pacto, ſeu quouis quæſito colore proferre aliquas ſententias prout in cedula, & ſi ſecus fiat huiuſmodi

modi ſententiæ ſint & eſſe intelligantur ipſo iure nullæ, abſque aliqua Iudicis declaratione: Notarij uero qui de eiſdem ſententijs ſe rogarent, ipſo iure & facto, intelligantur priuati eorum officio, & incurrant pœnam uigintiquinque ſcutorum pro quolibet & uice qualibet.

Quomodo & qualiter & quando ſportulæ Iudicibus debeantur. *Rub. III.*

VLterius reformando ſtatuimus & ordinamus quod prælibatus D. Gubernator ſiue eius Locũtenens, aut Auditor in cauſis ciuilibus inter Ciues, etiam in his quæ dependerent ex contractu in forma Cameræ, nõ poſſint aut debeant aliquid accipere pro ſportulis: in cauſis uero commiſſarijs à curia Romana, ſeu à quouis alio loco, liceat eiſdem pro ſportulis recipere ſecundum taxam infraſcriptam videlicet: Si cauſæ huiuſmodi commiſſariæ aſcenderint ad quantitatem centum ſcutorum, à dicta ſumma infra liceat Auditoribus tãtum recipere pro ſportulis baiocchos duos pro quolibet ſcuto: & à centum ſcutis ſupra uſque ad quatringentos, ſcutos tres in totum: & ab inde ſupra, quantacumque fuerit quantitas, ſcutos quatuor & non ultra: In criminalibus uero liceat Gubernatoribus, ſeu eorum Auditoribus, & Locumtenentibus accipere ſportulas ſecundum taxam infraſcriptam videlicet: In cauſis capitalibus, ultimi ſupplicj, ſi reus abſoluatur, ſcutos quatuor, & ſi in eadem ſententia duo rei abſoluerentur ſcutos quatuor pro quolibet, & ſic in iſto caſu ſcutos octo in totum: & ſi rei abſoluendi eſſent tres uel plures, ultra octo ſcutos, ſcutum unum pro quolibet alio correo, vltra duos primos: Ita tamen quod fiat diſtributio inter omnes pro rata, & tota quãtitas diuidatur proportionabiliter inter correos: In cauſis autem criminalibus corporis afflictiuis, citra mortem, ſi reus ueniret abſoluendus, liceat eis accipere carolenos uiginti, pro quolibet reo, uſque ad duos: & ſi fuerint plures, carolenos quinque pro quolibet: quæ tota & integra quantitas diſtribuatur inter omnes correos proportionabiliter ut ſupra dictum eſt in proxime præcedenti caſu: In criminalibus autem pecuniarijs liceat eis à florenis centum infra, accipere carolenos quinque, & ſi pœna aſcenderet ad florenos ducentos, carolenos decem, ab inde ſupra carolenos quinque pro quolibet centenario, dummodo pro qualibet quantitate non excedat ſummam uigintiquinque carolenorum: & ſi rei fuerint duo, uel plures, fiat diſtributio proportionabiliter ut ſupra in alijs caſibus dictum eſt: & ſi inquiſitus ſeu carceratus pro pluribus criminibus detineretur, ſportulæ ſoluantur perinde ac ſi pro uno tantum crimine detineretur, & inquireretur

quireretur. Pro examine autem teſtium in cauſis ciuilibus, ſi quantitas articulorum exceſſerit denarium numerum, & interuenerint interrogatoria, liceat accipere iuliū unum pro quolibet teſte, diuidendū inter D. Auditorem, & Notarium actuarium. Et ſi articuli & interrogatoria nō aſcenderent ad denarium numerum, carolenum unum inter ambos, ut ſupra: In cauſis uero criminalibus cuiuſuis qualitatis, ſeruetur id quod ſtatutum eſt in ultimo capitulo de Officio Cancellarij: Inquiſiti autem ex Officio contra quos nihil probatur, nihil ſoluant ratione ſportularum, ſeu mercedis executorum, aut carcerum, aut caſſaturę, uel uiatici, niſi ipſi Notario quintam tantum partem. Item quod ſi adeſſent inditia ad torturam contra inquiſitum, ſoluantur ſportulæ ſecundum formam Breuis. Sanctiſsimi D. N. Iulij PP. III. & non aliter.

Quod copia inditiorum tradi debeat, & per quantum tempus Reus detineri poſsit in ſecretis. Rub. IIII.

IN quacunque cauſa criminali, poſtquam petita fuerit copia à reo ſeu ab alio pro eo interuenienti, infra quinque dies ad plus fieri, ac tradi debeat integra copia, & ultra dictum tēpus reus in ſecretis detineri non poſsit, exceptis tātum caſibus ultimi ſupplicij, in quibus per octo dies rei detineri poſsint: Itē quod nulla formetur inquiſitio niſi ſecūdum tenorem inditiorum receptorum & teſtium examinatorum, & aliter formata ſit ipſo iure nulla, & Iudex aliter inquirens teneatur reddere rationem in ſyndicatu.

De Officio Notarij Bancæ. Rub. V.

AD tollendos diuturnos litium anfractus, Notariorum actuariorum errores, & litigātium fraudes propter abuſum proceſſuum & actorum cauſarum, quæ in libris diuerſis & ſępe in folijs ſeparatis exhibent, vt non numquam fiat ut acta ipſa occultentur, non nūquam perdātur fraudeſque & falſitates à diuerſis hominibus committi poſsint, prout experientia docuit, ſtatuimus & decernimus quod de cętero Notarij Bancę obligati eſſe intelligantur, & in effectu teneātur, ſtatim quod lis, aut cauſa aliqua mota fuerit ordinarie, ſiue executiue procedendo, facere regiſtrum proceſſus, incipiendo regiſtrari illico, quod petitio ſiue libellus in iudicio productus fuerit, cuius regiſtri duplicem copiam, videlicet vnam reo conuento, alteram actori ſumptibus tamen ipſorum litigantium conſignet, dietim tranſumptando, & exemplando ſingula acta, & iura producta prout fieri, & produci cōtigerit: & unaqueque pars litigātium retineat penes ſe copiam proceſ-

ſus,

ſus, pendente lite, & illam copiam Iudici, Aduocato, & alijs exhibere & accomodare valeat: originale autem Notarius ipſe non poſsit nec valeat, aut audeat accomodare alicui ex litigantibus, aut eius Aduocato vel Procuratori, ſeu cuiuis alteri perſonæ extra Palatium, ſub pœna ſcutorum vigintiquinque ipſo facto & iure incurren. & applicandorum pro vna quarta Communi Vrbiſueteris, pro alijs Collegio Notariorum Cameræ Apoſtolicæ, & Executoribus faciētibus executionem, proportionabiliter: & vlterius ipſo facto & iure intelligatur priuatus, & ſit ſuo Officio, & in die ſequenti alius in ſuo loco ſubrogetur per Conſilium generale, ſeu Duodecim prout magis expedire uiſum fuerit: & prædicta vendicēt ſibi locum in cauſis à trecentis libris denariorum ſupra, à libris uero trecentis infra, ſiue in cauſis executiuis, uel executionem paratam habentibus, regiſtrũ proceſſus fieri prohibemus: Et pro mercede Regiſtri & copię proceſſus Notarius conſequatur medietatē eius quantitatis de qua in Statutis diſponitur pro copia proceſſus, & actorũ extrahendorum: Et à quolibet litigante mercedem ſui regiſtri conſequatur, & quælibet facies folij contineat uerſiculos decem & octo ad minus, & quilibet uerſiculus dictiones quinque: & ſi detur in publicam formam ſoluatur duplum: Item quod nullus alius Notarius in cauſis ciuilibus ordinarijs, ſeu delegatis poſsit ſe rogare & in cauſa ſcribere ſub dicta pœna, & ſi contraueniatur proceſſus ſit ipſo iure nullus, & actores litigantes & facientes rogare, & in cauſa ſcribere alios Notarios, præterquam Notarios Bancæ, pœnitus cadant ab omni eorum iure, & incurrant pœnam decem ducatorum pro qualibet uice.

De Officio Baiuli. Rub. VI.

QVoniam multoties ex negligentia, & nonnumquam impedimento, Baiuli publici differunt aut omittunt referre citationes ſibi commiſſas executos fuiſſe, in non modicum litigantium pręiudicium: Volentes oportuno prouidere remedio ſtatuimus quòd de cætero in omnibus & ſingulis cauſis, citationes ipſę committantur annotatæ & deſcriptæ in apodixa in qua Notarius, ſiue pars ſpecialiter & expreſſe actum ad quem citandus uenire & comparere debeat apponat, & enarret, & in eadem apodixa Baiulus fideliter deſcribat, aut deſcribi faciat relationem ipſam citationis executæ, prout uere executus fuerit perſonaliter, vel domi: Quam apodixam infra diem, ſiue biduum conſignet, ſeu conſignari faciat actuario Notario, annotando ſeu annotari faciendo diem citationis executę, & nomen ipſius Baiuli, & relaxetur in manibus citati, uel ad domum, ut ſciat ad quod citatur & hoc in cauſis in

ſis in quibus faciendum eſt regiſtrum, in alijs uero ſolum primæ citationes fieri debeant in ſcriptis. Qui pro eorum mercede conſequantur tertiam partem amplius in ſtatutis diſpoſitam, & nihil plus petere poſsint ſub pœna unius floreni uice qualibet qua prædicta non obſeruauerint, applicandi Collegio Doctorum & Notariorum: Item teneantur omnes & ſingulas citationes ſibi commiſſas contra quaſcunque perſonas, Communitates, ſeu Collegium, cum effectu & ſine aliqua exceptione exequi, nec alicui ualeant eorum Officium denegare, puniendi arbibitrio D. Gubernatoris, ſeu DD. Conſeruatorum ſecundum facti contingentiam. Prohibemus inſuper quod non poſsint aliqua præcepta facere uerbalia, abſque expreſſa commiſsione in ſcriptis ſuperiorum præcipiēdi poteſtatem habentium, & ſi ſecus fieret huiuſmodi mādata ac præcepta ſint ipſo iure nulla, & nullius roboris uel momenti: Item ſtatuimus & ordinamus quod Baiuli euntes cum executoribus ad exequendum, ſeu cum Cancellario ad aliquod inuentarium faciendum, in criminalibus non poſsint neque ualeant petere aut habere niſi ſecūdum formam Statutorum, & ubi per ſtatuta non fuerit prouiſum, quatrenum unum pro qualibet libra in Ciuitate, uſque ad quinquaginta libras, & ab inde ſupra pro qualibet ſumma carolenos duos: extra uero Ciuitatem conſequi ualeant quatrenos duos pro qualibet libra uſque ad dictam ſummam, ab inde uero ſupra iulios tres, quantacunque fuerit ſumma pœnæ.

De abuſu præceptorum ad informandum Curiam pœnitus tollendo. Rub. VII.

STatuimus & reformando ordinamus, quod præcepta ad informandū Curiam in cauſis ciuilibus, ſeu criminalibus corporis afflictiuis, ſeu ultimi ſupplicij, nullo modo fieri poſsint aut debeant, & ſi fiāt, impune eis non pareatur: In pecuniarijs uero criminalibus fieri liceat, dummodo pœna in eis apposita nō excedat ſummam quinquaginta ſcutorum, & ſit ſubſcripta manu Domini Gubernatoris, ſeu ipſius Auditoris, ſeu Locumtenentis.

De Officio Cancellarij Mag. D. Gubernatoris, & ipſius mercede. Rub. VIII.

CAncellarius Mag. D. Gubernatoris non poſsit nec ualeat aliquo modo ſe rogare in quibuſuis cauſis ciuilibus, ordinarijs, ſeu delegatis, nec aliqua præcepta facere cum clauſula iuſtificatoria, actaque ipſa & ſcripturę omnes per ipſum ſcriptæ receptę & rogatę ſint

nihil.

nihilominus ipſo iure nullę. Pro examine teſtium in quauis cauſa criminali, ad deféſam ultimi ſupplicij, uel corporis afflictiua, ſeu pecuniaria, etiam cum articulis ſine interrogatoriis, carolenum unum pro ſingulo teſte, & nõ ultra recipiant, ubi uero erunt interrogatoria, iulium unum: & ſi teſtis examinatus fuerit ad inſtantiam Camerę, ſeu quouis alio modo ex officio, nihil petere poſsit; In cauſis uero minoribus groſſum unum: & prædicta, ſeruentur etiam ſi ad inſtantiam plurium teſtis inducatur, quo caſu ſoluantur caroleni duo, & non plus. Pro confectione inuentarij in cauſis homicidj tantum fiendi in Ciuitate, baioccos uigintiquinque, extra uero baioccos quinquaginta, & ſoluatur ſibi uectura equi: & expenſæ itineris, ſi equitare contigerit, cõſequi ualeat de bonis rei, ſi condemnetur, excomputan. in ſolutionem pœnæ: Pro præcepto emanato ad inſtantiam partis, carolenum unum, & tantundem pro qualibet requiſitoria: & ſi eſſent duo, carolenos duos inter ambos: ſi tres, uel plures, Anconitanum unum, pro quolibet ultra duos primos diſtribuen. tãtum, & ſoluendos proportionabiliter inter omnes, ut ſupra in alijs dictum eſt. Pro quolibet pręcepto quod fieri cõtigerit uni, duabus, ſeu pluribus perſonis, pro una & eadẽ cauſa, & ſimiliter pro requiſitoria, non poſsit, nec ualeat accipere niſi carolenũ unũ cum ſigillo, ab eo ad cuius inſtantiam præceptum emanauerit, ſi autem ex Officio factum ſit, nihil penitus recipiatur. Pro reſponſione facta ad inquiſitionem per reum cum fideiuſſore, de ſtando iuri, & iudicatũ ſoluendo, baioccos quinque, & ſi duo fuerint correi, baioccos decem, ſi uero tres, ſeu plures, Anconitanum unum pro quolibet diſtribuendum proportionabiliter, pro rata ut ſupra. Pro fideiuſsione de non offendendo ſiue ex officio, ſiue ad inſtantiam Partis, baioccos quinque. Pro copia proceſſus ſiue teſtium, baioccos duos cum dimidio pro qualibet carta, dummodo quęlibet facies folij contineat uerſiculos decem & octo, & quilibet uerſiculus dictiones quinque, etiã ſi eſſent plures correi accipientes copiã. Pro rogitu ſententiæ in capitalibus ubi uenit imponenda pœna mortis, & reus abſolueretur, ab eodẽ reo ſcutum unum de iulijs decẽ recipiat, & ſi duo fuerint, quilibet ſoluat ſcutum unum, ſi uero plures, quilibet correus quartam partem alterius ſcuti. Quę tota ſumma inter omnes pro ęquali portione diſtribuatur: Sin autem abſolueretur à pœna mortis, & extra ordinẽ puniretur, tũc medietatẽ dictæ mercedis habeat. Pro ſẽtẽtijs uero corporis afflictiuis citra mortẽ, ſoluat quilibet reus baioccos quinquagĩta, & ſi fuerĩt duo, uel plures cũ augmẽto quarti, & diſtributione fiẽda, ut ſupra. Pro ſẽtẽtijs pecuniarijs à cẽtũ libris ſupra, ſoluat quilibet reus baioccos xxv. à libris uero cẽtũ infra, ſtet arbitrio Iudicis, cõſiderata qualitate delicti, pſona rei, & quãtita

te pœnæ, dummodo non excedat medietatem dictæ me rcedis, & in qualibet cauſa nihilhominus teneatur tradere copiam ſententiæ in publicã formã cum tenore inquiſitionis, pro illomet ſalario, & mercede, & plus ultra petere non poſsit. Pro mandato de relaxandoin cauſa criminali, ſi unus ſit carceratus, groſſum unum: Si duo, uel plures, in totum groſſos duos, ſoluendos, & diuidendos proportionabiliter inter omnes, ut ſupra in alijs dictum eſt. Pro caſſatione proceſſus, & ſententię condemnatoriæ ultimi ſupplicij, iulios quinque: in corporis afflictiuis, iulios tres. In pecuniarijs uero à centum libris ſupra, iulios duos. A cẽtum infra arbitrio Iudicis, dummodo non excedat dimidietatem dictę mercedis: quę ſummę diuidantur, & ſoluantur per unum, ſeu plures cum diſtributione, & augmento, ut ſupra dictum eſt, & nemo ad caſſationem prędictam cogi poſsit. Pro caſſatione fideiuſsionis de non offendendo, quantęcunque fuerint perſonæ, una, duę, ſeu plures, quæ accedant ad caſſandum, in totũ baioccos quinque. Pro productione proceſſus ad inſtantiam partis, iulium unum: Et pro accõmodatione proceſſus Aduocato, ſeu Procuratori, iulium unum pro quolibet inquiſito, dummodo nõ excedat iulios duos, etiam ſi plures fuerint inquiſiti. Pro quibuſcunque litteris, & quibuſcunque præceptis, cum regiſtrationibus ſupplicationum, carolenum unum cum ſigillo. Pro productione inſtrumenti, & actu quolibet extenſo, baioccos duos: debeantque acta omnia gratis oſtendere Parti, & Procuratori, quatenus opus fuerit.

De executoribus, & eorum officio & mercede. *Rub. IX.*

STatuimus & ordinamus, quòd omnes executores, quibus data fuerit commiſsio exequendi, ſeu mandatũ executiuum, à quocunque Iudice Ciuitatis noſtræ, ſeu quauis alia particulari perſona, etiam emanatum à Romana Curia, ſeu cuiuſuis alterius loci, teneãtur & cum effectu debeãt exequi quamprimum commiſsionem eis datam ſine exceptione, ſeu reſpectu perſonæ, & non poſsint aliqua cauſa illam prorogare, minuſque eorum mercedem recipere, niſi poſt factam actualẽ executionem, & pro rata executionis factę, niſi executionem perſonalem fecerint, quo caſu integram executionem conſequantur. Pro quibus executionibus tam ciuilibus quam criminalibus, tam realibus quã perſonalibus, à quacunque Curia Vrbiſueteris, ſeu eius diſtrictus, & territorij emanatis ſeruetur, & per executores illud ſolum recipiatur, quod hactenus in dicta Ciuitate, & eius Comitatu ſeruari & recipi ſolitum fuit, & conſuetum: in alijs uero executionibus in Romana, uel alia quacunque Curia, extra dictam Ciuitatem, & eius territorium,

Pro

Pro inſtrumentis in ampliori forma Cameræ Apoſtolicę relaxatis, & ca
meralibus, plus ſolui non poſsit executoribus niſi ſecundum formam &
taxam infraſcriptam videlicet: ſi in Ciuitate fiat executio, pro quolibet
ſcuto habeat baioccos duos: & ſi extra, baioccos tres pro quolibet ſcu-
to, dummodo in Ciuitate non excedat ſcutum unũ mercedis executio,
& ſi extra, ſcuta duo. Qui executores non poſsint à creditoribus ipſis
etiam ultro offerẽtibus aliquid petere uel recipere aut exigere, ſub pœ
na ſcutorum decẽ, pignoraque per ipſos faciẽda, eodem die, aut ſequẽ
ti ad plus penes Depoſitarium deponãtur: Item in cauſis criminalibus
non poſsint executionem aliquam realem, ſeu perſonalem facere ſine
mandato Domini Gubernatoris eius manu propria ſubſcripto, nedum
ad inſtantiam partis, uerum etiam Cameræ, niſi in flagranti crimine ali-
quem reperirent, aut in fuga, uel uagabundum, ſeu bannitum, aut illũ cu
ius delictũ notoriũ eſſet, & ſi ſecus facta fuerit executio, ſit ipſo iure nul
la abſque aliqua Iudicis declaratione, nec aliquã prorſus mercede con
ſequi ualeant. Item ſi cõtigerit quod executores aliquem caperent cõ-
demnatum in pœna pecuniaria, nõ poſſint pro illo executionẽ petere,
aut habere aliam mercedem, niſi pro illa rata, ad quam pœna condem-
nationis prædictæ per Mag. D. Gubernatore per uiã gratiæ ſeu ſignatu-
rę redacta, aut taxata fuiſſet: Neq; poſsint executores ipſi, aut quilibet
alius Officialis aliquid exigere pro rata accuſatoris, niſi ubi accuſator
vere extiterit, & ſi nullus fuerit accuſator, nullã ipſius in taxatione pœ-
narũ habeatur cõſideratio. Pro captura autẽ alicuius perſonæ condẽna
tę in pœna mortis, ſi captura ſit facta in Ciuitate, ſcutũ unũ. ſi extra, ſcu
tos duos, in euentũ in quẽ captus abſoluatur, & relaxetur habeant & ha
bere debeant. Et ſi quis condẽnatus ſe ultro cõſtituerit, ſeu in Palatio
eiuſdẽ conſignatus fuerit, ſi captus eſſet condẽnatus in pœnã corporis
afflictiua citra mortẽ, tunc petere poſsint, & habeãt medietatẽ illius ꝙ
ſupra proxime dictũ eſt. Sed in pœna pecuniaria, pro qualibet ſumma à
florenis centũ ſupra, habeant in Ciuitate medietatẽ unius floreni: extra
vero integrũ florenũ: à cẽtum uero & infra in Ciuitate carolenos duos:
extra uero carolenos quatuor: In leuioribus autẽ arbitrio Iudicis regu
letur, habito reſpectu ad id quod ſupra dictũ eſt: Et inſuper prohibita in
telligatur & ſit eiſdem executoribus confectio inuentarij pro qualibet
cauſa tã in Ciuitate, quã extra, quæ Cãcellario D. Gubernatoris tãtum
modo concedatur, & ſit reſeruata. Itẽ in euentũ ꝙ præfati executores
caperẽt aliquẽ repertũ condẽnatum in libris ſententiarũ criminalium,
ſed reuera abſolutũ, gratiatũ, ſeu cõpoſitum, licet non caſſum, nõ poſ-
ſint habere, neque recipere pro executione talis capturę in pecuniarijs
niſi carolenos duos, in corporis afflictiuis carolenos tres, in pœnis au-

tem ultimi ſupplicij, carolenos quatuor, extra uero Ciuitatem duplum, nec poſsint aliquo modo præcipere, & pręcepta facere alicui perſonæ ſine expreſſa licentia ſuorum ſuperiorum in ſcriptis, exceptis dumtaxat fugitiuis, & repertis in flagranti crimine, uel quando eis fieret oppoſitio dum eſſent in actu exequendi, quibus præcipere poſsint ad libitum: conſignatos autem eiſdem in Palatio, & per eos carceratos non poſsint cogere ad ſoluẽdũ pro eorũ executione niſi quartã partem illius quod haberent ſi eoſdem cœpiſſent in Ciuitate: item ſi contigerit executores exequi cõtra adminiſtratores noſtri Communis, & locorum piorũ, videlicet Fabricę, Hoſpitalis, utriuſque Montis, Gabellarum quarumcũque, etiam prouentuum publicorum, eo caſu executionis merces dupli cetur. Et prædicta omnia & ſingula locum habeãt in executoribus Dominorum Gubernatorum pro tempore exiſtentium: Officiales autẽ Dominorum Poteſtatuũ, in omnibus & per omnia teneãtur ſeruare ſtatuta.

De uiſitatione Carceratorum. *Rub. X.*

AD finem ut Carceratorum cauſæ celeriter expediantur, ſtatuimus quòd bis in menſe in die Veneris, fiat uiſitatio carcerũ modo infraſcripto, uidelicet: Quòd in Palatio D. Gubernatoris ad eius pręſentiam interueniant duo ex Mag. DD. Cõſeruatoribus Ciuitatis, D. Poteſtas, Aduocatus, & Procurator pauperum, qui Procurator legat notulam omnium & ſingularum perſonarum in carceribus detentarum, proponendo ſigillatim nomen & cognomen cuiuſcumque carcerati, ſtatum cauſę, & alia quę contingit exponi tam in ciuilibus, quam in criminalibus: qua expoſitione facta uentiletur cauſa, & diſputetur coram omnibus ſupraſcriptis, & omne id quod decretum fuerit per D. Gubernatorem in eorum præſentia in dicta uiſita annotetur, & annotari debeat per Cãcellarios, tam D. Gubernatoris quam Dominorum Conſeruatorũ, & quicquid ſancitum, aut ibi decretum fuerit ſeruetur, ualeat & teneat, & executioni mandetur.

De Cuſtodibus carcerum & eorum mercede. *Rub. XI.*

A Detentis in Palatio nihil recipiatur, prout hactenus nil receptum pro mercede Cuſtodis carcerum: quòd locum habeat tam in ciuilibus, quã in criminalibus, tã in Palatio D. Gubernatoris quã Poteſtatis: Pro carceratis autẽ in quibuſcũque carceribus, pro quibuſcũque cauſis etiam in arce, nil poſsit recipi per Cuſtodem carcerum, niſi ſecundum formam Statutorum, quę merces ſtatutaria intelligatur

uniuerſalis ad omnes carceres, etiam arcis, & plus ſolui non poſsit aut debeat, & idem ſeruetur pro relaxatione: Inſuper intelligatur & ſemper ſit prohibita carceratio in arce, tam in ciuilibus, quam criminalibus quibuſcunque, præterquam in atrocioribus in quibus tractatur de pœna ultimi ſupplicij, & intelligatur ſublata abuſio & corruptela ſoluendi carolenum unum pro quolibet die ab exiſtente & detento in arce, niſi pro alimentis, ſi carcerator alimentari uoluerit, ſoluat carolenum unũ pro uictu cuiuslibet diei, prout hactenus fuit ſolui ſolitum & conſuetũ, & carcerati nõ poſsint aliquo modo cogi ab ipſo Cuſtode alimẽta emere, ſed de proprio ſe ipſos alere poſsint.

De applicatione pœnarum. Rub. XII.

STatuimus & ordinamus quod omnes pœnę, ut ſupra in capitulis applicatæ quę reperiuntur, ſint & applicatæ eſſe intelligantur Communitati Ciuitatis noſtræ Doctorum, & Notariorũ collegio, & executoribus proportionabiliter.

De Officialibus & eorum uacatione. Rub. XIII.

STatuimus & ordinamus quod quicũque Officialis forenſis qui officium aliquod in dicta Ciuitate exercuerit cauſa Pręturę, finito eius Officio, uel quomodocunque licentiatus fuerit, uel ab eius dominio diſceſſerit quomodocunque, non poſsit aut ualeat ad alterius ſeruitia permanere, etiam D. Gubernatoris, & dictus Officialis de quo ſupra, intelligatur habere uacationem ab Officijs & dicta adminiſtratione in dicta Ciuitate ad annum, & ſi ſecus fieri contigerit, capi poſsit de mãdato DD. Conſeruatorũ, & pœnis eorum arbitrio imponẽdis grauari

De mercede Aduocatorum, & Procuratorum. Rub. XIV.

STatuimus quod in cauſis capitalibus & criminalibus carceratorum, ſeu alias conſtitutorum, Aduocati habeant & habere debeant pro eorum aduocatione tantundem, quantum ipſe Iudex recipit & recipere debet ſecũdum formam Statutorum: & ubi per ſtatuta prouiſum non eſſet attendantur præſentia capitula: Procuratores uero medietatẽ illius quod recipit & debetur eidem Aduocato: In cauſis uero ciuilibus habeant mercedem ſecundum formam Statutorum.

De abo-

De abolitionibus concedendis. *Rub. XV.*

STatuimus quod in omnibus caſibus in quibus uigore ſacrarum con ſtitutionum abolitio eſt conceſſa, omnino concedatur ſecundum illarum ordinationem & formam, etiam ſi pœnæ talium delicto-rum vigore bannimentorum quorumcunque eſſent quomodocunque auctę & alteratę. Pro ipſis uero abolitionibus ſoluantur Iudici conce-denti caroleni duo inter Iudicem & Cãcellarium, etiam ſi plures eſſẽt inquiſiti, ſeu accuſati: Item quod in omnibus & quibuſcumque ſalarijs & mercedibus ſupraſcriptis attendatur, & attendi debeat pœna ſtatuta-ria, & ea deficiente conſtitutionum, & in defectum pœna iuris Commu nis, & ad rationem dictarum pœnarum debeantur ſalaria, mercedes, & ſportulæ prædictæ ſecundum diſpoſitionem ſtatutorum, etiam ſi per bannimẽta, uel aliter pœnę augerẽtur: Itẽ quia ex forma Breuis Sãctiſsi-mi D.N. Iulij PP. III. In criminalibus atrocioribus, in quibus impo nitur pœna corporis afflictiua, eſt locus præuentioni inter D. Gub. & Poteſtatem, declaramus quod pœna aucta per bannimenta Domini Gubernatoris crimina non intelligantur de atrocioribus, ſed at tendatur ius ſtatutorum, & eo defi ciente, ius Commune, ſeu ſacrarum conſtitu-tionum.

Videntur concedenda, & poteſt expediri Breue confirmatorium.
Fab. Cardinalis Mignan.

FINIS.

GREGORIVS PAPA XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

SOllicitat nos ſuſcepti cura regiminis, ut ſubditorum no-
ſtrorum quorumlibet, præſertim quorum præclaræ deuo
tionis ſinceritas, & eximia fidei conſtantia in noſtro, &
ſedis Apoſtolicæ conſpectu ſemper enituit, quieti ac uti-
litatibus intendentes, illaquę propterea uel per concor-
diam terminata, uel aliàs prouide ordinata fuiſſe dicũtur, ne in recidi-
uæ contentionis ſcrupulum relabantur, ſed ut firma perpetuo, & illiba
ta perſiſtant, ac ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur, Apoſtolicę cõ
firmationis munimine roboremus. Nuper ſiquidem nobis innotuit,
quòd cum inter dilectos filios Communitatem Ciuitatis noſtræ Vrbe-
uetanæ ex una, & Ioannembaptiſtam Tacchinum Ciuem Foroſempro
nienſem V. I. D. Officia Notariatus criminalis, & Cancellariæ pro tem
pore exiſtentis Gubernatoris dictæ Ciuitatis Vrbeuetanæ obtinentem
ex altera partibus, lis, & controuerſia orta iam eſſet, ſeu oriri formide-
tur de & ſuper taxis, & reformationibus mercedem Officiorum præ-
dictorum concernentibus, olim per bo. me. Fabium S. R. E. Cardina-
nalem Mignanellum nuncupatum factis, quas Communitas uidelicet
obſeruari, Ioannesbaptiſta uero multa in contrarium prætendebat, ſeu
prętendit: cupientes dictę partes controuerſijs huiuſmodi obuiare, ad
infraſcriptam deuenerunt inter ſe conuentionem, ſeu concordiam, ui-
delicet: Quòd pręfatus Ioannesbaptiſta, & eius Miniſtri quicumque
perpetuis futuris temporibus teneantur, & obligati ſint in omnibus, &
per omnia taxas per pręfatum Fabium Cardinalem factas dicta Officia
Notariatus, & Cancellariæ concernentes obſeruare, præterquam tamẽ
in infraſcriptis capitibus. Nempe quod in primis pro examine teſtium
ad defenſam in quauis cauſa criminali ultimi ſupplicij corporis afflic-
tiua, ſiue pecuniaria, cum interrogatorijs, uel ſine interrogatorijs, pro
quolibet teſte recipiat Cancellarius præfatus baioccos decem, & ſi nu
merus articulorum denarium, hoc eſt decem articulorum numerum ex
cedat, tunc carolenos duos pro quolibet teſte accipiat, nulla habita cõ-
ſideratione exceſsiuitatis interrogatoriorum: In cauſis uero pecunia-
rijs

rijs tantum non excedētibus ſummam quindecim ſcutorum baioccos quinque accipiat pro quolibet teſte, & à quindecim ſcutis uſque ad triginta ſcuta incluſiue, carolenum unum accipiat pro ſingulo teſte ut ſupra, non attenta exceſsiuitate interrogatoriorum, & ab inde ſupra ſoluatur ut ſupra fuit expreſſum. Pro cuiuſlibet autem Inuentarij confectione intus Ciuitatem iulios quinque accipiat, extra uero Ciuitatē ſcutum unum habeat ſine expenſis, præterquam à ſponte dantibus, à quibus eas accipere ſibi liceat, & plus prætendere non poſsit. Item pro copia proceſſus, ſiue teſtium, pro qualibet carta habeat Cancellarius prædictus pro ſua mercede Anconitanum unum, hoc eſt baioccos duos cū dimidio: & ſi fuerint duo ſimul rei, ſeu complices, uel plures in quouis numero, tunc accipiat pro qualibet carta ſolummodo medium carolenum diuidēdum æquali portione inter omnes, & plus petere non poſſit, dummodo quęlibet facies ſeu pagina cartarum contineat decem & octo uerſiculos, & uerſiculus quilibet dictiones quinque. Pro rogitu ſententiæ capitalis, ubi uenit imponenda pœna mortis, ſi reus abſoluatur, habeat ipſe Cancellarius computata caſſatione proceſſus carolenos uiginti: & ſi fuerint duo ſimul rei, habeat carolenos triginta: & ſi fuerint plures, quartam partē unius ſcuti accipiat pro quolibet reo pro portionabiliter pro tota ſumma inter eos diuidenda, computata caſſatione ut ſupra. Si uero reus à pœna mortis abſoluatur, & extraordinarie puniatur, ſoluat medietatem dictę ſummæ ſuperius expreſſæ cū caſſatione ut ſupra: Pro ſententijs uero corporis afflictiuis citra mortem, ſoluat reus cum caſſatione prædicta, carolenos decem, & ſi fuerint duo ſimul rei, ſoluant carolenos quindecim: & si plures, cum augmēto quarti dictorum decem carolenorum diſtribuēdorum proportionabiliter, ut ſupra fuit dictum, perſoluatur: Pro ſententiis pecuniariis tantum à cētum libris ſupra ſoluat quilibet reus baioccos triginta, à centum uero infra ſtetur arbitrio Iudicis conſiderata qualitate delicti, perſona rei, & quantitate pœnæ, dummodo non excedat medietatem dictæ mercedis. Pro mandato de relaxando in cauſa criminali dicto Cancellario carolenus unus, & si fuerint duo, uel plures, in quouis numero, tunc eidē Cancellario caroleni duo in totum inter omnes proportionabiliter diuidendi perſoluantur. Pro caſſatione proceſſus, & ſententiæ condemnatoriæ ultimi ſupplicii computata regiſtratione gratiæ, dictus Cācellarius carolenos decem habeat, & pro caſſatione proceſſus, & ſentētiæ condemnatoriæ in pœnis corporis afflictiuis carolenos quinque accipiat, cum regiſtratione gratiæ ut ſupra. Pro caſſatione uero proceſſus, & ſententiæ condemnatorię in pecuniariis tantum, à centum libris ſupra carolenos quatuor habeat pro ſua mercede, cōputata regiſtratura

gratiæ

gratiæ ut ſupra: & ſi reus ſe conſtitueret, & abſolueretur, tunc attendatur ad mercedem ut ſupra declaratam pro ſentẽtijs abſolutorijs, prout ſupra reſpectiue dictum fuit, & pro eadẽmet mercede teneatur poſt ſequutam abſolutionem caſſare utrũque proceſſum informatiuum, & deſenſiuum, & aliàs prout in uno ſub decimanona menſis Februarii anni Domini milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimitertij. Item ultra præmiſſa, quòd præfatus Cancellarius non poſsit mercedem aliquam recipere pro Inuentarijs faciendis de bonis delinquentium, niſi in pœnis capitalibus, ubi ueniret imponenda pœna mortis, & mercedem accipiat iuxta taxas prefatas.

Accepimus inſuper, quòd dilectus filius noſter Hieronymus tituli ſanctorum Coſmi & Damiani presbyter Cardinalis Simoncellus nuncupatus Eccleſiæ Vrbeuetanæ ex diſpenſatione Apoſtolica præſul, in executionem quarundam litterarum à dilecto filio noſtro Philippo tituli ſancti Sixti presbytero Cardinali ſub die duodecima mẽſis Martij eiuſdẽ milleſimi quingẽteſimi ſeptuageſimi tertij, ſeu alterius uerioris anni emanatarũ, ac eidem Hieronymo Cardinali ſub die uigeſimaquarta eiusdem menſis Martij præſentatarum, habito prius maturo colloquio cum dilectis filijs Sebaſtiano Rutilono tunc dictę Ciuitatis Gubernatore, ac Conſeruatoribus Pacis Vrbeuetano Populo præſidentibus, viſiſque inſimul omnibus taxis iuxta formam dictarum litterarum, illiſque mature conſideratis, cum aſsiſtentia, & interuentu Gubernatoris, & Conſeruatorum prædictorum, ne ullo unquam tempore in futurũ aliqua lis, ſeu controuerſia ſuper mercede Executorum & Cuſtodũ carcerum eiusdem Ciuitatis Vrbeuetanæ, & eorum taxis oriri poſſet, ſtatuit, decreuit, & ordinauit, quòd omnes executores, quibus data fuerit commiſsio exequendi, ſeu mãdatum executiuum à quocunque Iudice dictę Ciuitatis, ſeu quauis alia perſona particulari, etiam à Romana Curia, ſeu cuiuſuis alterius loci emanatum executioni demandandi, teneantur & cum effectu debeãt illud exequi cum primum commiſſionem habuerint, ſine exceptione, ſeu reſpectu perſonæ: quodque non poſsint aliqua cauſa dictam executionem prorogare, minuſque eorum mercedẽ, niſi poſt factã actualẽ executionẽ recipere, idque pro rata executionis factæ, niſi executionẽ perſonalẽ fecerint, quo caſu integrã executionẽ conſequantur, pro quibus executionibus tã ciuilibus, quã criminalibus, & tam realibus quã perſonalibus nõ poſſint nec debeãt pro eorũ mercede recipere niſi modo, & forma, & iuxta taxã infraſcriptã videlicet. Pro executionibus ciuilibus uigore bullectini, ſeu mãdati executiui relaxati à Curia pro tẽpore exiſten. ipſis Ciuitatis Gubernatoris, etiã uigore obligationis in forma Camerę, ſeu alijs quibuſcũq; Curiis, &

Tribunalibus, etiam extraneis, dummodo non ab Vrbe Romæ, ſiue executio fiat realis, ſiue perſonalis, ſi in Ciuitate, uel eius ſuburbijs, uſque ad ſummam ſcutorum quinque, habeant dicti executores groſſum unum, à ſumma uero ſcutorum quinque uſque ad centum, habeant baioccum unum pro quolibet ſcuto, & à centum ſcutis ſupra pro dictis primis ſcutis centum habeant ut præfertur ad rationem unius baiocchi pro quolibet ſcuto, & ab inde ſupra baioccum unum cum dimidio pro quolibet ſcuto, dummodo non excedat mercedis executio ſcuta duo, ſi uero fiat dicta executio extra Ciuitatem, & eius ſuburbia, habeant duplum dictæ mercedis, dummodo non excedat ſcuta quatuor: nec poſsint dicti executores occaſione dictarum executionum aliquid aliud, etiam ratione expenſarum, & uictus eorum petere, & recipere ſub pœna amiſsionis dictę eorum mercedis, & alijs arbitrio Iudicis deputati pro obſeruatione præſentium taxarum. In alijs autem executionibus in Romana Curia relaxatis, ſi in Ciuitate, & eius ſuburbijs fiat executio, habeant executores pro quolibet ſcuto baioccos duos, ſi uero extra, baioccos tres, dummodo in Ciuitate & eius ſuburbijs non excedat mercedis executio ſcuta duo cum dimidio, & extra ſcuta quinque. Qui etiam executores non poſsint à creditoribus ipſis, etiam ultro offerentibus aliquid aliud petere, recipere, uel exigere ſub pœnis prędictis, & ſi contingat fieri executionem ſuper beſtijs tam pro cauſa ciuili, quam criminali, ſeu mixta, non poſsint, nec debeant ipſi executores aliquid petere, uel recipere ab hoſpitibus occaſione conſignationis dictarum beſtiarum eis factę, & tollatur omnino abuſus recipiendi aliquid, ut uulgariter dicitur, per la ben intrata, ò per la capezza di dette beſtie, ſed habeant, & habere debeant ſolummodo eorum debitam mercedem, & executionem modo, & forma prædictis, quam executionem recipere debeant à dominis, & patronis dictarum beſtiarum, & non ab ipſis hoſpitibus, & ſi ſecus fiat, dicti executores incidant in pœnas prædictas, & dicti hoſpites non poſsint repetere à dominis beſtiarum ſoluta per eos dictis executoribus, & puniantur arbitrio dicti Iudicis. Item pignora per ipſos executores facienda, eodem die, uel ſequenti ad plus penes Depoſitarium deponantur ſub pœnis prædictis. Et quia nundinæ & mercata publica, quæ fiunt in Ciuitate in dies, ob multas, & uarias executiones, quæ fiunt contra uenientes ad eas, & ea reſpectiue tam in perſonam quàm ſuper rebus, & animalibus decreſcunt, & diminuuntur non ſine maximo dictæ Ciuitatis detrimento, renouando in hoc Statuta, priuilegia, iura, ordinationes

tiones, & reformationes ipſius Ciuitatis prohibentes fieri executiones huiuſmodi in diebus mercati, & nundinarum, ſtatuit, decreuit, & mandauit, quod in poſterum executores non poſsint nec debeant aliquo modo pro cauſis ciuilibus facere aliquam executionem realẽ, ſeu perſonalem in diebus mercati, & nundinarum huiuſmodi contra uenientes ad ipſum, & ipſas reſpectiue, ſub pœna trium ictuum funis, & nihilominus executio facta intelligatur & ſit ipſo iure nulla. In criminalibus uero cauſis non poſsint executionem aliquam realem ſeu perſonalem facere ſine mandato Gubernatoris, uel eius Auditoris manu propria illorum ſubſcripto, nedum ad inſtantiam partis, uerumetiã Cameræ, niſi in flagranti crimine aliquem reperirent, aut in fuga, uel uagabundum, ſeu bannitum, aut condemnatum, aut illum, cuius delictum notorium eſſet, & ſi ſecus facta fuerit executio, ea ſit ipſo iure nulla abſque aliqua declaratione, nec aliquam prorſus mercedem ipſi executores conſequi ualeant. Item ſi contigerit quòd executores aliquem capiant condemnatum in pœna pecuniaria, non poſsint pro illa executione petere, aut habere aliquam mercedem niſi pro illa rata, ad quam pœna condemnationis prædictæ per dictum Gubernatorem per viam gratiæ, uel ſignaturæ redacta, aut taxata fuerit: neque poſsint executores prædicti, aut quilibet alius Officialis aliquid exigere pro rata accuſatoris, niſi ubi accuſator uere extiterit, & ſi nullus fuerit accuſator, nulla ipſius in taxatione pœnarum habeatur conſideratio. Item pro captura alicuius perſonæ condemnatæ in pœnam mortis, in euentum, in quem captus abſoluatur, & relaxetur, habeant, & habere debeant, ſi captura ſit facta in Ciuitate, & eius ſuburbijs, ſcutum unũ: ſi uero extra, ſcuta duo: & ſi quis condemnatus ſe ultro conſtituerit, ſeu in Palatio eiusdem conſignatus fuerit, ſi captus ſit condemnatus in pœna corporis afflictiua citra mortem, tunc petere poſſint, & habeãt medietatem illius, quòd ſupra proxime dictum eſt. Si uero pœna pecuniaria, pro qualibet ſumma à florenis centum ſupra, habeant in Ciuitate baioccos uigintiquinque, extra uero Ciuitatem, & eius ſuburbia baioccos quinquaginta. Item à centum florenis infra in Ciuitate, & eius ſuburbijs baioccos quindecim, extra uero baioccos triginta. In leuioribus autem arbitrio dicti Iudicis reguletur, habito reſpectu ad id, quod ſupra dictum eſt. Item prohibita intelligatur & ſit eisdem executoribus confectio Inuentarij pro qualibet cauſa tam in Ciuitate quam extra, quæ Cancellario ipſius Gubernatoris tantummodo concedatur & ſit reſeruata, cui ſolum, & non executoribus, ſi qui adeſſent cum dicto Cancellario, merces ſoluatur. Item in euentum quòd præfati executores caperent aliquem reper-

tum condemnatum in libris ſententiarum criminalium, ſed reuera abſolutum, gratiatum, ſeu compoſitum, licet non caſſum, non poſsint habere, neque recipere pro executione talis capturę in pecuniarijs niſi baioccos uiginti, in corporis afflictiuis baioccos uigintiquinque, in pœnis autem ultimi ſupplicij baioccos triginta, extra uero Ciuitatem, & illius ſuburbia duplum. Item non poſsint aliquo modo præcipere, & præcepta facere alicui perſonæ ſine expreſſa licentia ſuorum ſuperiorũ in ſcriptis, exceptis dumtaxat fugitiuis, & repertis in flagranti crimine, vel quando eis fieret oppoſitio dum eſſent in actu exequendi, quibus caſibus pręcipere poſsint ad libitum, & ſi ſecus factum fuerit, puniantur arbitrio dicti Iudicis. Item cõſignatos eiſdem in Palatio, & per eos carceratos non poſsint cogere ad ſoluendum pro eorum executione, niſi quartam partem illius, quod haberent ſi eoſdem cœpiſſent in Ciuitate, & eius ſuburbijs. Item ſi contigerit executores exequi contra adminiſtratores Communitatis ipſius Ciuitatis. & Gabellarum quarumcunque, etiam prouentuum publicorum, eo caſu executionis merces duplicetur. Item à detentis in Palatio nihil accipiatur, prout hactenus nihil receptum fuit, pro mercede Cuſtodis carcerum. Quod locum habeat tam in ciuilibus, quam in criminalibus, tam in Palatio dicti Gubernatoris, quam Poteſtatis. Item executores, ſeu Cuſtodes carcerum non poſsint aliquid petere à carceratis pro introitu, & exitu, præterquam in cauſis criminalibus, in quibus poſsint recipere pro exitu tantum groſſum unum, & in cęteris intelligatur ſublatus abuſus ſoluendi groſſum unum pro introitu, & alium pro exitu. Item carcerati pro debitis ciuilibus, ſi eorum debitum non excedit ſummam ſcutorũ ſex, non teneantur aliquid ſoluere dicto Cuſtodi pro mercede carcerum, ſi vero excedat dictam ſummam ſcutorum ſex, teneantur & debeant ſoluere dicto Cuſtodi baioccum unum pro quolibet die, dummodo in totum non excedat ſummam trium iuliorum, etiam ſi ultra detineantur: In cauſis uero criminalibus ſoluant carcerati baioccum unum pro qualibet die dicto Cuſtodi, dummodo non excedat ſummam quinque iuliorum, etiam ſi permanerent ultra quinquaginta dies: & prædicta locũ habeant tam ſi carcerati permanerent in ſecretis, quam in publicis carceribus. Item carcerati non poſsint aliquo modo cogi ab ipſo Cuſtode alimenta emere, etiam quòd permaneant in ſecretis carceribus, ſed de proprio ſeipſos alere poſsint. Si uero aliquis uelit alimenta à Cuſtode præſato, ſoluat pro uictu cuiuſlibet diei carolenum unum ad plus. Item quod bona, uel pecunię, quæ reperiuntur in poſſe carceratorum, consignentur cum Inuentario facto in præſentia carcerati, & corã duobus teſtibus Cuſtodi carcerum, qui teneatur reſtituere integrè ad man-

datum

datum Iudicis, qui eum capi fecerit. Item carcerati in Arce nõ poſsint cogi ad aliam ſolutionem pro detentione illorum, quam iuxta taxam deſuper factam circa detentos in carceribus dicti Gubernatoris. Item pro quibuſcunque extractis, & executionibus dandis per Conſeruatores, ſeu Theſaurarios, exactoreſque dictæ Ciuitatis, ac officiales dãnorũ datorum, Viariorum, Conſules Artium, Hoſpites, ſeu alios quoſcunque tam in dicta Ciuitate, quam extra teneantur executores facere executionem, & recipere mercedem iuxta taxam in dictis extractis, & executionibus apponendam per ſupradictos Conſeruatores. Itẽ ſi quis caperetur pro informatione Curiæ tamquam teſtis, nihil capientibus ſoluat. Item ſtatuit quòd prædicta omnia & ſingula locum habeant in executoribus Gubernatorum pro tempore exiſtentium. Officiales uero Poteſtatum in omnibus, & per omnia teneantur ſeruare ſtatuta, & reformationes dictę Ciuitatis, ac prout in altero ſub decimaquinta mẽſis Aprilis proximè pręteriti diebus deſuper confectis publicis inſtrumentis plenius dicitur contineri.

Nos igitur, ut præmiſſa omnia, & ſingula, prout prouide conuenta, ordinata, & terminata fuerũt, perpetuis futuris temporibus per quoſcunque firmiter obſeruentur, prouidere uolentes, ac etiam Communitatem, & Ioannembaptiſtam præfatos, necnon ſingulares ipſius Communitatisperſonas, & eorum quemlibet à quibuſuis excõmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, uel ab homine quauis occaſione, uel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtũt, ad effectum præſentium dũtaxat cõſequen. harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, Communitatis, & etiam Ioannisbaptiſtæ prędictorũ reſpectiue in hac Parte ſupplicationibus inclinati conuentionem, ſeu concordiam, necnon Statuta, decreta, ordinationes, & taxas prædictas, & prædicta, aliaque præmiſſa omnia, & ſingula Apoſtolica auctoritate ex certa noſtra ſcientia tenore pręſentium approbamus, & perpetuo cõfirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, illiſque perpetuę, ac inuiolabilis firmitatis robur adijcimus. Supplentes omnes, & ſingulos tam iuris, quam facti, ac etiam ſolemnitatum etiam ſubſtantialiũ forſan omiſſarum, & quoſcunque alios defectus, si qui forſan interuenerint in eiſdem, Ac decernentes conuentionem, ſeu concordiam, necnon Statuta, ordinationes, decreta, & taxas huiuſmodi, aliaque præmiſſa omnia, & ſingula, ac pręſentes, & in eis contenta quæcunque per partes ipſas, & earum ſucceſſores, alioſque omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, & ſpectabit pro tempore quomodolibet in futurum, irreuocabiliter perpetuo obſeruari debere, nec ab eis ullo unquã tẽpore quo-

uis quæſito colore reſiliri poſſe, ſed illos ad plenam eorum omniũ obſeruantiam omnino, & perpetuo teneri, & efficaciter obligatos exiſtere: ac etiam ad obſeruationem huiuſmodi per ſupradictas, & alias etiam pecuniarias, cæteraſque pœnas, ac alia opportuna iuris remedia omni, & quacunque appellatione remota cogi, & compelli poſſe, ac ita per præfatos, & quoſcunque alios Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, eorumque uicelegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari, ſententiari, interpretari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, uel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea eidem Hieronymo Cardinali moderno, & pro tempore exiſtentibus dictæ Ciuitatis Epiſcopo, & Gubernatori, quatenus ipſi, uel eorum alter præmiſſa omnia, & ſingula per eos ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, ſub ſupraſcriptis, & aliis etiam pecuniarijs, cæteriſque eorum, uel eius arbitrio imponẽdis, moderandis, & applicandis pœnis inuiolabiliter, & firmiter perpetuo obſeruari mandent, & faciant realiter, & cum effectu; cõtradictores quoſlibet, & rebelles per eaſdem pœnas, ac etiam per Eccleſiaſticas cenſuras, etiam iteratis uicibus aggrauandas, aliaque iuris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato, ſeu adhibito etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictę Ciuitatis iuramento cõfirmatione Apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam quibuſuis ſuperioribus, & perſonis in genere, uel in ſpecie ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, ac etiã Motu proprio, & ex certa ſciẽtia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & etiam conſiſtorialiter, necnon alias in contrarium quomodolibet etiam pluries, & iteratis uicibus conceſſis, confirmatis, approbatis, & innouatis, in poſterumque concedendis. Quibus omnibus, etiam ſi pro ſufficienti illorum derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quęuis alia expreſſio ad hoc habenda, uel facienda, ſeu quæuis alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi ac ſi de uerbo ad uerbum nihil penitus omiſſo; & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis

preſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac uice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac ſufficienter derogatum eſſe, & fore decernimus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, uel diuiſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, uel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de uerbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris, Die quintadecima Septembris, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Pōtificatus noſtri anno quinto.

Loco † Annuli.

Cæ. Glorierius.

TABVLA RVBRICARVM.

De modo & ordine ſeruando per D. Gubernatorem eiuſque Officiales in quibuſcunque cauſis. Rub. 1.
De non proferendis ſentẽtijs prout in cedula Rub. 2.
Quomodo, qualiter, & quando ſportulæ accipi debeant. Rub. 3.
Quòd copia indiciorum tradi debeat, & per quantum tempus reus detineri poſsit in ſecretis. Rub. 4.
Officio Notarij Bancæ. Rub. 5.
Officio Baiuli. Rub. 6.
Abuſu præceptorũ ad informandũ Curiam penitus tollendo. Rub 7.
Officio Cãcellarij Domini Gubernatoris, & ipſius mercede. Rub 8.
Executoribus, & eorum officio, & mercede. Rub. 9.
Viſitatione carceratorum. Rub. 10.
Cuſtodibus carcerum, & eorum mercede. Rub. 11.
Applicatione pœnarum. Rub. 12.
Officialibus, & eorum vacatione. Rub. 13.
Mercede Aduocatorum, & Procuratorum. Rub. 14.
De abolitionibus concedendis. Rub. 15

ed